UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In sex partes tributæ

Qvae Meditationes Complectitvr circa omnia Christi Domini Acta, ab eius Baptismo ad finem vsque Prædictionis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

Puente, Luis de la

Coloniae, 1612

urn:nbn:de:hbz:466:1-54633

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 3177

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Meditaciones de los misterios
de nuestra santa fee

J. 494.

R. P.

LVDOVICI DE PONTE, SOCIETATIS IESV,

MEDITATIONVM DE PRAECIPVIS FIDEI NOSTRAE MYSTERIIS, VITAE AC PASSIONIS D.N. IESV Christi; B. V. MARIAE, & aliquorum Sanctorum,

monaſt. Abdingſ. Coll. ord. S. Benedicti Paderbornæ

PARS TERTIA,

QVAE MEDITATIONES COMPLECTITVR circa omnia Christi Domini Acta, ab eius Baptiſmo ad finem vſque Prædicationis, Doctrinam, Miracula, Parabolas.

INTERPRETE

R. P. MELCHIORE TREVINNIO eiuſdem Societatis IESV Religioſo.

PERMISSV SVPERIORVM.

COLONIAE,
Apud Ioannem Kinckium ſub Monocerote.
ANNO M. DC. XII.
Cum grat. & priuil. Sacræ Cæſ. Maieſt.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX MEDITATIONVM TERTIAE PARTIS.

INtroductio & Fundamentum in quo de vtraq; vita agitur, Actiua & Contemplatiua, per Martham & Mariam sorores significatas; & de Mixta ex vtraq;, quam tenuit Christus Dominus noster tempore suæ Prædicationis. Pagina 3

Paragraphus primus de præcipuis Actiuæ vitæ Actionibus. p. 5.

§. 2. De vitæ contemplatiuæ actionibus, 7

§. 3. Quod vita actiua opus habeat contemplatiua: & quænam circa hoc querela, 10

§. 4. De alijs vitæ actiuæ imperfectionibus: & qua ratione illas Christus emendat, vt perfecta euadat, 13

§. 5. De Vno illo, quod est dispositio & finis contemplatiuæ, 18

§. 6. De vitæ contemplatiuæ excellentijs, 22

§. 7. De vitæ Mixtæ excellentijs, 25

§. 8. De excellentissima ratione, qua Christus Dominus contemplationem actioni coniunxit, 28

Meditatio prima de admiranda S. Ioannis Baptistæ vita & prædicatione, vsq; ad Christi baptismum 33

2. De interrogationibus S. Ioanni à Pharisæis propositis, dum ad eum miserunt qui interrogarent: Tu quis es? & de Testimonio de Christo & de seipso reddito, quo insignem humilitatem & sanctitatē suam aperuit, 41

3. De Christi Domini nostri baptismo, 51

4. De Christi post baptismum in desertum secessione, &

ne, & Ieiunio quadraginta dierum, 67
5. De Tentationibus quas idem in deserto sustinuit, 74.
6 De Apostolorum vocatione & electione 87
7. De vocatione generali, qua Christus Dominus omnes homines vocat ad seipsos abnegandos, & crucem propriam tollendam, & ipsum sequendum, 101
8. De resignatione ad Christi vocationem audiendã requisita; & omnium renuntiatione, vt quis in eius discipulum adsciscatur, 109
9. De primo Christi miraculo in Nuptijs Cana Galilea edito, 117
10. De zelo quo Christus ementes & vendentes è templo eiecit 129
11. De Sermone Christi in monte, 137
12. De officio quod Apostolis suis Christus in eo sermone commisit 167
13. De lege Euangelica, quã in eodem sermone Christus promulgauit, & perfectione ad quam illa nos euehit, 137
14. De Meditatione circa precationẽ Dominicã. 184
15. De Apostolorum ad prædicandum Missione, 267
16. De glorioso S Ioannis Baptistæ Martyrio. 218
17. De Miraculo, quo Christus quinq; millia hominũ pauit in deserto, 228
18 De sedata Maris tempestate, 241
19. De ambulatione Christi super aquas cum Phantasma esse iudicabatur à discipulis 246
20. De S. Petri confessione, qua Christũ confessus est esse filium Dei viui, 264
21. De Christi Transfiguratione, 278
22. De ijs qua Transfiguratione durãte euenerũt, 285
23. De duobus filijs Zebedei petentibus, vt alter ad Christi dextram, alter ad sinistram sederent, 293

24. De Lazaro mendico, & diuite epulone, 309
25. De conuersione S. Mariæ Magdalenæ, 323
26. De conuersione Samaritanæ, 338
27. De muliere in adulterio deprehensa, & à Christo ab accusatoribus liberata, 357
28. De Zachæi conuersione, 367
29. De muliere Chananæa, cuius filiam Christus à dæmonio liberauit, 379
30. De centurione, cuius seruum Christus restituit sanitati, 385
31. De muliere à fluxu sanguinis liberata, 392
32. De languente ad Probaticam piscinam à Christo sanato, 401
33. De leproso sanato ad sacerdotes misso, 413
34. De decem leprosis sanatis & ad Sacerdotes missis 419
35. De Cæco prope Iericho illuminato, 426
36. De Cæco nato, 433
37. De surdo & muto spluto Christi sanato, 441
38. De dæmoniaco à Christo liberato, quem discipuli eius liberare non potuerunt, 448
39. De resuscitatâ filia Archisynagogi, 458
40. De filio viduæ apud Nain resuscitato, 465
41. De Lazari resuscitatione, 471
42. De Concilio Phariſæorum, in quo Caiphas decreuit Christum debere mori, 489
43. De parabola sapientis domum suam super petrã ædificantis, 496
44. De Seminante, 509
45. De Zizanijs tritico superseminatis, 511
46. De grano sinapis. 524
47. De negotiatore quærẽte bonas Margaritas, 534
48. De pastore ouem perditam requirente, 543
49. De Filio prodigo, 552
50. De eo qui incidit in latrones, & cuius curam

Samaritanus ſuſcepit, 565
51. *De ſeruo qui debebat decem millia talentorum.* 576
52. *De Villico diſſipante bona Domini ſui,* 588
53. *De Phariſæo & Publicano aſcendentibus in templum, vt orarent,* 598
54. *De Patre familias conducente operarios in vineam ſuam.* 604
55. *De Parabola Vineæ agricolis elocatæ.* 614
56. *De inuitatis ad nuptias & ad cœnam.* 622
57. *De decem Virginibus, prudentibus & fatuis* 636
58. *De Talentis à Domino ſeruis diſtributis ad negotiandum,* 646

FINIS INDICIS.


VOX CLAMANTIS IN DESERTO, PARATE VIAM DOMINI. Marc. 1. ca.
BEATI PAUPERES SPIRITV QVONIAM IPSORVM EST REGNV Celoñ. 5.
Transfiguratus est
VNDE EMEMVS PANEM VT MANDVCENT HI. Ioannis 6. cap.
HÆC CVM DIXISSET VOCE MAGNA CLAMAVIT LAZARE VENI FORAS. Ioan. 11.
Tollat cru[illegible]cem suam.

INTRODVCTIO ET FVNDAMENTVM MEDITATIONVM HVIVS PARTIS, vtramqúe vitam complectens, ACTIVAM & CONTEMPLATIVAM, per Martham & Mariam sorores indicatam, MIXTAMQVE ex vtraqúe, quam Christus Dominus noster tempore suæ prædicationis exercuit.

SPIRITVALIS vitã, iuxta communem Sanctorum Patrum, & Spiritualium magistrorum sententiam, duplicia complectitur opera & exercitia: ACTIVAE & CONTEMPLATIVAE vitæ nomine indicata. ACTIVA vita est ratio siue modus quidam viuendi, externas actiones potissimùm respiciens, siue nostrum illæ spiritualem profectũ, siue proximorum commodum concernant, dum charitatis & misericordiæ opera, aut corporalia, (à quibus Tyrones meritò initium facere debent) aut spiritualia (qualia sunt docere, concionari & similia, quæ perfectorũ magis sunt propria) erga illos exercemus. CONTEMPLA-

TIVA vita est modus viuendi, interiores præcipuè actiones respiciẽs, cognitionis & amoris DEI, ad quem per gradus & exercitia *Lectionis, Meditationis, Orationis & Contemplationis* conscenditur, de quibus primæ partis initio in Epitome orationis mentalis (quæ omnia illa complectitur) fusè diximus. Hæ duæ vitæ solent coniungi & actiones proprias commiscendo mirum in modum se mutuò iuuare, ex quo tertia illa vita consurgit, quæ ex hac vtraque composita MIXTA appellatur, &, quod in vtraque est perfectissimum, in se complectitur. Hinc est, quòd Christus Dominus, qui tanquã Magister, & totius perfectionis vniuersale in omni vitæ genere, & ad omne genus hominum exemplar in mundum venit, postquam per triginta ætatis annos humilitatem, obedientiam, silentium, & alias exteriores actiuę vitę actiones exercuit, quæ ad profectum nostrum dirigũtur; voluerit in reliquis vitæ annis heroica nobis pretiosissimarum actiuæ vitæ actionum exempla præbere, dum eadem Contemplatiuæ, excellenti quadam & diuina potiùs quàm humana perfectione, coniunxit: vt ex huius tertię partis Meditationibus facilè cognoscetur. Pro quarum fundamento operæ pretiũ duxi, vtriusque vitæ officia, actiones, proprietates, modumque, quo ipse Christus ea exercuit, præmittere; iuxta ea, quæ S. Lucas in Euangelica historia refert, de duabus illis sororibus Martha, quæ ipsum Christum domi suæ hospitio

D. Thom. 3. p. q. 40 a. 1. ad 2. & 3.

Luc. 10. 38.

exce

excepit;& Maria,quę ad eiuſdem Domini pedes ſedens, eius doctrinam audiebat: quæ (vt communiter Sancti interpretantur) vtramq; hanc vitam referunt. Et in earum hiſtoria altiſſima & vtiliſſima,quæ de vtraque vita tradi poteſt, doctrina, depicta eſſe videtur. Et, vt vno labore duo expediam negotia, ſimul ſcopum meum eliciam; & meditationem circa ipſam hiſtoriam contexam.

DE PRAECIPVIS ACtiuæ vitæ actionibus

§. I.

PRAECIPVAS ACTIVAE vitæ actiones & officia myſticè declarat Euangeliſta,dum ait: a *Ingreſſus eſt* IESVS *in quoddam Caſtellum: & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam.* Quibus verbis tria indicãtur officia,quæ hoc vitæ genus concernunt. *Primùm* eſt,animæ noſtræ domûs, ad Chriſtum in ea ſpiritualiter excipiendum,præparatio, quę fit tum ab eius omnibus peccatis expurgatione, adhibitis pœnitentiæ operibus; b *Quoniam in maleuolam animam,non introibit ſapientia* incarnata, *nec habitabit in corpore ſubdito, peccatis*; tum eius tranquillitate,dum à tumultu inordinatarumque paſsionum turbatione, mortificatione adhibita,expeditur: Nullus enim ho-

a *Luc.10.38.*

b *Sapi. 1. 4.*

ſpes libenter longiore mora in tumultuoſo turbatoque hoſpitio cõmoratur: Tum deniq; virtutum moralium ornamentis; dum magno feruore actiones earum exercentur: talem enim habitationem, pretioſis huiuſmodi auleis exornatam, libenter Chriſtus inhabitat, & in ea perſeuerat, hoſpiti ſuo per gratiam & charitatem coniunctus.

II. *Secundum* officium actiuæ vitæ eſt, Chriſtũ Dominum in eius pauperibus hoſpitio excipere, ſicut Martha, quæ ipſum Chriſtum eiuſque Apoſtolos hoſpitio excipiebat, illis ſeruiens, & ſeptem miſericordiæ corporalis opera erga eos exercens: de quibus idem Dominus dixit. c *Quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Ego in eis peregrinus eram, & me hoſpitio excepiſtis; eſuriebam, & me pauiſtis ac potaſtis: ad meas itaque rationes pono, quod meis pauperibus facitis: vnum enim ego ſum cum eis, in quibus & maneo.

c *Matt. 25. 40.*

III. *Tertium* officium altius adhuc vitæ actiuæ, cùm ea perfectiſſima eſt, & contemplatiuæ proxima, conſiſtit in procurando ipſi Chriſto hoſpitium in animis proximorum; eos ad id exhortando, ac ita diſponendo, vt ipſe Chriſtus tali eorum hoſpitio delectetur. Quod is præſtat, qui ſpiritualis miſericordiæ erga eos opera exercet; docendo, conſulendo, corrigendo, concionando, confeſſiones audiendo, ſacramenta adminiſtrando, & his ſimilia exhibendo; in quibus charitas & erga proximos

D. Thom. 2. 3 & qu. 182. a. 2. ad 3.

amor,

amor, zelusque salutis eorum elucet magis. Hoc fuit discipulorum Christi munus, quos ipse d *ante faciem suam mittebat in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipse venturus*; vt hospitium illi in hominum animis præpararent.

d *Luc. 10. 1.*

DE VITAE CONTEMplatiuæ actionibus.

§. 2.

PRAECIPVAS vitæ CONTEMPLATIVAE actiones subdit idē Euangelista, cùm ait: *Et huic* Marthę *erat soror nomine* MARIA, *quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Qua sententiâ præcipuū officium, & occupatio vitæ Contemplatiuæ nobis ob oculos ponitur, quæ hospite illo fruitur, quē soror eius *actiua* vita hospitio excepit in animo; dum spiritu ad eius pedes prostrata, cœlestem eius doctrinā audit. Quia enim vtraq; soror, eiusdem patris Dei est filia, ad vnum finem nostræ perfectionis, ei' verò glorię genita, fit, vt priùs spiritus diuinus actiuam generet, quę prior & imperfectior est, per quam hospitiū ipsum parat, a *lectumq;* ornat, in quo hospes requiescat; & postea contemplatiuum gignit, quæ illo fruatur, eius doctrinam audiat, recipiatque diuini amoris dulces amplexus.

S. *Thom. 22. q. 182. a. 4.*

a *Can. 1. 16.*

I. Proprietates & munia vitæ CONTEMPLATIVAE, quæ hîc insinuantur, hæc sunt; *Prima* est, ipsi Christo Domino appropinquare. Vt enim Martha domesticis ministerijs distracta, remotior à Christo erat; Maria autem ad pedes eius sedebat: ita Contemplationi dediti, sunt Deo propinquiores spiritu: cognitione enim & amore in eius præsentia versantes, lucem & virtutum splendorem ab eo accipiunt, iuxta illud Dauidis: b *Accedite ad Deum, & illuminamini.*

b *Psal. 33. 6.*

Secunda proprietas est, magna quiete propè Christum sedere: Contemplatiuus enim, dimissis eo tempore externis operibus, quæ interturbant, omnes suas facultates colligit, imaginationes, cogitationes, affectusque sedat; solumq; cognitioni & amori Dei intentus, audit quid ille intus ad cor loquatur, iuxta illud Dauidis: c *Vacate & videte quia ego sum Deus*, & illud: d *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. *Tertia* proprietas est, propè Christi Domini nostri pedes sedere, varios hoc situ affectus veluti protestans: *Primũ*, humilitatis, cum infimum in huius Domini præsentia eligit locum. *Secundum*, reuerẽtiæ, quasi tanti Magistri maiestatem recognoscẽs. *Tertium*, subiectionis, sese subiectũ & promptum ad quęcunque ille mandare dignabitur, offerens. *Quartum*, imitationis, statuens eius sequi vestigia: & hæc omnia ex amore, oblectando se se in hac animi sui demissione, reuerẽtia, subiectione, & imitatione; & optan-

c *Esai 45. 11*
d *84. 9.*

do pedes

do pedes huius domini toto suo spiritu amplecti. & qui hac ratione ad cōtemplationem accedunt, id consequuntur, quod scriptura ait: e *qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius*. *Quarta* proprietas & proprium vitæ contemplatiuæ opus est, audire verbum DEI; quod varijs modis mens præstat, alijs ad alios sese disponens. *Primum* enim audit verbum DEI, dum sacros libros, aut aliàs pios, legit; per quos nobis loquitur DEVS, eam docent doctrinam, quam in eis legimus. *Deinde*, dum ex Concionatorum & Magistrorum ore, verbum DEI audit, f *in quibus* æquè *loquitur Christus* atque ore suo. *Tertiò*, audit etiam verbum DEI ab ipsomet in Meditatione, varijs intus in corde suo ratiocinationibus cum illo colloquens, diuinas virtutes inquirens, & earum intelligentiam à diuino ipso Magistro accipiens. *Vltimò* denique, verbum DEI audit in Contemplatione, simplici quodam, sed amoris plenissimo intuitu veritatum, quæ ad ipsum DEVM pertinent: cuius supremum actum scriptura *Audiendi* phrasi exprimit. sicut Paulus, qui in raptu suo g *audiuit arcana verba* DEI: & Christus dixit discipulis suis: h *Quæcunq; audiui à patre meo, nota feci vobis*. Vt enim qui audit, absque multis proprijs ratiocinationibus accipit puram & subactam Magistri doctrinam; ita anima in Contemplatione, paruo labore, magno verò gustu intra se recipit inspirationes, illustrationes, & excelsos à DEO sensus, quibus ma-

e *Deut.33.3 D.Tho. 22. q.180. a.3. ad 4.*

f *2.Cor.13.3*

g *2.Cor.12. 4.*

h *Ioh.15.15.*

net edocta, illustrata, pasta, & amoris affectibus accensa, ac intra se i *insitum verbum recipit* increatum, qui est DEVS, cui perfecta charitatis vnitione coniungitur.

i *Iacob. 1. 21*

VITAM ACTIVAM OPVS habere Contemplatiuâ, qualesque circa hoc sint querelæ §. 3.

MARTHA *autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit & ait: Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Hac occasione ostenditur, quàm ACTIVA vita indigeat

a *Lu. 10. 40*

I.

CONTEMPLATIVA. In primis enim manifestum fit exemplo Marthæ, solam actionem non sufficere ad Christo pro voto seruiendum, explendaque statûs sui munia; nisi eius soror Contemplatio suppetias ferat; cuius est deuotionem ac in externis functionibus dulcedinem impetrare; sine qua vita *Actiua* ficca & semicœca esset, quærelis & multis repugnantijs plena: propter quod dicebat Bernardus: Ipsius *Actionis* interesse, à Consideratione præueniri, & quamuis possit quis absque perfecta Contemplatione ad cœlum peruenire; nemo tamen absque aliquo contemplationis modo poterit cum suauitate progredi, aut

Lib. 1. de Consid.

onus

onus & iugum legis Domini iucundè portare.

II.

Ex quo sequitur propria necessitate vrgeri *actiuam* vitam, nonnihil subsistere, sicut Martha (*quæstetit*) & Christum Dominum petitionibus compellare, & Cõtemplationis spiritum, quantum sibi necessarius est, postulare; sicque dulci quadam & amica querela dicere: Domine videris mei obliuisci, solamque, & sororis meæ Contemplationis societate destitutam, relinquere: dic illi me vt iuuet: & quia tuum dicere, est facere; & iubere, est exequi: iube mecum adesse Contemplationis Spiritum: b *mitte de Cœlis & à Sede magnitudinis tuæ Spiritum sapientiæ*, à quo illa procedit: *vt mecum sit, & mecum laboret, & sciam quid acceptum sit apud te*, & opere ipso mox exequar.

b *Sap. 9. 10.*

III.

Verùm obseruandæ in hac re sunt nonnullæ imperfectorum querelæ, qui externis *actiuæ* occupationibus nimium dediti sunt, sibique in eis complacent. *Quidam* enim occultâ quadam superbiâ de Christo Domino conqueruntur, quòd multum externis actionibus in Dei obsequio laborantes, solos quasi, & absque contemplationis suauitate & dulcedine relinquat; atque si nullam ipsorum curam gereret, nec vllo tali præmio, ipsorum atque aliorum labores efficiat, sicut c *pater senior filij prodigi* parenti suo conquerebatur, quod non sibi, sicut prodigo filio indulgeret: Est autem hæc insignis deceptio: quia supremus noster pater, omnium omninò curam ge-

c *Luc. 15. 29*

rit,

rit, tam actiuorum, quam contemplantium; singulisque sufficienter, iuxta cuiusque statum, prouidet: qui ergò DEVM, quasi in hac prouidentia negligentem, accusat, argumentum est, quod neque se, neque illum, ex defectu humilitatis agnoscat: qui enim DEVM & seipsum agnoscit, felicem se reputat, si ei seruiat etiam rependo, & absque vlla indulgentia, aut præmio alio, quàm sit ipsemet DEVS: & qui eò vsque se non humiliauerit, non obtinebit donum contemplationis, dicente scriptura: d *Non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes*. quia nimirum superbis & de se præsumentibus Contemplatio negatur: dabitur autem humilibus, & qui se se prouidentiæ diuinæ commiserunt.

d *Iob.37.24*

Alij sunt, qui non quidem directè, sed obliquè tamen de ipsis contemplatiuis conqueruntur, vt Martha de Maria, eosque otiosos & exiguæ in Ecclesiam & proximos vtilitatis reputantes, volunt vt contemplatione relictâ, se ad externas actiones conferant: sicque licet non verbis expressè, illorum tamen occupationem quasi fastidiētes, Christo Domino re ipsa dicere videntur: *dic vt me adiuuet*, iube illos à tuis pedibus surgere, & ad nos iuuandos accedere. Quæ etiam magna est illusio, parumque in spiritu exercitatorum indicium, qui reliquos omnes velint ea, quam ipsi tenent, viâ deducere. Contemplatiui siquidem otiosi non sunt, sed satis benè occupati in Domini sui obsequio; quo ille valdè delectatur;

ctatur; iuuantque non mediocriter Ecclesiam ipsam, eiusque operarios, quando à DEO Domino nostro gratiam & fauorem obtinent, ad eorum labores & operum fructus. Ideoque ipse Dominus aduocatum se exhibet contemplantium, vt in hac historia videbimus, eum statim Mariam defendisse. Quare plurimùm mea intererit in cœlestis Patris manus me proijcere, qui gratias & dona sua e *singulis diuidit prout vult*, & nobis expedit; & hac confidentiâ eam partem modumque viuendi amplectar, quem ipse mihi designauit, gratias etiam pro eo agens, quem alijs communicauit; & gaudens quòd illi magni sint; suaque illa magnitudine meam iuuent paruitatem: vt charitate hac, aliorum dona, mea propria faciam. O DEVS cordis mei, procul à me huiusmodi sint querelæ, satis mihi sit, quod tu facias, ne ego conquerar: siquidem nihil, quòd à te prodeat, potest mihi non esse percommodum.

e *Cor. 12. 11*

ALIAE VITAE ACTIVAE imperfectiones, quas Christus Dominus corrigit, vt illa perfectior euadat §. 4.

RESPONDENS *dixit illi* a *Dominus: Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima.* Hac respõsione Christus, iterato Marthæ nomine, ita amorem erga illam

a *Luc. 10. 41*

aperit,

aperit, vt superfluam simul solicitudinem, & turbationem, etiam erga res bonas, reprehendat: nobisque porrò defectus indicat, qui actiuam imperfectorum vitam commitari solent, quamuis non propterea amare eos desinat; vt enim ait Dauid: b *Oculi tui viderunt imperfectum meum, & in libro tuo omnes scribentur.*

b *Psal. 138. 16.*

D. Tho. 22. q. 182. a. 4. ad 3.

Greg. 6. moral. c. 1.

Solicitudinis huius anxiæ turbatæque radix triplex esse solet. *Prima* est ipsa naturæ nostræ insita hebitudo. nam (D. Gregorio teste) quidam naturâ suâ inquieti sunt, ac turbati, omninoque ad quietem contemplationis inepti; qui quò magis sese conantur colligere, eò maiorem imaginum & cogitationum turbam patiuntur. Alij contrà naturâ suâ quieti sunt, & pacati, & ita ad collectionem faciles, vt ad omnia externa videantur inepti. Sed vt amor DEI hos interdum à sua extrahit collectione; ita timor suauiter colligit, & anchoræ instar animam in medijs fluctibus & tempestatibus, quibus iactatur, firmam & stabilem tenet: Est enim gratiæ factu facillimum, quod naturæ impossibile esse videtur. Ideò qui desideria sentit in se orationis & contemplationis, ne desperet; sed cor suum figat ligetque cum DEO, duplici hac timoris & spei anchora, timeat, inquam, damna, quæ faciet, in se dedat Orationi; confidat verò de omnipotentia DEI, quòd tandem voti compos euadet.

II. *Secunda* radix est, pauca experientia, aut zelus nimius sine scientia & discretione, ex

quo

ex quo, ob falsam quandam necessitatis vel pietatis apprehensionem, procedit; vt multa complecti velit, seseque varijs occupationum oneribus supra vires implicare: cum quo coniuncta plerumque sit interior anxietas atque turbatio necesse est, vt omnibus illis satisfaciat. Et hoc nomine Christus Martham notauit, quæ, necessitatis ipsi seruiendi & cibum præparandi prætextu multa conquirebat, sese anxietate & turbatione magna in illa effundens. Huius erroris remedium consistit in emendandis iudicij erroribus, & occupationibus ita moderandis, vt ne spiritum suffocent, aut conuenientem ad orandum quietem impediant, reuocando in mentem illud Sapientis: c *Sapientia Scribæ in tempore vacuitatis: & qui minoratur actu, sapientiam percipiet:* quod est dicere: Ne manus ad res multas extendas, sed otij tempore & opportunitate sapientiam apprehende: qui enim occupationes minuit externas, illam recipiet. c *Eccl. 38. 25.*

Tertia radix est, quidam proprietatis modus, amori proprio affinis, qui etiam bono admisceri solet, bonisque rebus foueri; quæ licet fortè sint paucæ, eas tamen qui nimium amat, sibi turbationem adsciscit, quod triplici hominum generi facilè accidit. Iis in primis qui ad inordinatos affectus & impetus naturâ propensi sunt, licet bonæ aliàs intentionis sint; vanæ item gloriæ appetentibus, qui semper studeant, quæ semel arripiunt, ad exitum III.

perducere, à vana gloria veluti ex insidijs capti; Indiscretis denique ac ignauis, qui, quæ licere videntur, etiam expedire putant. quorum, ob nimium affectum, mancipia fiunt. Hos Apostolus verbis illis notauit. d *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt; omnia mihi licent; sed ego sub nullius redigar potestate.* Nullius, inquit, fieri mancipium volo, nec quicquam passione, instar serui, ductus agere; sed ratione & puro DEI amore, tanquam liber. Ex his radicibus prouenire potest, vt vita *Actiua* impediat *Contemplatiuam*; sed si illæ mortificentur, commodè conuiuet vtraque soror; neutrâ alteram in præcipuis functionibus suis, designatis temporibus præstandis, impediente.

d 1. Cor. 6. 12.

§ Tho. 2. 2. q. 182. a. 3.

DE VNO ILLO NECESsario, quod & dispositio & finis est vitæ Contemplatiuæ.

§. 5.

ROSEQVENS Christus Dominus Martham instruere, dixit: *Porrò vnum est necessarium:* qua sententia fundamentum iecit excusationis & laudationis Mariæ, & in ea ipsius vitæ *Contempla-*

tiu

tiua, quæ omnia reducet ad VNITATEM; multitudine & varietate, quoad fieri poteſt, reiectis: quod vnum hiſce gradibus obtinetur.

PRIMA enim VNITAS eſt in vſu rerum temporalium, dum illæ ad vnam, quæ ſit neceſſaria, & quæ ad vitæ ſuſtentationem ſufficiat, reducuntur: Et hoc voluit Chriſtus Dominus Marthæ inſinuare, quaſi dicens: non eſt cur ita ſis ſolicita, & circa multa præparanda, ad meam & diſcipulorum meorum ſuſtentationem, occupata: quia vel vnicum aliquid ſufficit, eoque contenti erimus.

HAEC in huiuſmodi rerum vſu tam ſtricta & exacta vnitas multùm confert ad cordis quietem, & ipſam Contemplationem: eâ enim varia deſideria anxiæque curæ circumciduntur. & ita ſancti, Contemplationi dediti, res huiuſmodi temporales valdè neglexerunt, ſimplici aliqua re neceſſaria in victu & veſtitu contenti, ſicut etiam dixit Apoſtolus. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* a 1. Ti. 6. 8.

QVARE ſi DEO vacare cupio, & Contemplationis ſuauitatem experiri, reijcienda mihi eſt rerum multitudo, neceſſario huic *Vni* contraria; qui enim paucis temporalibus eſt contentus, plurima conſequetur ſpiritualia; & qui moderatè ijs vtitur, quæ ſunt in

terra, copiosas recipiet cœlestes voluptates.

Secunda VNITAS in intensione posita est, quæ actiones omnes ad vnum solum necessariumque finem dirigit, qui est DEI gloria, eius voluntatis executio, nostraque salus; multitudine ac varietate intentionum, & finium, qui huic *Vni* aduersentur, aut ad illud non tendant, sublata: Et ideò Christus Marthæ: *Vnum* tantùm dixit esse necessarium, quòd Maria, doctrinam ipsius audiens ad animæ suæ sustentationem & eius finem obtinendum cupiebat. Nihil enim mihi prodesse poterit, omnem rerum mundi multitudinem lucrari, hac vna animæ meæ salute, quæ in eo, vt DEO placeam, consistit, amissâ. Ideò magno feruore cum Dauide: b *Vnam petam à Domino & hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* vt per Contemplationem videam præstantiam gloriæ & voluntatis DEI, deliciarumque eius magnitudinem, amando quæ videro, & quæ amauero procurãdo. Et hac ipsa adhuc magis ad particularia applicando, debeo omnia mea ad *Vnum* illud necessarium reducere, quod Apostolus magis patefecit, cùm dixit; c *Vnũ corpus, vnus spiritus, vna spes, vna vocatio, vna fides, vnum baptisma, vnus Dominus, vnus mediator, vnus Deus & pater omnium.* Quare detestari ac mortificare oportet quodcunque desiderium & affectum rerum, quę vnitati mystici corporis Ecclesiæ, & Spiritus, quo illa regitur, & spei salutis meæ ac vocationis, ad quam sum vocatus,

b *Psal. 26. 4.*

c *Ephes. 4. 4*
c *1. Tim. 2. 5*

fidei

fidei, quam profiteor; Baptismatis, quod suscepi; mediatoris Christi Iesu, qui me redemit; ac DEI & Domini, qui me creauit; & patris, qui me adoptauit in filium, & cœli vult hæredem constituere, aduersantur.

Tertia VNITAS propriæ vitæ *Contemplatiuæ* consistit in vsu sensuum & facultatum animæ interiorum, quas omnes ita ad vnitatem reducit, vt soli DEI cognitione, & actuali dilectioni attendant; & hoc voluit Christus Marthæ insinuare, cùm dixit: *Turbaris ergaplurima*, ad plurimas effunderis cogitationes, affectus, curas: magis *necessarium* illud *vnum est*, vt anima tua vna sit, hoc est, vnita & intra seipsam collecta; vna in sensuum affectibus, ad vnitionem cum Spiritu reuocatis, carnis rebellione mortificata: vna in appetitionibus ad DEI voluntatem reductis, contempta cuiuscunque Creaturæ, quæ huic contraria sit, appetitione: vna in suis curis, ad eam vnam reductis, quæ diuinæ bonitati placere studeat; reliquis omnibus diuinæ ipsius prouidentiæ remissis: vna in suis cogitationibus, ita ad illum vnum directis, vt eo tempore nihil præter DEVM cogitare velit; sed omnes distractiones ac mentis vagationes, quoad huius vitæ status debilitati possibile erit, collectas retinere: vna denique in amore, quem in vno ac solo infinito bono collocet, quod ipsum dicentem cũ Dauide: d*Quid mihi est in Cœlo? & à te quid volui super terram? impleat ac satiet.*

d *Ps. 72. 25.*

DE VITAE CONTEMPLATIVAE excellentijs.

§. 6.

a *Lu. 10. 42*

CONCLVDENS tandē Christus, quòd intendebat a *Maria*, inquit, *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* In qua sententia illud est primùm obseruādum, licet Christus asseruerit: Mariam meliorem eam partem, quæ Contemplationis est, elegisse, vt quæ libertate arbitrij sui ad illam vitæ rationem se accommodasset; fontem tamen & originem talis electionis fuisse gratiam & DEI inspirationem, quæ Mariæ voluntatem ad eam permouit: nam etiam in his viuendi rationibus locum habet, quòd Christus aliquandò discipulis dixit: b *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, pertinetque ad Spiritum sanctum, vt aliàs distribuit, hanc etiam gratiam cui velit, & cui ad salutem perfectionem conuenit, inspirare; sed ne tamen vllus se ab ea, quoad poterit, procuranda excuset, dixit Christus: Mariam eam vitæ rationem elegisse; quæ, ipso authore, ACTIVAE præferenda est, quam elegerat Martha; eò quòd illa summo bono, à quo omnis promanat bonitas, sit magis coniuncta; faciatque

D Tho. 2. 2 q. 182. a. 1. & 2.

b *Ioh. 15. 16.*

hominem DEO similiorem, & Angelis eius; & nobilissimas duas animæ facultates, intelligentiam & voluntatem perficiat: illam quidem excellentissimo sapientiæ actu, quæ est ipsius DEI cognitio, illustrando: hanc verò excellentissimo & heroico charitatis actu, qui est DEI amor, inflammando; & vt ab hoc oritur amor erga proximum; ita ex contemplatione perfectio procedit operum externorum. quia feruorem eis, spiritum, dulcedinem, & plenitudinem impertit.

HIS excellentijs eam quoque Christus adiunxit, *quæ non auferetur ab ea*. atque si diceret: nec propter causas, quas adfers; nec ob querelas, quas proponis, Mariæ auferam partem, quam elegit; vt tuam amplectatur: quæ etsi bona sit, illius tamen est melior. Hoc adimplet Christus tribus modis. II.

PRIMVM, quia quem singulariter ad eam vitæ rationem vocauit, nunquam, quod in se est, ab ea reuocat; aut ab alio reuocari probat; aut, ab ipso vocato, ob humanas apparentes rationes persuasionesve deseri, placet; sed vult potius eum in arrepto instituto ad finem vsque vitæ perseuerare.

SECVNDÒ, quos inspiratione motioneque sua ad excellens hoc exercitium inuitat & deducit, nec ipse certis suis ac designatis horis illud exequi impedit; nec,

vt alij apparentibus eos virtutis titulis impediant, probat: potiùs eos, vt hic Mariam, defendit, & in illorum defensionem illud Canticorum vsurpat. c *Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis, nec euigilare faciatis dilectam, quoad vsq; ipsa velit*; quasi dicat, ne dulcem Contemplationis somnum quietemque, qua mecum gaudet, turbetis, donec desiderio suo ac necessitati satisfaciat: nam cùm ipsius voluntas meæ sit valdè coniuncta, tunc ipsa excitari ab eo homine volet, cùm id mihi placere intelliget. Ideoque cùm vel proximi charitatem, vel Superioris obedientiam aliud exigere animaduertet, statim accurret.

c *Cant. 2. 7. & 3. 5.*

Deniq;, nunquam Deus electis suis auferet contemplationem, quam hic inchoarunt; sed eam perficiet: in morte enim, etsi Actiuæ vitæ cessent actiones, nunquam tamen DEI contemplatio cessat, in qua beatitudo & æterna vita consistit. Vt enim Augustinus ait: *ibi vacabimus, & videbimus, amabimus, & laudabimus*: ibi DEVS sine fine videbitur; sine fastidio amabitur; sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus erit in omnibus; in quo per omnia seculorum secula perdurabimus. Amen.

D. Tho. 2. 2 q. 180. a. 4. & q. 181. a. 4.

Lib. vlt de Ciu. Dei ad finem.

DE

DE VITAE MIXTAE, QVAE Actiuam & Contemplatiuam complectitur, excellentia. §. 7.

NON ſine myſterio Chriſtus Dominus *Partem* nuncupauit Mariæ vitam cum Marthæ vita collatam; inſinuauit enim eâ voce, aliam eſſe vitam excellentiſſimã, quæ veluti totum quoddam ſit ex vtraq; parte compoſitum, quod vtriuſque vitæ exercitia, nobiliſſima præſertim, complectitur, quæ animarum profectum reſpiciunt. Hanc igitur velut perfectiſſimam (D. Thoma teſte) Chriſtus ſecutus eſt tempore ſuæ Prædicationis, & ſimul S. Ioãnes Baptiſta; ac poſtea ſancti Apoſtoli, ſacrique Doctores, & clariſſimi alij Eccleſiæ ſancti eum ſunt imitati, qui vt a *Angeli* ad ſupremum *Scalæ, cui Deus innitebatur, aſcendentes*, illi ſeſe per contemplationem vniebant: & poſtmodum ad infimum ſcalæ, vbi Iacob dormiebat, *deſcendentes*, excitabant, & ad ſui creationis obſequium homines hortabantur. & quamuis hæc perfectio, teſte Caſſiano, rara ſit, pauciſque conceſſa: omnes tamen ſpirituales viri eam procurare meritò deberent, iuxta vocationem ſuam. Vita enim cõtemplatiua, ſi perfecta eſt, amore ipſo Dei, inſignem ſtatim proximi amorem, & eius ſa-

D. Thom. 2.2.q.179. a.2.ad 2. Ex D. Auguſt. lib. 19. de Ciuit. D. Thom. 3.p.q.40. a. 1. ad 2. & 3. a Gene. 28. 12. Caſſ. coll. 19.c.9.

lutis zelum ingenerat. Et hoc ex mente Sanctorum Patrum, est munus pretiosissimũ, quod Christo Domino offerre possumus; eius facti coadiutores in animabus lucrandis, pro quibus, vbi opus erit, vitam ipsam impendentes. & ita contemplatio ipsa, vt Dei voluntati sese accommodet, propria interrumpit exercitia, quò animas lucretur, quæ Deum amẽt ac glorificent. & vt Martha quietem sororis suæ Mariæ videns, cõmunem vtriusq; Magistrum interpellauit, vt à sorore iuuaretur: ita cõtrà Rachel, quę figura est cõtemplatiuæ, cùm Liæ sororis, quæ Actiuam refert, fęcunditatem in filiorum generatione videret, questa apud Iacob, communem maritum, dixit: b *Da mihi liberos, aliôquin moriar.* qui enim perfectam habet contemplationem & Dei amorem, desiderat, sicut Apostolus, spirituales filios Christo generare: & hic zelus ita viscera eius inflammat, vt cùm illi intereũt, ipse præ dolore moriatur; viuit verò, cùm eos viuere cernit,

Richar. de S. Vict. lib. de Contemplat. c. 41. & 44.
S. Gregor. Homil. 12. & 15. in Ezech.
Dionys. de Cœl. Hierarch c. 3. & ibi Carthus.
D. Thom. 2. 2. q. 182. a. 2.
b *Gen. 30. 1.*

HAEC summa est rerum, quas Actiua & Contemplatiua, & ex vtraq; mixta vita complectitur: quas & iuxta vires meas curare meritò debeo; & eas à Christo Domino his & similibus colloquiis efflagitare.

I. O IESV dulcissime, quem apud Martham hospitatũ Maria eius soror inuenit: cõcede mihi, vt in anima mea te hospitio excipiam, eam purgando & vitæ actiuæ exercitiis sicut Martha ita ornando, vt tamen simul Verbum tuũ cum Maria audiã & contempler.

II. O Saluator pijssime,

qui

qui nimiam Marthæ solicitudinem turbationemq; reprehēdisti, Mariæ verò otium quietemque commendasti, tibi supplico, vt ita obsequij tui intuitu vitæ actiuæ exerceam actiones, vt, quas illæ adferunt, distractiones non me perturbent, sed eas contemplatiuæ quiete paceque componam. O animarum amator, ob quas in angustum mundi huius locum venisti, cupiens in eis hospitari, concede mihi sic meliorem Mariæ partem eligere; vt bonæ, quæ Marthæ contigit, non obliuiscar; & ita in earundem animarum commodum laborare, vt & illæ & ego tale tibi præparemus hospitium, quale ipse cupis; vt à te postea in cœlesti, sicut nos cupimus, excipiamur. O bonum meum & gloria mea, ne patiaris ita me aliorū curâ premi, vt mei ipsius oblitus, diuinam tuā doctrinam contemplari negligam. Reprime, quæso Domine, Marthæ solicitudinem, vt locum & tempus semper cedat Mariæ; vrge etiā Mariam, ne solam omninò Marthā relinquat. O peccatorum reparator, qui Marthæ Mariæque precibus fratrem Lazarum resuscitasti, concede omnibus Ecclesiæ tuæ filiis, vt fraternè conueniamus, ad fundendas ad te pro fratribus nostris preces, vt eos ad gratiæ vitam resuscites, qua vtriusque huius vitæ actiones actiuæ & contemplatiuæ tanta perseuerantia exerceant, vt æternam omnes vitam consequamur. Amen.

III.

IV.

V.

DE EXCELLENTISSIMA ratione, qua Christus CONTEMPLATIVAM ACTIVAE coniunxit. §. 8.

Gregor. 6. Moral. 17.

SVPEREST, rationem illam, qua CHRISTVS Dominus vtranq; hanc vitam, ad nostrum exemplum toto prædicationis suæ tẽpore conunxit, exponere. quod bifariam præstitit: primum, tempus ipsum in partes duas distribuẽs, diem proximis, noctem orationi ea, quam S. Lucas refert, ratione tribuens: a *Exijt, inquit, in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* quibus verbis insinuat præparationem, qua Christus Dominus noster sese ad orationem disponebat; tempus, quo illa durabat; & feruorem, quo orabat: etiamsi non sui causâ, sed ad nostrum exemplum illa præstaret.

a *Luc. 6. 12. Matth. 14. 23. Marc. 6. 46*

I. *Præparatio* ea erat, vt eligeret quicquid ratione loci, temporis, & societatis, mentis recollectioni seruiret. nam loc⁹ erat solitarius, tempus nocturnũ, vtpotè quieti aptissimum: societas nulla alia, quàm Pater ipse æternus, quem in abscondito & secreto cordis orabat.

II. *Tempus* quo durabat oratio, erat longum, *pernoctabat* enim in hac exercitatione, & vsque mane perseuerabat. Nam ad contempla-

tionis

tionis celsitatem, ordinariè non sine exactâ longaque collectione peruenitur, b *luctando* veluti alter *Iacob tota nocte vsque mane*, vt Dei benedictio obtineri possit. & ideò sapiens ait: c *Melior est finis orationis, quàm principium.* indicans necessariam esse initium inter & finem orationis distantiam; & porrò prolixam esse debere, quò maiorem in fine, quàm initio habuerit, perfectionem obtineat.

b *Gene.* 32. 24.

c *Eccles.* 7. 9

III.

Feruorem & orationis Christi excellentiam aperuit Euangelista, cùm receptâ scripturæ phrasi, qua illa solet d *res excelsas* indicare, eam *orationem Dei* appellauit, hoc est, altissimam, & excellentissimam, orationem Deo dignam, qua, vt Hieremias ait: e *sedebit solitarius, & tacebit; quia leuauit se super se:* & vsque ad coniunctionem cum Deo ascendet. Causa autem, cur hæc ORATIO dicatur DEI, ea est; quia quicquid in ea est, DEI est: ideoq; quatuor continet excellentes proprietates quæ ipsius sunt Dei.

d *Psal.* 35. 7. *sicut montes Dei, id est, altissimi.*

e *Thre.* 3. 28

Prima est, quòd ab ipso Deo, & diuini eius spiritus inspiratione procedat: f *qui*, (vt Apostolus ait) *postulat in nobis*, quia ipsam meditationem, eius affectus, & quæ petenda sunt, & ipsum etiam feruorem, quo sunt petenda, nobis inspirat: tepida enim alioqui erit oratio, quæ à tali inspiratione præuenta non fuerit.

f *Rom.* 8. 26

Bonauent. Opusc. de Itiner. aterni. itin. 2. *d.* 5.

Secunda proprietas est, quòd in Dei conspectu fiat, memoriâ & intelligentiâ in solo

ipso

ipso Deo, & eius conuersatione occupatis, absq; vlla ad id, quod in ipsum Deum nõ tendat, distractione, iuxta illud Dauidis, g *Introibo in potentias Domini : Domine memorabor iustitiæ tuæ solius* : hoc est, solius scilicet bonitatis, fidelitatis & cæterarum magnitudinum tuarum, quas meditor.

g *Psal. 70. 16.*

Tertia proprietas est, quòd omnium affectuum, desideriorũ, & petitionũ argumẽtum & materia sit Deus ipse, vel quod ipse vult, aut iubet ad sui solius gloriam, ita vt nihil vel petam, vel desiderem, quod non voluntatis & gloriæ ipsius veste tegatur, & præ omnibus ipsummet Deum, non alijs contentus futurus, petam, dicens cùm Moyse: h *Ostende mihi faciem tuã*, vel *teipsum manifestè*: quia hoc mihi sufficit, & in hoc omnia continentur.

h *Exo. 33. 13.*

DENIQVE oratio illa appellatur DEI, cuius finis fructusque est vnitio cum ipso Deo, & in eundẽ per amorem perfectũ trãsformatio: vt quæ simillimos nos eidẽ, sicut filios, qui suos omnino parentes referunt, constituat. Ex quo prouenit, vt actiones, quæ ex huiusmodi oratione procedunt, eandẽ participent celsitatẽ: & quãdo ipsa oratio est oratio DEI ipsa quoq; i *iustitia sit sicut mõtes Dei*; & misericordia sit k *misericordia Dei*; & cæteræ virtutes, sint etiam virtutes DEI: imò & ipsi, qui eas exercẽt, *sint*, teste Dauide, DII per participationem.

i *Psal. 35. 7.*
k *2. Reg. 9. 3*
l *Psal. 81. 6.*

HAEC est oratio illa excellentissima, quã Christus Dñs exercebat, cuius admirandos effectus ostendit in oratione, q̃ habuit in Baptismo,

smo, & Transfiguratione, vt suis locis dicetur, & ad eam debemus omnes adspirare : etsi enim alta sit & ardua, sed, ex inspiratione & cœlesti auxilio, non erit difficilis.

IV. Ex hac diuina recollectione exibat Christus ad vitæ ACTIVAE actiones, eisdem nihilominus alio secundo modo orationem coniungens, ordinariè enim breuem orationem præmittebat: vt cùm miraculũ fecit in quinq; panibus, & cùm aliquibus infirmis sanitatem impertiuit, obsessos à Dœmone liberauit, Lazarum resuscitat, idemque putandus est, licèt secretò, in reliquis feciſſe actionibus; hoc exemplo nos instruens, debere ACTIVAM & CONTEMPLATIVAM familiares & veluti germanas sibi esse, non solùm diuersis eiusdem diei temporibus, sed eâdem etiam horâ, iungendo Actiuæ actionibus breuem aliquam orationem, m *leuemus*, ait Hieremias, *Corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos*: manus quidem, ait Gregorius, ad operandum corda vero ad orandum; eo modò, quem in huius libri Introductione diximus.

m *Thren. 3. 41.*

Gregor. 18. c. 5.

V. DENIQVE vitæ ACTIVAE opera, quę Christus hoc tempore fecit, vt Deo glorioſiſſima, ita proximis fuerunt vtiliſſima : à Baptismo enim suo cœpit gratiæ legem promulgare, & homines ad Euangelicã perfectionẽ doctrinâ suâ disponere : quam admirandis sermonibus declarauit, heroicis exemplis exercuit, clariſſimis miraculis cõfirmauit. sermonibus miſcuit rationes altiſſimas, verba placidiſſima:

exem-

exempla fuerunt eminentia in omni genere virtutum; dum opere priùs exerceret, quod erat docturus verbo: miracula erant stupenda in omni rerum genere, & vtilia omni generi hominum, in corporibus, in animis, admixtis simul virtutibus admirādis, in quibus etiam omnipotentiam & diuinitatem personæ suæ manifestabat.

HAEC periocha vitæ fuit IESV Christi Domini nostri, tempore Prædicationis suæ. ex qua colligimus, ea quatuor, quæ in eius vita eluxerunt, ORATIONES, CONCIONES, EXEMPLA, MIRACVLA, futura esse Meditationum tertiæ huius partis argumenta, ad vitæ contemplatiuæ nutritionem. Quamuis propositi mei non sit omnia, sed præclariora tantùm meditando percurrere: Nec in earum decursu me ordini, quo illa sunt gesta, alligabo, quò faciliùs aliqua argumenta coniungam, quæ cum inter se affinitatem habeāt, ad eundem scopum tendunt, vt alicuius virtutis cupidi, coniunctas simul habeant aliquot Meditationes, quæ ipsorum institutum promoueant.

ET quoniam hæ Meditationes eorum sunt propriæ, qui ab Incipientium, siue Tyronum gradu ad Proficientium in virtutibus statum transeunt, ad rem existimaui fore, si memoranda illa D. Aug. verba præmitterem: *Multi languescunt in orando, & in nouitate suæ conuersionis feruēter orant: postea languidè, postea frigidè, postea negligenter.* & adhuc peius est,

In Psal. 65. in fine.

quòd

quòd cum tanta hac sua relaxatione & negligentia securos se esse existimant: non aduertentes, hostem, ipsis dormientibus, vigilare; & periculum esse, ne ad eius manus intereant. Propter quod ipse Christus monuit: n *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* hoc est eo feruore orare ac perseuerantia orare, vt nec cessemus, nec relaxemus orationis exercitium, ad eam nos tantâ diligentiâ præparantes, vt à diuino ea spiritu adiuta, ORATIONIS DEI nomen promereatur. n *Luc. 18. 2.*

MEDITATIO I.

DE ADMIRANDA S. IOANNIS BAPTISTAE VITA, ET prædicatione, vsque ad Christi Domini nostri Baptismum.

MEDITATIONIBVS *de* CHRISTI *baptismo rectè præmittentur aliqua de S. Ioanne Baptista, tum propter ordinem ipsius historiæ; tũ quòd in his, Euangelicæ perfectionis prima quædam virtutes ipsa paxi expressa cernantur.*

PVNCTVM I.

PRIMÒ considerandum est: glorioſum Baptiſtam ab infantia per multos annos a *in deſerto* vſq; ad ſuę prędicationis initium, miraculoſam vitam duxiſſe, in qua præcipuæ quatuor eluxerunt virtutes, velut quatuor Euangelicæ perfectionis columnæ.

a *Luc. 1. 80. & 3. 2.*

I. *Pœnitentia corporalis.*

Primùm excelluit in pœnitentia & aſperitate corporis, quam in omnibus, in quibus exerceri poteſt, ſeueriſſimè præſtitit. Nam b *ipſe Ioannes*, ait Sanctus Matthæus, *habebat veſtimentum de pilis Camelorum, & Zonam pelliceam* ſiue aſperum cilitium *circa lumbos ſuos: eſca autem eius erat locuſtæ & mel ſylueſtre*, quod in deſertis locis occurebat: habitatio, ſpelunca vel rupis alicuius fiſſura; lectus ipſa dura terra: denique mirabili patientiâ frigora æſtuſque & cæteras temporum iniurias tolerabat. Et hîc obſeruandum, hæc non abipſo adhibita, quò præteritorum peccatorum lueret pœnas, qui fuit in ventre matris ſanctificatus, nec poſtea graue vllum peccatũm admiſit; ſed quò ſe etiam à minimis præſeruaret, carnemq; ſuam domans, ſpiritui eam ſubiiceret, ac ſe ad cœleſtia dona percipiẽda (quæ ordinariè nõ niſi huiuſmodi aſperitatibus obtinẽtur) diſponeret. Ex quo feruentia concipiã deſideria ſanctũ hunc in iis rebus, quos, debilitate mea conſiderata, præſtare potero, imitandi corporalem aſperitatem, quam potero, ita amplectens, carnemque meam caſtigans,

b *Matt. 3. 4. Marc. 1. 4.*

vt

vt eam c *hostiam viuam, Sanctam, Deo placentem* exhibeam, non solùm ob prædictum finem; sed etiam in satisfactionem pro multis peccatis, quæ propter eandem carnem perpetraui. Sed quoniã vestitus hic, & insignia, seruorum cœlestis Regis sunt propria, (dicente ipsomet Rege, d *qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt*) ego, Rex æterne, maximi pendam seruus tuus esse: ideoque ex nunc insignia tua induere, e *mortificationemq; tuam in corpore meo*, exemplo præcursoris tui, *circumferre* statuo.

c *Rom. 12. 1.*

d *Matt. 11.*

e *2. Cor. 4. 10.*

II.

Ipsivs occupatio exercitatioque, erat Oratio & contemplatio perpetua, eaq; valde eleuata, vsus, ex priuilegio singulari, Magistro Spiritu sancto, qui vt eum f *in solitudinem deduxit, ita ad cor ei locutus est*, eundem docens, & miris illustrationibus, consolationibusque abundantioribus afficiens, quàm Moysen, Eliam, Dauidem, reliquosve, qui ipsum præcesserunt Prophetas. cuius singularitatis eam inter alias causam ponderabo: quòd, cùm non sit possibile, absque voluptate aliqua vitam hanc transigere; quò quis ob Dei amorem magis se carnis voluptatibus priuat, eò copiosioribus spiritûs voluptatibus afficitur. Cùm ergo Diuus Ioannes omninò renunciasset diuitiis, honoribus, dignitatibus, ac paternæ domûs deliciis; affligeret verò ex altera parte asperrimè carnem suam, præmia à Deo referebat in centuplo, ineffabilibus cœlestibus gaudiis affectus,

f *Osea 2. 14.*

S. *Grego. 18. Moral. c. 8.*

ita vt desertum illi, domus esset recreationis; spelunca, instar cœli; solitudo occasio societatis & colloquiorum cum Angelis, cum ipso Deo. Lex quo magnum spiritum affectumque tum ad corporis asperitates, quas tantis Deus afficit delicijs cœlestibus; tum ad ipsam Orationem & cum Deo familiaritatem, ex qua tanta prouenit consolatio & impulsus ad maiora, omnino concipiam; contendamque ad g *montem myrrhæ, & thuris collem* conscendere, qui mutuas sibi porrigunt manus. Ad quod ab Spiritu sancto petam, mihi vt sit interiùs Magister; quamuis spirituales magistros, quos ipse in Ecclesia posuit, non propterea præterire debeam: neque enim eo mecum priuilegio aget, quo ergà Baptistam est vsus.

g *Cant. 4. 6 ex Gregor. 1. Dial. c. 1.*

III. EXCELLVIT tertiò in fortitudine & animi constantiâ, per tot annos in duplici hoc exercitiorũ genere perseuerans. Et credibile valde est, eodẽ tempore grauissimas eũ passum esse tentatiões & pugnas à dęmone. Si enim Christus quadraginta dierum spatio, quo fuit in deserto, eas pertulit: quomodo S. Ioannes tot annis, tam perfectam vitam sequens, sine tentationibus mansisset? contra quam rabidâ iuuidiâ hostis vrebatur, optabatque propterea eum deiicere, qui h *electo cibo* delectatur, i *& fiduciam habet, quòd Iordanis*, hoc est sanctus, pœnitentiæ maximè deditus, *influat in os eius.* Proposuerit illi fortè delicias paternæ domûs, & inter cognatos dignitatem sacerdo-

h *Hab. 1. 16.*
i *Iob. 40. 18.*

talem,

talem, quam hæreditate habere poterat; vitæ, quam aſpicabatur, aſperitatẽ; & ſimiles alias viſibiles & inuiſibiles oppoſuerit difficultates, permittente id Deo, ad ipſius ſancti exercitationem, quò in omni virtute ac fortitudine progreſſum faceret, vtpotè qui ſtrenuè hoſti reſiſtens, triumphum ſemper de eo reportaret.

Quartò erat inſignis in cordis puritate, leuiſſimas etiam defectus diligentiſſimè deuitans; feruore proficiendi in omnibus his virtutibus, vt indicat S. Lucas illis verbis: k *Puer autem creſcebat & confortabatur ſpiritu.* quia Spiritus ſanctus eum cõfortabat iuuabatque, vt impleretur in eo illud Dauidis: l *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* Et ibi *de virtute in virtutem,* donec *videatur Deus Deorum in Sion.* IV.

k *Luc. 1. 80.*

l *Pſal. 83. 6.*

Quatuor hæc, in quibus S. Ioannes celebris fuit, omnium ſunt, ad conſcendendum perfectionis faſtigium, & vt quis fiat magnus in oculis Dei, efficaciſſima: quæ propterea meritis eiuſdem Sancti mihi, iuxta capacitatẽ & ſtatum meũ, impertiri ſupplex petam. O Sanctiſſime ſpiritus, conforta debilem ſpiritum meum, vt ſtrenui huius Præcurſoris exemplo, caſtigem ſeuerè carnem meam; malignis ſpiritibus ſtrenuè reſiſtam; proficiamque quotidie in contemplatione ac cœleſtibus virtutibus, m *Creſcens ſicut matutina lux vſque ad perfectum diem.* Amen.

m *Prou. 4. 18.*

PVNCTVM II.

D. Thom. 3. p. q. 38.

A ETATE perfecta: a *Venit in omnem regionem Iordanis, prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorũ, & dicens* b *pœnitentiã agite: appropinquauit enim regnum cœlorum: & tunc exibant ad eum Hierosolyma & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.*

a Luc 3.3.

b Matth. 3. 2,5.

CONSIDERANDVM hîc est. Quis Ioannem ad hæc exercitia induxerit, prædicandi & baptizandi? quo ea spiritu præstabat? quid prædicabat? & quo fructu?

I. PRIMVM, qui eum induxit, Spiritus sanctus fuit, qui eũdem duxerat in desertũ. Eius enim proprium est, postquam suos electos ad magnam perfectionem euexit; eosdẽ inducere, vt alios perficere studeant. id ergo cum S. Ioanne seruauit, vt exiret ex deserto, & prædicaret, c *pararetq; plebem perfectam* Christo *Domino.* Præterea quoniam tot annos fuerat in *vinaria Dei cella*, inebriatus fortissimo charitatis vino, illa eadẽ ipsum ex tanta illa secessione expulit, vt ad homines rediẽs, eos ad sui dilecti obsequium inuitaret. Amor itaq; Dei & proximi, simulque obedientia Spiritus sancti, illum in publicum exire & sese in Israel ostendere iusserunt. Ex quo discam, quid me ad similia exercitia impellere debeat, si in

c Luc. 1. 17.

eisdem

eisdem absque errore versari cupio.

DEINDE, spiritus, quo ille prædicabat, ex parte vna zelosus, & Helias instar, terribilis erat: ex altera misericors & compatiens, instar Moysis, versus Pharisæos & Saducęos, qui peruicatiores erant, zelum terribilibus verbis & horrendis minis ostendebat, dicens: e *Genimina viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* f *& ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham.* parum enim vobis id proderit, si sitis ipsi mali. *Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, quibus promissiones suas adimpleat. Plebem verò & publicanos ac milites benignè omnes nemine excluso, excipiebat; salubria eis consilia dabat, quò suis muniis satisfacerent, eleemosynas iuxta facultates suas elargientes, &c. II.

e *Matt.3.7.*

f *Luc.3.8.*

TERTIÒ, Concionum eius argumentum erat ad pœnitentiam, & dignos eius fructus exhortatio, propositis æterni præmij spe, eò quòd g *regnum cœlorum appropinquaret*; æterniąue supplicij minis, eo quòd *securis ad radicem arboris posita esset: & omnem arborem non ferentem fructum excidendam, & in ignem mittendam esse*: nam DEVM Matthæi 3. 12. *ventilabrum in manu* habere, quo mundi huius *aream expurget: & triticum* (qui boni sunt) *in* cœlestia *horrea*; paleam (qui mali sunt) *in ignem inextinguibilem, mittat*. Hoc totum mihi accommodans meipsum ad pœni- III.

g *Luc.3.9. &c.*

tentiam vtroque hoc nomine, ſpei præmij,& ſupplicij metu,excitabo : cogitans iam fortè ſecurim ad vitæ meæ radicem, vt eam præcidat,eſſe poſitam ; &, niſi me emendauero, futurum me velut paleam,in æterni ignis pabulum deſtinandam.

IV. QVARTÒ,Prædicationis fructus erat vberrimus : innumera enim omnis generis hominum multitudo ad eum confluebat, illi obediebat , magna humilitatis & pœnitudinis ſignificatione ; qua etiam peccata ſua manifeſtans, ſeſe ad baptiſmum offerebat. & quod mirabilius eſt, hæc omnia perſuadebat, nullo edito miraculo , eò quòd ipſius vitam continui cuiuſdam miraculi inſtar habebant. Ex quo apparet, quàm ſit efficax vita immaculata concionatoris, ad perſuadendum , quod populo proponit ; quantumuis difficile illud ſit, & auditores duro ſint corde. O Pater æterne, excita in Eccleſia tua multos Sanctos huius Præcurſoris imitatores, qui filium tuum præcurrant, præparantes illi plebem perfectam ; ſanctam ipſius legem zelo & miſericordiâ prædicantes, vitæ exemplo, quod verbo dicunt, confirmantes: quò fructum copioſum multarum animarum colligant, quæ vitam æternam conſequantur, Amen.

PVNCTVM III.

TERTIÒ eſt conſiderandum, qua ratione S. Ioannis authoritas creuerit apud plebẽ

adeò,

adeò, vt a *cogitare cæperint*, teste Luc. *in cordib⁹ suis, an ipse* Ioannes *esset Christus*, & Messias in lege promissus? & aliqui id apud se omninò statuebant. sed sanctus Præcursor, vbi id vel per reuelationem Dei, vel ex verbis aut alijs à plebe editis signis cognouit, statim contradixit, dicens: b *ego baptizo vos aqua: venit aũt fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiã calceamentorum eius, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* c Consideranda hîc est rara S. Ioannis animi demissio, quam tribus heroicis actibus in sua maxima dignitate constitutus demonstrauit. PRIMVS fuit, quod non se vanè extulerit ex adeò asperâ vitæ ratione, quam tenebat; nec ex insignibus Dei donis ac fauoribus, quibus à Deo in contemplatione afficiebatur; nec ex populi tanto applausu; nec ex tanta de se conceptâ opinione, aut exhibito sibi honore: est enim (vt S. Bernardus ait) rarissimum, & paucissimorum, ac clarissimorum sanctorum, animi demissionem cum innocentia & sanctitate honorata coniungere, & in eo sanctus Ioannes, etsi Nazaræus, fuit illis tamen dissimilis, qui non nutriuit comam altarum cogitationum, sed profundas iecit in suæ vilitatis abysso radices.

a *Luc. 3. 15.*

b *Luc. 3. 16.*
b *Mat. 3. 11.*

I.

c *Eccl. 3. 20*

Ser. 13. & 42. in Cãt. & Ep. 42. Greg. lib. 1. Moral. c. 26

II.

SECVNDVS fuit actus, propriam abiectionem, Christi verò excellentiam, palàm confiteri, cùm quasi diceret: quamuis altè vos de me sentiatis, scitote alium esse me fortiorem, potentiorem in verbo & opere: nec

vulgaris hæc est distantia, sed ingens adeò, *vt non sim dignus* qui inter eius mancipia numerer, aut abiectissima in eius obsequio officia exerceam, quale esset *corrigiam calceamentorum eius soluere*. Ex quo apparet, perfectè humilem, quò sanctior est, eò se viliorem abiectioremque in diuinis oculis reputare, nec dignum, qui eius fiat mancipium: nec contentum esse ita de se sentire; nisi & eãdem reliqui de ipso opinionem concipiant.

III. TERTIVS fuit actus, proprium baptismum deprimere, Christi verò extollere; dicens, suum esse in sola aqua, inefficacem ad delenda peccata & mundandam animam eorum, qui lauarentur; venturum tamen alterum, qui suo baptismo Spiritum S. daret, ignemque diuini amoris. Ex quo etiam demissi virtus elucet, opera sua, quà ipsius sunt, contemnentis; cupiẽtisque non pluris ea ab alijs fieri, quàm reipsa facienda sint; Dei verò opera extollentis, & ab omnibus, vt par est, æstimari optantis.

TRIBVS hisce demissionis actibus meditatis, magnum concipiam pudorem, quòd videâ me longè ab illis abesse, & superbiæ propensionem sequi; quæ me ad actus planè contrarios trahit: statuam igitur firmiter, illos demissionis actus in posterum imitari, iuxta vitæ meæ conditionem & qualitatem: siquidem absque tali demissione nec sanctitas vera, nec secura est vlla altitudo & dignitas, nec, quæ meæ sunt, partes ita præstare potero, vt Deo & angelis placeam, proximosque ædificem.

O glorioſe Præcurſor, exulto animo, cum te apud Deum & homines in tanto honore conſtitutum, de te ipſo verò tam demiſsè videò ſentientem. Ora, quæſo, eum, qui adeò rara te animi demiſſione ornauit, mihi vt partem eius aliquam impertiatur: ne ſuperbia meâ id amittam, quod ipſe conceſſerit gratiâ ſuâ. O anima mea, ſiquidem d *in medio tui* & in te ipſa *humiliationis cauſam* habes, ob notiſſimam tuam paupertatem, & ſpiritus miſeriam; agnoſce quod es, & te ipſam iuxta merita tua abijce: quò enim Deo acceptior eſt dues humilis; eò *e* eſt odibilior *pauper ſuperbus*.

d *Mich. 6. 14.*

e *Eccl. 26. 4*

MEDITATIO II.

CIRCA INTERROGATIONES S. Iohanni propoſitas, quibus quæſitum ab eo eſt: quiſnam eſſet? & quale is Chriſto Domino, quale ſibi teſtimonium dederit: quo inſignem animi demiſſionem ac ſanctitatem oſtendit.

RESCENTE rumore plebis, quòd S. Ioannes eſſet Meſſias, a *Miſerũt Iudæi ab Ieroſolymis ſacerdotes & Leuitas, vt interrogarent eum; Tu quis es?* qui dum reſpondet, qua

a *Ioh. 1, 19.*

tuor

tuor animi demissi actus heroicos aperuit, qui spiritualis vitæ in summâ suâ perfectione sunt tanquam fundamenta; quibus alij multi huius & aliarum virtutum actus sunt coniuncti.

PVNCTVM I.

I. PRIMVM interrogatus: *Tu quis es? confessus est, & non negauit: & confessus est, quia ego non sum Christus.* In hac responsione elucet primus sancti huius heroicus demissionis actus, qui ei fundamento, ne honorē Christo debitum, sibi vsurparet; sed ei redderet, cuius erat, & cui iure debebatur, adeò innixum erat, vt sine mora in momento, apertâ & magnâ asseueratione veritatem non negarit, sed confessus asseuerarit, se non esse Christum: milliesque idem confessus fuisset ac cōfirmasset, si toties interrogatus fuisset. vt enim superbia summè appetit diuinitatis Christi excellentiam, esseque sicut Deus; ita animi demissio summè diabolicam talem præsumptionem detestatur, & vt superbia illa a *Luciferum & eius Angelos è cœlo*, b *Adamum & Euam ex paradiso* eiecit, multosque mundi huius c *principes & Monarchas* detrusit in infernum: quia reprobationis Sathanæque filiorum d (*qui rex est super omnes filios superbiæ*) indicium est: ita huic aduersa humilitas seruauit e *Angelos in Cœlo*, sanctum Præcursorem & f *Apostolos Christi*, qui quancunque

a *Isai.14. 11*
b *Gen. 3.24*
c *Ezec. 28. 2.8.*
d *Iob.41.25*
e *Apo.12.11*
f *Act.14.14*
Greg.34. Mor.c.18.

adora-

adorationem, siue *diuinitatis honorem sibi oblatum constantissimè reiecerunt*: quod signum est electorum, qui in omnibus & per omnia DEO volunt esse subiecti: cupientes eidem pro omnibus, quæ ipsius sunt, gloriam & honorem deferri.

II.

CONSIDERANDA etiam Satanæ astutia, qui Ioannis sanctitati inuidens, cùm eum nũquam antea varijs tentationum machinis adhibitis superare potuisset, hanc fortissimam construxit, vt diuinitatis ei honor dignitasque à Iudæis offerretur, persuasus, hâc viâ omninò illum superandum, quâ se nouerat superatum. Qua etiam arte sanctos aggredi consueuit, ita res dirigens, vt maiores honores dignitatesque eis offerantur, quàm ipsi mereãtur, vt eos inde facilè præcipitet. Sed electi in vera humilitate fundati, seipsos agnoscentes, quamcunque præeminentiam, dignitatem, nomen, locum aut titulum, quæ sua merita vident excedere, detestantur; ijs contenti, quæ meritis suis vident respondere; aduertentes se non posse vtrumque sustinere. Ac propterea g *quò se maiores*, & in altiori loco constitutos vident, eò se magis *in omnibus humiliant* (vt Sapiens ait) quò maior DEO honor deferatur. O DEVS omnipotens, quem verè honorant humiles, concede mihi veram animi demissionem, vt eum, quo dignus es, honorem tibi deferam; eum verò, quem promeritus nõ sum, omninò detester.

g *Eccl 3.20*

PVNCTVM II.

SECVNDA sacerdotum interrogatio fuit: a *Elias es tu? Cui respondit Ioannes: Non sum: Prophetaes tu? respondet: Non.* In his responsis elucet secundus humilitatis heroicus S. Ioannis actus, quem proximè præcedenti adiunxit. qui enim potuit fateri se Eliam esse eo sensu, quo eum Christus *Eliam* in spiritu appellauit; noluit tamen id affirmare; sed ad interrogantium mentem expeditè respondit: *Non sum*. Verè enim humilis non solùm, quem non meretur, honorem repellit; sed etiam quantum in se est, quem re ipsa meretur & iure posset acceptare, refugit. Et præterea humilis, pura, simplici & absque vlla duplicitatis specie gaudet veritate; cùm præcipuè id ad demissionem suam conferre animaduertit: ac propterea planè confessus est, se Eliam, non esse.

a *Ioan. 1.* I.

b *Mat. 17. 12.*

b *Luc. 1. 17.*

II. POTVISSET etiam verè dicere se esse *Prophetam*. sed respondit, *Non:* eo sensu, quo vulgò Prophetæ dicuntur, qui prædicunt futura. Solet enim verè humilis inuentiones quærere sua tegendi, & meritos etiã effugiendi honores. Cũ contra superbus modos inueniat, etiã quæ non habet ostentandi, vt etiam non debitum sibi honorem consequitur, etiamsi ad id mendacia aut exaggerationes sint adhibẽdæ.

c *Mat. 11. 9.*

III. DENIQVE ad omnia interrogata breuissimè & ficcissimè respondit, ita vt breuitas & ficcitas in singulis responsis crescceret, vsque ad simplicissimum & ficcissimum *Non*. Nã verè

humi-

humilis tantũ abeſt ab oſculo manuũ eorum, qui honorem ipſi deferunt, & laudantes adulantur; vt ſiccè potiùs aſpereque eos excipiat: quia nec ſibi de honore delato, aut famâ blanditur, nec d *vidit* (vt Iob ait) *ſolem* mundanæ gloriæ *cùm fulgeret: & lunam* famæ *incedentem clarè*, nec *lætatum eſt in abſcondito cor eius, nec oſculatus eſt manum ſuam ore ſuo*, quod eſt dicere, nec in eo, quod reuerà habet, neque in eo quod de ipſo fertur eſt delectatus. O iuſtitiæ ſol, à quo tantũ præcurſor tuus luminis, ad mundi huius ſplendorem contemnendũ accepit, ſimili quæſo me luce illuſtra, ne cũ voluptate aſpiciã, quod me ſua excœcat vanitate.

d *Iob. 31.26*

PVNCTVM III.

TERTIA fuit quæſtio: a *Quis ergò es? vt reſponſum demus ijs qui miſerunt nos: quid dicis de te ipſo? ait*: b *Ego vox clamãtis in deſerto, dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta*. In qua reſponſione tertius elucet heroicus demiſſionis S. Ioh. actus, qui ſimul & officium quod ex parte DEI, & nihilũ quod ex ſuâ haberet, aperuit: officium inquit meum eſt, vt ſim VOX, & præco Chriſti, monens homines, vt, ad ipſum excipiendum, ſe præparent; vocauit ergò ſe *vocem*, quia vt vox nullum eſſe aut permanentiam ex ſe habet, ſed à loquente & proferente tota dependet; ita ipſe de ſe ipſo ſentiebat, ſe nec eſſe nec valorem vllum à ſeipſo in eo officio habere; ſed totum, quidquid illud eſſet, accipere ſe à DEO, qui per ipſum loquebatur, & cuius ipſe

a *Ioan. 1.22.*

b *Iſa. 40.3.*

vox erat. Ex quo apparet humilitatem non esse cœcam ad dona, quæ ex DEO habet, cognoscenda; nec mutam ad confitenda, cùm est opportunum; ita tamen, vt etiam tunc verbis humilibus ea manifestet, quibus ostendit se à DEO pendere, & nihil à se habere, vt ex omnibus DEO gloria tribuatur.

PRAETEREA, vt S. Ioannes non respondit, se Zachariæ filium esse, & ex sacerdotali tribu; sed esse vocem Christi, quia hoc solùm omnibus præfert; sic humilis non gloriatur, nec iactat genus, aut carnis parentes, aut officia hæreditate obtenta; sed seruum se esse Christi, faciendæ ipsius voluntati consecratum, & hoc dicit se esse, & nihil aliud, iuxta Salomonem: c DEVM *time & mandata eius obserua; hoc est enim omnis homo*. atque si dicat in hoc consistit verum esse hominis, de quo super omnia glorietur: cuius contrarium facit superbia, quæ gloriatur & iactat gloriâ à parentibus, & à genere, & vt Oseas loquitur: d *Gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu.*

c *Eccl.12. 13*

d *Osea 9. 11.*

DENIQVE obserua, quo pacto S. Ioannes sese *vocem* appellarit, quæ clamat: *Præparate viam Domino:* nam & vita, & doctrina, exempla & verba *vox* erant, cohortans ad sanctitatem & perfectionem: eratque *vox* DEI, per quam DEI magnitudo & maiestas cognoscebatur, sicut homo ex voce sua cognoscitur; ad cuius imitationem conabor & ego vox esse Christi in omnibus, quæ dixero & fecero. O

DEVS

DEVS æterne, fac me vnici filij tui Iesu Christi vocem, vitâ adeò mihi perfectâ concessâ, vt ea sit vox clamans eius gloriam; non mihi ipsi eam vendicans, sed tibi; à quo quicquid est bonum, profluit: cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PVNCTVM IV.

VLTIMA quæstio fuit: a *Quid ergò baptizas, si tu non es Christus, neq; Elias, neq; Propheta? Respondit eis Ioannes, dicens: ego baptizo in aqua: medius autem vestrùm stetit, quem nos nescitis: ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.* In hac S. Ioannis responsione quartus elucet actus heroicus, eius animi demissionis. *Primùm* quod reprehensus vsurpati baptizandi officij cùm propheta non esset; non vsus est excusatione, aut defensione sui, quamuis verè dicere potuisset, propterea se baptizare, quòd DEVS ita iussisset; sed tacere potius id vòluit, ne sese honorare, aut sibi authoritatem conciliare videretur. Delectatur enim humilis reprehẽsione sibi innocenti obiecta; nec vult honoris sui secretum pandere, nisi cùm id cedit in DEI gloriã, quam in omnibus studet promouere. II.

a *Ioan. 1. 25.*

SED vlteriùs S. Ioannes progressus est: nam coram illis Sacerdotibus & Leuitis ratificauit testimonium, quòd Christo & sibi coram tota plebe aliâs dederat; seipsum suumq; baptismum deprimens, Christi verò extollens

personam, vt in fine proximæ Meditationis obseruauimus. Quia enim illi, quibus respondebat, principales erant, & ipsius responsa ad totum senatum in Ierusalem delaturi, libenter aperuit illis, quis ipse, & quis Christus esset; vt ad omnium id notitiam perueniret, & ita Christus omnibus, vt verus Messias, venerationi esset; ipse verò non nisi vt vox haberetur; & Christi baptismus multò pluris æstimaretur; ideoque libentiùs eum susciperent. Ex quo facilè apparet iure merito Christum de eo dixisse; non esse b *arundinem* quæ *vento* quouis *agitaretur*, sed firmum vt terram, vtpote solidè supra suo nihilo fundatum & vniuersim humilium est, in suis animi decretis constantes esse: tam vt se abijciant, quâ vt Deum extollant; estque sibi volupe hæc in totius mundi conspectu facere; quò propria vilitas, DEI verò celsitudo magis innotescat. O DEVS æterne, qui proprijs manibus hoc humilitatis exemplar fabricasti, & ante filij tui, qui eius virtutis Magister veniebat, faciem illud præmisisti, adiuua me, vt in his exemplis discam humilitatem, qua meum cor ad gratiæ tuæ dona disponam, quæ superbis denegas, humilibus autem liberaliter largiris; quò ex sua illos vilitate ad gloriæ tuæ celsitudinem in æternum extollas. Amen.

b *Mat. 11.7*

MEDITATIO III.

DE CHRISTI DOMINI nostri Baptismo.

PVNCTVM I.

PRIMVM considerandum est, Christum Dominum cum triginta esset annorum, matri suæ sanctissimæ valedixisse, dicentem, peruenisse iam tempus, quo sese mundo manifestaret, ac Redemptoris Doctorisque officio fungeretur. Ex qua valedictione, etsi aliquo illa sensu, ob solitudinem ex filij ad dies aliquot absentia, tangeretur, eum tamen non æquo solùm animo accepit, sed etiam lubenti, ob desiderium, quo tenebatur nostræ salutis, volũtatem DEI propriæ, & commune nostrum commodum proprio gustui anteponens. Statim itaq; Christus Dominus a *Iordanem* versus rectà contendit, vbi S. Ioannes conciones suas habebat, ac publicanos, & peccatores omnes baptizabat, quotquot baptismum illius suscipere volebant. Quibus ipse Dominus se adiũgens, concionemque audiens, petijt baptizari.

a *Mat.3.13. Marc.1.7. Luc.3.21. Ioh.1.32. D.Tho.3. p.q.36.*

CIRCA hanc historiam considerandæ sunt facti huius Christi Domini causæ, quarum prima fuit, vt Concionatoris & Magistri munus auspicaturus, raræ humilitatis exemplum exhiberet: quo se Magistrum discipulo, Redemptorem redempto

DEI viui filium præcursori famuloque suo subiecit: omnisque sanctitatis author, peccatoris figuram accepit. Nam cùm ipse Christus sapientia esset infinita, omniumque magister, inter milites tamen, & publicanos se se còllocauit, vt S. Ioannis concionem audiret, & cùm ab omni macula purissimus esset, peccatorum tamen baptismum petijt, atque si & ipse esset peccator; idque nulla obligante lege; sed propria sese ad peccatorum similitudinem humiliandi voluntate; sicut etiam infans circumcidi voluit; aliorum infantum more, qui essent in peccato concepti. O agne innocentissime, qui tollis peccata mundi, quid tibi & baptismo isti? quid tibi cum sordidæ plebis, peccatis maculatæ, lotione? Tu, Domine, cùm peccator non sis; haberi tamen vis? ego, cùm sim peccator; iustus tamen haberi volo. O vtinam superbia hæc mea tantæ humilitatis tuæ exemplo consumeretur & euanescceret.

HINC intelligam, bonum rerum magnarum initium ab humilitatis exercitijs esse sumendum, qua nos disponamus, vt DEVS multa magnæ suæ gloriæ opera per nos efficiens, cùm voluerit faciat manifestos. Et hoc Isaias indicauit, dicens: b *Et mittet, quod saluatum fuerit de domo Iuda, radicem deorsum; & faciet fructum sursum*; quasi distinctius diceret.

b *Isai. 37. 31*

PRIMVM humilitate sese sub terram, instar radicum arborum abscondenti, postea

seipsos

seipsos glorioſis operibus proferent, ſicut arbor fructibus ſuis manifeſtatur.

QVAPROPTER, ſi cupis, anima mea, perfectionis turrim, quam moliris, ad cœlum vſque pertingere, deprime teipſam vſque ad abyſſum: quò enim altiùs eſt aſcenſurum ædificium, eò neceſſe eſt altiùs iacere fundamentum. *Aug ſer. 10. de verbis Domini.*

HINC etiam intelligam, humilitatem, optimam eſſe ad baptiſmum & pœnitentiam diſpoſitionem, & ad puritatem animæ, quæ his ſacramentis communicatur, obtinendam, dum me peccatorem lotione ac puritate à culpis indigentem agnoſco, dicens Domino cum Dauide: c *Aſperges me hyſſopo, & mundabor; lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* c *Pſal 50. 9. Greg in 4 Pſal pœn.*

O dulcis IESV, qui ex humilitate voluiſti à Iohanne, ſolius aquæ baptiſmo abluí; laua me gratiæ tuæ aqua, in virtute pretioſi tui ſanguinis, hyſſopo humilitatis admixti. O anima mea, excellentem hanc virtutem amplectere, quæ hyſſopi inſtar viuam gratiæ aquam, & ſanguinis Saluatoris, in ara crucis multis tormentis effuſi, virtutem colligit, quo me à lepra mundet peccatorum.

SECVNDA eiuſdem facti fuit cauſſa, quòd priùs faceret quàm doceret; & quoniam ſtatuerat nouum ex aqua & Spiritu ſancto baptiſmum prædicare, voluit priùs hunc ex aqua ſola ſuſcipere; ne quis ip- II.

sius adeò pretiosum baptismum suscipere dedignaretur: Eadem verò opera Præcursoris sui baptismum voluit commendare; dum reipsa illum ipse suscepit: sicut voluit etiam circumcisionem accipere, quo ostenderet se legem illam approbare, & tanquam DEI legem venerari.

EX quo colligam obligationem, qua teneor, Euangelica præcepta consiliaque seruare: hoc est enim, illa opera approbare & venerari; sicut legem transgredi, est, illam reipsa reprobare & spernere, d *Legislatorem verò eius inhonorare* vt ait Apostolus. Quod si Christus Dominus Iohannis baptismum suscipere voluit, cùm ad id nulla lege teneretur, quantò magis erit rationi consentaneum, me ipsius præcepta & consilia custodire, præstando reipsa plura, etiam quàm tenear, præcipuè in humilitatis negotio.

d *Ro.2.23.*

PVNCTVM II.

CVM Christus à Ioanne baptismum petijt, ipseque in procinctu esset, vt conferret, Spiritus sanctus ei reuelauit, hominem illum Christum esse & Messiam (a *neque enim* de facie *eum* sciebat) b *Iohannes* tunc *prohibebat eum dicens: Ego à te debeo baptizari & tu venis ad me? respondit autem Iesus dixit ei, sine modò: sic enim decet nos implere omnem iustitiam.*

a *Ioh 1.33.*
b *Mat.3.14*

HIC

I.

HIC primùm obserua ingens sancti Iohannis gaudium, & lætitiam, qua eius anima fuit perfusa, cùm Christum Dominum nouit, renouatis hîc iubilis illis, quibus in materno vtero fuit affectus, cum hoc vero gaudio insignem iunxit reuerentiam & animi demissionem, seipsum peccatorem confitens, & Christi baptismo in Spiritu sancto, quo purgaretur, indigentem: ideoque admiratione & stupore plenus, cùm Iesum adeò videret se humiliantem, in verba illa prorupit: *Tu venis ad me?* tu DEVS infinite, tu mundi Saluator, & peccatorum Remissor, tu qui me in materno vtero sanctificasti, ad me venis? ad me creaturam tuam, mancipium, vilemque vermiculum? & quidem, vt ego te aquâ solâ baptizem, Authorem baptismi gratiæ?

O profundissima Domini mei demissio; Hic similes affectus promouere in me debeo, cùm potissimùm ad sacram Eucharistiam accedere volo, in vtraque cognitione DEI & mei ipsius, meipsum exercens, & porrò etiam in affectibus ex ea prouenientibus, qui semper tanquam germani fratres coniuncti, alter alterum mutuò iuuat.

II.

ATTENTISSIME perpendenda est admiranda Christi responsio: *sic decet nos implere omnem iustitiam*, & quicquid pertinet ad sancti-

tatem; me quidem ad baptismum tuum demittendo; te, vt me baptizes, mihi obtemperando. Qua sententia nobis significauit: omnem nostram sanctitatem, humilitate & obedientiâ contineri: humilitatem inquam, coram Deo & hominibus; obedientiam verò eidem Deo eiusque ministris præstantes, & harum virtutum gradus tres complectens: *Primùm*, quo maioribus nos subiicimus, quocunque nomine superiores illi sint, dignitate, officio, ætate, scientiâ: *Secundum*, (qui perfectior est) quo subiicimus nos etiam a qualibus, potiorem illis honorem & locum libenter cedentes, & in eo quòd cupiunt, modò sit bonum, eis obedientes, atq; si nostri superiores id iuberent. *Tertium*, eumque perfectissimum, cùm etiã inferioribus ita demissè prõpteque obtemperamus, atque si c *nostri essent superiores*; Et quoniam hoc gradu has virtutes Christus hodie exercuit, & ea ratione suum verè compendium totius iustitiæ & sanctitatis, eo gradu eas procurare meritò nobis debemus, d *subijcientes nos* (vt S. Petrus ait) *omni humanæ creaturæ propter Deum*, in ijs quæ sanctissimæ eius voluntati conformia sunt, seruatâ tamen iuxta D. Gregorij sententiam, externa authoritate & decentiâ, quam iuxta prudentiæ leges cuiusque status exigit. Præterea vtraque hac virtute omnem implemus iustitiam, erga Deum, nos ipsos, & proximos, quam Micheas verbis illis expresit: *Facere iudicium, diligere misericordiam, & solicitum*

Humilitatis & obedientiæ gradus.

c *Phil. 2. 4.*

d *1. Pet. 2. 13*

Miche. 6. 8

ambu-

ambulare coram Deo: Nam illæ virtutes sunt, quæ nos ad diuinam reuerentiam & obedientiam; ad nos ipsos mortificandos, & contemnendos; ad bonum exemplum proximis dandum, pacemque cum illis habendam incitant, & permouent. Omnia hæc complexus est Christus hac sua responsione: ideoque debeo me hoc spiritu excitare ad vtriusque virtutis exercitationem: hæc mecum ipse colloquens: sic te decet implere omnem iustitiam, nō eius partem sed totam; non dimidiato corde, sed integro & perfecto; & quamuis magnus in mundo sis, & quamcunque in Ecclesia dignitatem obtineas, refert plurimùm omnem implere iustitiam, te ipsum demittendo, & obediendo, sicut fecit Christus cum suo præcursore, & præcursor ipse cum Christo.

TERTIÒ, obseruabo, Ioannem è vestigio Christo obtemperasse, tribus illis gradibus, qui obedientiam perficiunt: in exacta videlicet executione, voluntatis promptitudine, & iudicij proprij subiectiõe, & ita quò Christo Domino obediret, summâ reuerentia eum baptizauit; cõplacet enim sibi Christus, dum ipsius serui proprium iudicium diuino ipsius iudicio subiiciunt, nec cõtra ipsius decretum duros se exhibent, sicut Petrus, cùm imperfectus adhuc esset, f *Lauari à Christo recusabat*, in qua obstinatione si perstitisset, *partem cum eo non habuisset*, amicitiamque & gratiam eius amisisset, vt suo loco dicetur. III.

f *Ioh.13.8.*

PVNCTVM III.

VIDENS æternus Pater vnigenitum suum adeo humiliatum, iudicauit se ad eundē honorādum, & auctoritatē eius promouendam, illius sententiæ iure teneri: a *Qui se humiliat exaltabitur:* ideoque solet DEVS in eo ipso hominem exaltare, quo se ipse demisit; vt qui se eò demittit vt insipiēs, aut peccator habeatur; eū DEVS in sapiētia & sanctitate exaltat. Tria verò excellentissima media pater æternus ad honorem filio cōciliandum in hac occasione adhibuit, quæ ex verbis Sanctorum Euangelistarum considerabimus.

a *Luc.14.11*

APERTI SVNT EI COELI.

PRIMVM fuit medium, quòd cœli, admirando splēdore & reclusione quæ in aēre formata fuit, aperti fuerunt. Aitq; S. Matth. apertos fuisse. b *Ei* hoc est eius causa, ad eius honorem: quò ostenderetur, Christum Dñm hominē esse, non terrenū aut ex *terra* factū, vt Adamus fuit, Sed *cœlestem è cœlo* venisse, & consequenter vitā eius, doctrinā, legē, & opera eius omnia cęlestia esse. Item aperti sunt *ei*, vt indicaretur, per ipsū referendas fore cœlorum portas ijs omnibus, qui illū imitarētur; nam, ad eius imitationē, ipsos quoq; futuros cœlestes: quo etiā confirmabatur ei⁹ Thematis veritas, quod S. Ioan. in sua prędicatione proponebat: pœnitentiam agite; quia appropinquauit regnum cęlorum: apertis enim cœlis ipsi

b *Matt.3.16*
c *1.Cor.15.47.*

Christo

Christo significabatur, ijs etiam aperiendos, qui agerent pœnitentiã, & eius amplecterentur doctrinam. S. Marc. ait: *Et vidit cœlos apertos*, quò significatur, Christum Dominum nostrum infinitâ suâ sapientiâ cœlestia omnia secreta penetrasse; & porrò vt oculatũ testem *enarraturum* nobis, quæ illic gererentur; & per ipsam nobis aperienda ita, vt in terra adhuc manẽtes possemus, sicut *S. Stephanus videre* & contemplari secreta cœlestia, ibique *conuersationem nostram* habere. O cœlestis Adam, Christe IESV, iure meritò tibi cęli aperiuntur, vt honorificeris, qui demissione tua eos es promeritus, & expugnasti. iure ergo meritò tibi aperiuntur, teq; vt eò conscendas inuitant, quia tui sunt; Aperi & mihi illos, Domine, ita vt amplius mihi non occludantur. quare dele Domine ex anima mea terreni h *Adami imaginem*, tuam verò imprime *cœlestem*.

d *Marc.1.10*

e *Ioan.1.18.*

f *Act.7.56.*

g *Phil.3.20.*

h *1.Cor.15. 49.*

i *Descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum.*

i *Luc.3.22.*

SECVNDVM medium, quo pater æternus est est vsus ad filij sui honorem, fuit Spiritus sancti in specie colũbæ missio, quę super eius caput sedit, quò externâ illâ forma plenitudinem ipsius Spiritus sancti, qui ab initio ipsius conceptionis intus latebat, significaret l *requiescens super hanc virgam, & florẽ Iesse* cum septem donorum suorum immensitate Venit verò in specie columbæ ad notandũ *in primis*

l *Isai.11.2.* *D.Thom.3. p.q.39.a.6. ad 4.*

inno-

innocentiam, puritatem & manſuetudinem Chriſti, vt omnes intelligerent, eum, etſi pœnitẽtiæ baptiſmo ablutũ, non eſſe tamen peccatorem, nec aliquid ei cum peccatoribus eſſe cõmune, ſed iuſtum, purum, ſyncerũ, inſtar columbæ abſq; m *peccati* felle, aut iræ abſque duplicitate, aut *dolo* aliquo. *Deinde* vt ſignificaretur, eum non ſolùm ab omni peccato immunem eſſe, ſed agnũ eſſe Dei, qui mundi peccata deleret. vt enim n *columba* tempore Noe *ramũ oliuæ portauit* in ſignũ *ceſſationis aquarũ diluuij*: ita eadẽ eſt nunc indicũ, Chriſti præſentiâ & meritis ceſſaturũ diluuium peccatorum, quo mundus ſubmergebatur. *Tertiò*, vt indicaretur, hunc Dominum neq; ſolitarium nec ſterilem futurum, ſed fœcundum, qui plurimam ſobolem, innocentiæ ſuæ imitatricem eſſet procreaturus; ex quibus Eccleſia vna cõſurgeret vni° fidei charitatiſq; vnitione coniuncta, de qua illud diceretur: o *Vna eſt colũba mea*. O Spiritus ſanctiſſime, gratias ago pro tanto teſtimonio innocẽtiæ Sanctitatiſq; Saluatori noſtro reddito: veni etiam ſicut columba ſuper me; puritateque & ſanctitate tua me reple. p *O vtinam alas mihi dares ſicut columbæ*, quibus ad foramina viuæ huius petræ *volarem*, ſuper qua-n hodie requieuiſti: quò intra ipſius cor, meum requieſceret, eidem ſtricto amore coniunctum.

Poſſum ſimul S. Ioannis gaudium conſiderare, quo fuit perfuſus, cùm q *Spiritum ſanctum ſicut columbam* ſuper Chriſtum *deſcen-*

m 1. Pet. 2. 22.

n Gen. 8. 11.

o Can. 6. 8.

p Pſal. 54. 7

q Ioan. 1. 32.

diſſe

disse vidit, & lætitiam, qua id aliis, qui non viderant, promulgauit, rogaboque eundem Spiritum, vt animæ meæ clarificet oculos, quò fidei lumine cognoscam dona illa & inæstimabiles diuitias, quæ sunt in Christo, vt eum pluris æstimem, ac, vt par est, amem.

r *Et ecce vox de cœlis dicens; Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* r *Matt.3.17*

TERTIVM hoc est medium, quod pater ad filium honorandum adhibuit, voce inquam aperta in aëre efformata, non terribili & terrifica, sed suaui ac dilectionis pleniſſima. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui.* singula enim verba mysterium continent.

Primùm. HIC, atque si diceret: HIC, qui purus homo, mortalis ac patibilis apparet: HIC, qui ex humiliatione peccator apparet, vt qui peccatorum baptismo est ablutus: HIC, s *super quem columba descendit*; HIC, filius est meus: non adoptiuus, vt cæteri iusti, qui præcesserunt, sed naturalis & vnicus, non hoc baptismo, t *Sed ex vtero meo ante Luciferum genitus*, æquè æternus atque ego, æquè sapiens, æquè bonus, quia sicut ego DEVS sum, ita & ipse DEVS est. Quare per excellentiam est *dilectus meus*, quem ego amaui & amo super omnia creata, & quæ creari possunt, idque infinito amore, quo meipsum amo, & in eo mihi cõplaceo, delector gloriorq; eũ me filiũ habere, quia semper ipse mihi placet, u *facitq;* s *Ioan.1.32.* t *Psal.109.3* u *Ioan.8.29*

quæ

quæ mihi placita sunt, ideoque vt mihi gratus esset, tali baptismo opus non habebat, quia ita mihi priùs placuit, vt nemo vnquã absq; illo placere mihi potuerit, aut possit; per ipsum verò placebunt mihi quotquot eum imitabũtur. O Pater æterne, gratias sũmas ago, ob exhibitum filio in tali opportunitate honorem, qua, ob tui amorẽ, ille se demittebat; gaudeo etiam, quòd tantoperè in eo tibi complaceas: per quem supplico, ita mihi adsis, ad eius imitationem facienti ea, quæ tibi placẽt, vt in me quoq; tibi complaceas. O mi Saluator, gratulor tibi honorem hoc die delatũ à tuo Patre & Spiritu sancto; Comprobantibus hisce testimoniis, te nostrum esse Magistrum ac Redemptorem; fac me Domine patri tuo cœlesti gratum, dignumque, quem in filium adoptet.

VLTIMÒ obseruabo, ob Christi Dñi meritã cępisse hodie manifestari TRINITATIS Sanctissimæ mysterium, in voce patris æterni, in columba, quæ Spiritum sanctum referebat; in eo quod pater hic, Christum Dominum, non seruum, sicut apud Isaiam, (cùm dixit: *Ecce seruus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea*) sed FILIVM compellauit, vt eius reuelaret diuinitatem, qui quâ homo, seruus erat. Ex hac consideratione Christo Domino etiam gratias agam, quòd mysterium hoc nobis reuelarit, supplicans etiam, animam meam vt illuminet, quò & intelligere & venerari illud possim.

Isai. 42. 1.

PVNCTVM IV.

QVARTÒ erit considerandum, qua ratione Christus Dominus eo tempore (iuxta D. Thomæ sentẽtiam) sui instituerit baptismum, longè alium à S. Ioannis baptismo, qui eam virtutem & efficacitatẽ ei tribuit, quam prodigiosa hæc tria signa repræsentant, vt aperiat videlicet nobis portas cœli, vt gratias donaq; Spiritus sancti nobis cõmunicet, & filios Dei adoptiuos efficiat, qui diuinis ipsius oculis, fide & cognitione Sanctissimæ Trinitatis (in cuius virtute & nomine ille confertur) grati reddamur: idq; totum ita planè, baptismus efficit, vt qui nunc statim post illum acceptum, moritur, mox absq; impedimento cœlum ingrediatur, & hæreditatem accipiat filij Dei, in clara eiusdem Sanctissimæ Trinitatis *visione*, qua *beatus* efficiatur. O mundi Saluator gratias ago tibi quas possum, quòd in ipso Euangelicæ legis vestibulo, suaue adeò nobisque commodum sacramentum instituueris, tot prærogatiuis, doniſq; spiritualibus cumulatum, quę per illud nobis communicantur. Gratias item ex toto corde ago ob tantum mihi baptismi collatum beneficium, cùm plurimos eodem priuatos reliqueris, me vero in a *Ecclesiæ tuæ arcam recepe-*
ris vt saluus sim, plurimis, diluuij aquis, perire permissis. Supplico Dñe, ne cęli portæ, q̃ tunc mihi fuerũt apertæ, vnq̃ occludantur; aut Spitus S. qui tum mihi fuit datus, vllo tempore à

I.
D. Thom. 3. p. q. 66. a. 2. Baptismi Sacramentum instituitur.

Matth. 3. 8.

a *1. Pet. 3. 20*

me

me recedat, aut filij DEI dignitatem ad quam tunc euectus fui, vnquam amittã, sed ita tibi semper placeam, vt ad æternam tui fruitionem & gloriam merear peruenire. Amen.

Thom. 3. p. q. 38. art. 6. ad 3.

EST etiam fas credere Christum Dominum nõ solùm suum hodie instituisse Baptismum, sed eundem Præcursori suo tribuisse, illud eius implens votum, quod aperuit, cùm dixit: *Ego àte debeo baptizari*. familiare enim est Christo Domino, illorum explere vota, qui ipsum diligunt, honoreque & præmio gratiæ suæ sibi obedientes ac seruientes afficere: Cùm ergò Ioannes, vt ipsi obediret suo aquæ baptismo eum abluerit; decuit vicissim, eum ab ipso Christo, baptismo Spiritus sancti & ignis baptizari, eundemque excellentissimis gratijs ac cœlestibus donis denuò repleri. O quanta lætitia perfusus fuit S. Præcursor! quamque benè collocatos existimauit officij sui labores, quorum hodie tã copiosum præmium à Christo Domino accepit; Quàm opportunè vsurpare potuisset sententiam illam Simeonis: b *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum*. sed qui feruens gratusque erat, statuit hanc animi gratitudinẽ publico testimonio, Christo dato, ipsius excellentias totius vitæ suæ spatio prædicare, quod reipsa præstitit. Ad cuius imitationem similia ego animi grati concipiam desideria, ob accepta ab ipso beneficia.

b *Luc. 2. 29*

PVNCTVM V.

VLTIMÒ & illud obseruandum, omnia hæc admiranda, Christo Dño a *orante* (vt ait S. Lucas) contigisse: statim enim ac fuit baptizatus, ad orandũ se composuit. & nunc primum in Euangelio legitur Christus orasse: in quo aliquæ orationis excellẽtiæ, necessitas, & frequẽtia, qua fieri debet, nobis indicantur. PRIMA est, quod oratio medium sit efficax ad impetranda à Deo prædicta illa tria admiranda. nam illa nobis cœlos aperit, cœlestiaque reuelat secreta: vt de S. Petro fertur, quòd b *oranti cœlum fuerit apertum*: Plenitudinem etiam obtinet Spiritus sancti, & donorum eius: sicut Apostoli in c *oratione perseuerantes* d *repleti sunt Spiritu sancto*, vt parte V. dicetur. Inter orandum quoque Patris voces hoc est diuinæ eius inspirationes audiuntur, & filiorum Dei obtinetur dignitas, mediaq; quibus eidem placemus. & si orationi demissio animi cõiungatur, vt hoc tẽpore Christus coniunxit, est multò ad omnia prædicta potentior, quia (vt sapiens ait) e *oratio humiliantis se, nubes penetrabit* efficitque vt cœli aperiantur, quò gratiæ ac dona, quæ Pater luminum donare consueuit ad nos descendant.

a *Luc.3.21.*

Orationis efficacitas. I.

b *Act.10.11.*

c *Act.1.14.*

d *2.4.*

e *Eccl.35.21*

CONIVNXIT etiam Christus Dominus orationem baptismo, vt nos doceret, orationem & deuotionem omnia opera nostra & sanctorum Sacramentorum vsum comitari debere, II.

quò ea vt oportet faciamus: Deum orantes, vt obstacula, quæ, ad horum fructum euacuandum, hostes nostri ponunt, ipse remoueat; auxilioq; suo iuuet ad eorũ finem consequendũ.

III. PRAETEREA sua post baptismum oratione docuit nos Christus, quanta sit baptizatis & fidelibus orationis necessitas; ac porrò, quàm proprium illarum exercitiũ id esse debeat, ad imminentes tentationes pręcauẽdas; nouamque vitam, quam sunt professi, auspicandam; & ad gratias & dona in baptismo accepta conseruanda. Credendum est autem, tunc non eam solùm orationis formam Christum habuisse, qua petitur aliquid; sed reliquos etiam modos (quos refert Apostolus) adhibuisse, f *gratias* æterno Patri *referendo* pro collatis in se beneficijs, & mox etiam conferendis; vt fecit, cùm f *Lazarum resuscitauit*.

f *Phil. 4. 6.*
f *1. Tim. 2. 1*
f *Ioan. 11. 41*

Orauit item pro ijs omnibus, qui baptismũ ibi præstolabantur; & qui ipsius postmodũ accepturi erãt baptismũ, quò illũ absq; fictione susciperent; & in genere pro omnibus orauit hominibus; qui quòd in ipso erat, pro omnib' illum instituebat, optabatq; vt omnes illũ susciperent, & gratias ac dona consequerentur, quæ signis illis externis significabantur.

EX omnibus his considerationibus discam, orationẽ magnifacere, & ad eam affici, firmaque animi decreta faciam ea exercendi, Christum ipsum respiciens, cuius meritis à Sanctissima Trinitate petam, concedi mihi orationis spiritum efficacem.

MEDI-

MEDITATIO IV.

DE CHRISTI IN DESERtum post baptismum profectione, vbi quadraginta dies & totidem noctes ieiunauit.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM hîc primùm, Christum Dominum statim post baptismum, præcursore suo, & reliqua plebe in eodem loco relictis a *plenum* (vt Lucas ait) *Spiritu sancto, regressum esse à Iordane:* cuius rei causa fuit, vt virtutes aliquas exerceret ijs familiares, qui Spiritu sancto sunt pleni. *Matt.4.2. Marc.1.12.* a *Luc.4.1.*

Quarum PRIMA fuit, sibi charissima animi demissio: qua voluit humanas laudes & honores vitare. Multitudo enim plebis, quæ viderat audiueratque stupenda illa in eius baptismo, non cessasset eum laudare & honorare, quod ipse fugere volens, se subtrahere & abscondere statuit, non quod illi periculum esset vanitatis; sed vt nos, quibus tale periculum imminet; hoc exemplo remedium doceret; præcipuè in initio, cùm est adhuc virtus tenera, ac propterea in periculo euanescendi, flante vento vanitatis: vt apud Iob scribitur, b *virtutem hypocritarum perire.* b *Iob.8.15.*

SECVNDA fuit causa discedendi ex Iordane, vt doceret; viros Spiritu sancto plenos, etsi exteriores nõ contemnunt cœremonias, qualis erat baptismus ille, in sola aqua; statim tamen ac illis fecerunt satis, ad interiora & altiores virtutis exercitationes confugere; ne quòd ipse Dominus Pharisæis exteriores lotiones magni faciẽtibus dixit, iure aliquo ipsis obiiciatur: c *Populꝰ hic labijs me honorat externis cæremonijs. cor autem eorum longe est à me.* Et, d *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis: intus autem pleni estis immunditia.*

c *Isai.* 21.13. *Matt.*15.8. *Marc.*1.6.
d *Luc.*11.39

TERTIÒ subtraxit se Christus à Iordane, vt doceret eum, qui diuino spiritu plenus est, viditq; secreta cęlestia, ac Dei suauitatẽ in oratione degustauit, statim cupere sese à strepitu & impedimentis popularibus expedire; quò liceat in solitudine, quod vidit ruminare, magisque serio in eorum, quæ sibi ostensa sunt, contemplationẽ incumbere. O IESV dulcissime, imple me Spiritu S. quo tu plenus es, vt propositum à te exemplũ imiter, & quomodo tu te subtraxisti, etiam me ipsum subtraham.

PVNCTVM II.

CONSIDERANDVM deinde: a *Spiritum statim expulisse ac duxisse Christum in desertũ, vbi mansit quadraginta dies & quadraginta noctes,* b *eratq; cum bestijs.* Vbi hæc obseruanda: quis spiritus, quo modo, ad quem locum, & quas ob causas Christum impulerit; quidque ipse illic egerit.

a *Marc.*1.13

PRI-

PRIMVM itaque: Christus non à spiritu vanitatis, aut inordinato, vel humano tantùm affectu ad eam profectionem inductus est; sed à SPIRITV sancto, quo repletus erat. In quo discrimen filiorum Dei & huius sæculi ostenditur: hi enim ad actiones suas à maligno Dæmonis, carnis, mũdi, aut propio impulsu, curuo, & ad iudiciũ ac voluntatẽ propriam inclinato mouẽtur; illi verò bono spiritu aguntur, eius inspirationes impulsusq; cœlestes sequẽtes, iuxta illud Apostoli b *Qui spiritu Dei agũtur, hi sunt filij Dei.* quod si me Dei filium esse glorior: conandum mihi est in meis omnibus actionibus diuini spiritus ductum sequi, non eum qui illi aduersatur.

Spiritus S. impulsus.

b *Rom. 8. 14*

MODVS etiam obseruandus est, quo spiritus Christum mouit; aiunt enim Euãgelistæ fuisse cum festinatione, c *statim,* efficacitate *expulit* & suauitate d *ductus est*, quasi manu duceretur. in quibus etiam ostenduntur ipsius Spiritus S. mores in suis inspirationibus. displicẽt enim illi moræ, dilationes, tepiditas, & laxitas in agendo; sicut etiam violentia & repugnantia: sed e *omnia ipse fortiter suauiterq; disponit.* ideoq; filios Dei decet eadem festinatione, efficacitate, & suauitate illi obtemperare: eiusque directionem cum gaudio, absque distractione ad alia, amplecti: instar quatuor illorum animalium, quæ f *quocunq; impetus spiritus illos ducebat, sequebantur, nec reuertebantur cum ambularent.*

c *Marc. 1. 12*

d *Matt. 4. 1*

e *Sapi. 8. 1.*

f *Ezec. 1. 12.*

LOCVS, quò spiritus Christum impulit, de-

sertus erat, non itaq; in Hierusalem, aut aliam ciuitatem duxit, in qua conuersaretur, & cum hominibus ageret; sed pro eo tempore in desertũ & solitudinẽ, vt ageret inter bestias, quò priùs insignes aliquas exerceret virtutes, quâ se mundo manifestaret, vt exẽplo nos suo doceret. *Primum* ergo voluit humilitatẽ exercere, vt sicut in natiuitate positus fuit in præsepio inter animalia, vt mundũ in humiliatione ingrederetur: ita nunc priusquã eidẽ se mundo manifestaret, quadraginta dies inter bestias voluit Dominus Angelorum versari, quò se pro homine demitteret g *qui* ob sua scelera *factus fuerat* vt iumentum & bestia.

g *Psal 48. 13. & 21.*

DEINDE ad desertum locum est ductus, vt totũ illud tẽpus pœnitentiæ & orationis exercitijs daret: ad q̃ aptissima est solitudo, & desertum: & ita reipsa magnâ suâ voluptate se Christus exercuit, illud vsurpans Canticorũ. h *Vadã ad montẽ myrrhæ, & ad collẽ thuris*, hoc est ad pœnitentiã & deuotionẽ, mortificationẽ & contemplationẽ excellenter exercendã. POENITENTIAM exercuit diu vigilãdo, humi dormiendo, temporũ iniurias absq; defensiõe vlla tolerando, seueriss imè & miraculosè ieiunando: ORATIONEM & contemplationem sine intermissione habuit, ita, vt licèt corpore inter bestias moraretur, spiritu inter Angelos esset in cœlo; & ex deserto illo loco ad æternũ Patrẽ i *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris* ascenderet. Ex quo intelligam, Spiritus S. proprium esse, hæc duo exercitia

h *Cant. 4. 6*

i *Can. 3. 6.*

sugge-

ſuggerere; ac eorum porrò qui Chriſtũ imitari cupiunt, multum eiſdem tẽporis dare: præcipuè tyronum qui viam virtutis incipiunt; & ſimiliter qui in publicum ad res magnas diuini obſequij prodire parant: ij enim quò felicibus auſpicijs res tales aggrediantur, merito ſe ad dies aliquot l *in ſolitudinẽ* recipient, vbi Deus *ad cor illorum loquatur*, doceatq; quę acturi ſunt, ac vires & fortitudinem ad ea exquenda conferat. Proprium eſt ſiquidem (vt ait Iob) m *Regum & Conſulum terræ*, qui animas ſunt gubernaturi ac directuri, priùs *ſibi* huiuſmodi cordis *ſolitudines* ædificare; quò modum eas gubernandi & dirigendi priùs ipſi addiſcant. O Spiritus ſanctiſſime, ſuggere mihi, deduc me efficaciter ad Myrrhæ montem, & thuris colles; vt meum valeam ſaluatorem imitari. O mi Saluator, qui ad exemplum mihi præſtandum vadis in deſertũ, duc & me tecum, ſolitudinem intra me inuenire docens, & in ea pœnitentiam & orationem exercere.

l *Eſter.2.14*

m *Iob.3.14.*

PVNCTVM III.

CONSIDERANDVM: Chriſtum quadraginta dies & quadraginta noctes continuò ieiunaſſe; & huius ieiunijs cauſæ ac circumſtantiæ reliquæ obſeruandæ.

D. Thom. 3.p.q.40.a. 2.ad 3.& q. 41.a.3.

PRINCIPALIS cauſa fuit duplex. *Prima*, quò ipſe primorũ parentũ gulam (qua diuinũ illi præceptũ, fructũ arboris ſciẽtiæ guſtantes, sũt trãſgreſsi) & totius mundi edacitatẽ & ebrietatem lueret; in eadem re volens ipſe pœnam

I.

sustinere, in qua homines deliquerunt; vt discā gulam meā ieiunio castigare, pro qua video ipsū ieiunare. SECVNDA causa fuit, vt baptizatos, qui Deo seruire cupiūt, doceret, carnis insultus ieiunijs domare, & spiritui subiicere; primumq; congressum, circa gulam esse debere: vt hostis domesticus, quo Dœmon aduersus spiritum vtitur; primùm reprimatur. Futuros quoq; S. Euangelij Ministros eadē ratio pugnandi decet a *castigato* (vt Apost. ait) *corpore & in iustam seruitutē redacto; ne cum alijs prædicauerint, ipsi reprobi efficiantur.* Quare si cupis cęlos tibi non occludi, quos baptismus aperuit refręna te ipsum ieiunijs: gula. n. primos nostros parētes è paradyso expulit, & abstinentia inuerit, vt ad illum admittaris.

Cassian. lib. 5. c. 3. Greg. 130. Moral. c. 26

a *1. Corin. 9. 21.*

II. SECVNDÒ ieiunium hoc Christi fuit strictissimū, licèt miraculosum, vtpotè nullo cibo potuve die aut nocte per tot dies sumpto: vt nos doceret ieiunare, quam poterimus exactissimè, nec miraculo vllo petito, nec destructa naturâ aut viribꝰ ita debilitatis, vt diuinū obsequiū impediatur; sed b *contenti* (vt Apost. ait) *sustentatione necessaria,* & c *oblatū corporibus nostris Deo in hostiā viuam, vt sit rationabile obsequium nostrum,* & ieiunium nostrum intra rationis limites contineatur.

b *1. Tim. 6. 8*

c *Rom. 12. 1. Cassian. coll. 21. c. 2.*

III. TERTIÒ ieiunium hoc fuit prolixū per 40. dies & noctes. vt nos doceret in pœnitentiæ operibus, & carnis castigatione constantiam; donec perfectionē cōsequamur. Nam etsi ille vltra quadraginta dies ieiuniū non produxit,

para-

parato tamen erat animo diutiùs protrahere, si id fuisset necessariũ. Eoque ieiunio Quadragesimale, quod Ecclesia seuerè seruat, approbauit; ad eius propterea exemplũ me excitabo, vt quàm potero exactissime illud celebrẽ: quatuor huius numeri *Decades* ad quatuor dirigens fines. *primam* ad satisfaciendum pro meis peccatis: *Secundam* in gratiarum actionem pro acceptis beneficijs: *Tertiam* ad virtutes, quæ mihi desunt, impetrandas: *Quartam* ad disponendum me ad Resurrectionis gloriam, quam in præmium laborum spero.

QVARTÒ denique ieiunium hoc, etsi strictum, fuit tamen iucundum; toto enim hoc hoc tempore, vt ex Euangelistis colligimus, non esurijt: virtus enim diuinitatis, & contemplationis iucunditas efficiebant, ne caro fame & lassitudine, propter tale ieiunium, premeretur, vt neque *d* MOYSES neque *e* ELIAS ieiunio suo vexabantur: ille quod in mõte cũ Deo colloqueretur; hic quod ad similem conuersationem in montem pergeret, & ab Angelo subcinericio oblato pane fuerat refocillatus: quo etiam monemur oratione & deuotione facilè ac iucundum ieiunium reddi, dum pro auxilio quod illæ à ieiunio accipiunt, suauitatem & iucunditatem eidem reddunt. O Iesu dulcissime gratias tibi ago pro tam stricto ieiunio, quod in satisfactione pro meis peccatis toleraſti: Ignosce quæso mihi, iuuaque vt in posterum & corpus meũ ab escis abstineat; & spiritus à peccatis. Amẽ.

IV.

d *Exod.34. 28.*

e *3. Reg.19. 8.*

S. *Bern.ser. 4. Quad.*

MEDITATIO V.

DE TENTATIONIBVS, QVAS Christus Dominus noster in deserto sustinuit.

S. Thom. 3. p. q. 14.

a Mat. 4.1.

EVIT Christus Dominus a *à spirito ductus in desertum*, inter alias causas (teste S. Matthæo) *vt tentaretur à diabolo.*

I. CONSIDERANDVM ergò hîc primùm est Spiritus S. esse, viros perfectos, tentationum occasionibus exponere, quò gratiæ suæ efficacitas in eis magis eluceat, dum insignes illi victorias, & magnarum virtutũ ac meritorũ lucra ex hostibus referunt. Quare etsi non sit meũ huiusmodi me occasionibus temerè me exponere; si tamen occurrant, existimare licet diuini spiritus prouidentiâ eas euenire (vt ait Apost.) b *qui non patietur nos tentari supra id quod ferre possumus: sed faciet etiam cũ tentatione prouentum, quia fidelis est.* O S. Spiritus in tuam me prouidentiã totum proijcio, vt vbicunque tibi gratiùs erit, me colloces, quo prober ac tenter; modò protector mihi adsis & auxiliator in congressibus; tunc enim nî ego meipsum tradidero, certa erit victoria.

b 1. Cor. 10. 13.

II. SECVNDÒ est considerandum: Ductum esse Christum ad locum desertum potiùs quàm ad alium, quod is locus ob solitudinem commodissimus dœmoni sit ad tela sua exerenda, ille

enim

enim ſtatim ac ſolum quempiam, nec habentẽ à quo poſſit cõſilio ac directione medijſq; a-alijs iuuari, quæ ſpirituales Patres in tẽtationi bus cõſtitutis adhibre ſolent; ſpẽ concipit illũ deijciendi, & ita cautiſſimè aggreditur, vt fecit cũ Eua, quando ſolã à marito ſuo Adamo ſeparatã conſpexit, quam facilè decepit ac vicit. Ideoq; SS. Patres neminẽ non ſatis perfectũ, volũt ad loca deſerta, ſolitariam vitã ducturum ſe conferre. Ex quo illud diſcã; etſi in aliorum frequentiâ degam niſi Confeſſario & ſpirituali Patri tẽtationes meas aperuero, cẽſeri me eſſe ſolum, & in ſolitudine habitare, ac proinde in periculo verſari tentationibus ſuccumbendi. Vt enim Sapiens ait: c *ſi mordet ſerpens in abſcondito, & abſque ſibilo, nullum habet lucrum incantans*; hoc eſt: cùm tentat Dęmon & culpâ mordet, tacet verò qui morſus eſt, etiamſi medicus adſit, qui poſſet adhibere medicinam, non ſanabitur; quia perinde illi eſt medicus atque ſi non adeſſet, & ipſe eſt ſolus. d *Væ autem ſoli; quia cum ceciderit non habet ſubleuantem ſe*. Præterea, cùm ſolitariæ vitæ aſperitate orationeque fundata, ſit perfectiſſima: mox atque dæmon aliquem cernit illam auſpicantem, accurrit ad tentandum quo illum ab ea cogitatione deterreat. etſi enim omnes deteſtetur ac vexet, præcipuè tamen feruentes, qui Deo ſeruire ſtatuunt, vbicunque tandem ſint. Nec tamen propterea abijciendus animus eſt: nam idem ſanctus Spiritus, qui tale ſuggerit vitæ

Baſil. Reg. 1. fuſ. Caſ. lib. 2. c. 17. Clima. c. 4.

c *Eccl. 10. 11 iuxta 70. Ex Caſ. col. 1. c. 11.*

d *Eccl. 4. 10*

genus

genus, ſuggerit quoque efficaciter media ad vincendas tentationes ab hoſte contra illam
e *Iob.3 8.* excitatas, & vt feruentes calore ſuo e *ſuſcitant* aduerſus ſe *Leuiathan*, qui eſt ſpiritus nequam; ita Spiritum ſanctum excitant, ad ferendam opportunè opem.

III. TERTIÒ conſiderandæ cauſæ, cur Chriſtus ſtatim poſt baptiſmum & ieiunium tentari voluerit; quia omnes in noſtram cedunt vtilitatem.

Primò etſi ipſe in virtute Tyro non eſſet, voluit tamen viam ordinariam Tyronum in Dei obſequio tenere, qui (vt ait Sapiens) tentantur, & f *ad tentationes ſe præparant. Deinde*
f *Eccl. 2.1.* quò ſe alijs hominibus ſimilem faceret in omnibus, quæ annexam culpam non habent; &
g *Heb.4.15.* vt g *tentatus* ipſe *infirmitatibus noſtris compateretur* (vt ait Apoſt.) & vincens ipſe ſuas, doceret nos vincere noſtras; animumque & fortitudinem ad id nobis conferret. Hinc eſt quod licet quadraginta illorum dierum decurſu variè
h *Mar. 1. 13* *Luc. 4 2.* h *tentatus fuerit* (vt S. Marcus & Lucas inſinuant) in fine tamen tres externas
D Tho 3.p q.1.a.3. ad 2. & ſpectabiles ſuſtinuerit tentationes, in quibus velut in ſemine reliquæ latent, vt ex pugnâ contra eas, diſceremus contra reliquas pugnare. Vnde tria magni momenti diſcamus documenta pro tempore tentationis *Primum* non dandum eſſe locum afflictioni, & deſolationi, quaſi Deus mihi non faueat, qui ſic me
Pſ 36. toto
i *Eccl. 2. 4.* tentari permittit i *ſed in dolore ſuſtine; & in humilitate tua patiētiam habe ait Sapiens.* ſi. n.

Sal-

Saluator meus filius Dei tentatus fuit, mirum non est, me tentari: & spiritualis lætitia in ipsa tentatione, non modò ad defendendum, sed etiam ad ostendendum hostem, plurimùm iuuat ad victoriam. *Secundum documentum* magnâ confidentiâ remedium & auxilium tempore tentationis à Deo petendum esse, dicendo: mi Rex, qui nosti, quid sit tentari, cõpatere mihi, & vel hanc amoue à me tentationem, aut vires confer ad vincendam. TERtium est: præueniendas esse tentationes oratione & ieiunio: vt Christum videmus eas præueniisse. Vt enim ipse postea dixit Apostolis, esse k *genus* quoddam *Dæmoniorum, quod non nisi ieiunio & oratione pellatur*: sic est in tentationibus. & ad hanc præparationem cõijciam oculos in eam rationem, qua Christus suas vicit tentationes, vt eâdem vtar contra meas.

k *Mat.17. 21.*

PVNCTVM II.

SECVNDò attendendæ sunt tentationes Christo propositæ; & modus quo illas superauit. nam etsi primæ materia fuerit gula; secundæ vana gloria; tertiæ ambitio vel auaritia: omnibus tamen admiscebatur superbia & excellentiæ appetitio. vt enim tentator superbus est, & superbiâ ipse cecidit, eademque primum hominem deiecit, ac propterea eius tentationis vim valdè perspectam habet, semper illam alijs miscet, quò facilius homines deijciat. Contrà verò Christus Dominus

omnes

oēs illas tētatiões humilitate repulit, tanquā potētissimo telo ad Satanæ laqueos eludēdos.

TENTATIO I.

PRIMA tentationis materia fuit gula, quoad affectum & modum quęrendi cibum. Cùm enim post quadragesimum ieiunij diem Christus esuriret vt homo, Dęmō verò, qui omnia quæ ille faceret, obseruabat, non existimauit occasionem illam famis eius, sibi esse negligendam: quare pietatis & compassionis cuiusdam specie ait illi. a *si filius Dei es dic, vt lapides isti panes fiant*, atque si dixisset: vtere potestate, quam habes, miracula faciendi, quo tuæ necessitati prouideas. incitabat itaque Christum ad inordinatum cibi aspectum, etiā miraculo quærendum.

a *Mat. 4. 3.*
a *Luc. 4. 3.*

ET hic obseruandi varij modi tentationum in genere gulæ. Delicatos enim ita voluptatē ciborū propositâ tentat, vt eius causa obtinēdæ, ad diuinę legis transgressionē inducat: sicut Euam induxit. *Egentes* prouocat ad subueniendū necessitati suæ medijs illicitis: Modò furto aperto; modò arte doloq;, dispensationes & reuelationes fictas prætexens, vt fecit b *viro illi Dei*, quem, falsâ reuelatione alterius Prophetæ factâ, induxit, contra Dei prohibitionem panē comedere: Modò pietatis prætextu vana & præsumptuosa media suggerēs: & hoc modo est vsus hic contra Christum. & hac vel illa via plurimùm satagit, quos videt spiritui deditos, vitio gulæ superare: nam qui abiecto huic vitio manus dedunt; effœ-

b *3. Reg. 13. 18.*

mina-

minati ad maiora certamina redduntur.

Reſpondit autem illi Chriſtus humiliter, allata ſcripturæ ſacræ ſentẽtiâ: c *Non in ſolo pane viuit homo: ſed in omni verbo quod procedit ab ore Dei.* quaſi reſponderet, neq; ob tuam ſuggeſtionẽ, nec vt mihi indulgeã, ad miraculum confugere volo, cùm Deo non deſint alij modi, & alij cibi, quibus me ſuſtentare poſſit: credo.n. ijs, quę circa hoc ſunt ſcripta, cõfidoque ipſius prouidentiã mihi non defuturã. His nos docuit rationẽ tentationes reprimendi, quæ neceſſitatis tẽporalis, aut ſuſtentationis aut voluptatis prætextu exurgunt. humilitatem inquam fidemq; in Dei verbum, & confidentiam in eius prouidentia. ſi enim d *iumentis dat eſcam ipſorum & pullis coruorũ eũ inuocantibus* eſcã non denegat, quomodo negaturus eſt Pater cœleſtis filijs ſuis eã petentibus.

II.

c *Deut.8.3.*
c *Mat.4.4.*

d *Pſal.14.6*

TENTATIO II.

EX hac victoria Chriſti occaſionem Satanas ſumpſit, vanæ gloriæ, præſumptionis, & nimiæ confidentiæ materiam eidem offerendi. e *tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctã ciuitatem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum tẽpli, & dixit ei: ſi filius Dei es, mitte te deorſum: ſcriptũ eſt.n.* f *quia angelis ſuis mandauit de te, & in manib. tollẽt te, ne fortè offendas ad lapidẽ pedẽ tuum.* Quaſi id ei ſuaderet, quod cũ faceret tum videntes in eũ crederent; tum cœleſtis eius pater laudaretur.

e *Mat. 4.5. & 6.*

f *Pſal. 90.11*

HIC primùm ſunt Satanæ proprietates in ſuis tentationibus obſeruandæ: ne aſtutijs

eius

eius decipiamur: prima enim tentatione explorare conatur, cuiusque studia & propensiones; ex quibus ad nouas insidias & laqueos struendos sumit occasionem: nec solùm et necessitatibus, quæ nos premunt, aut malis inclinationibus; sed ex bonis quoque ad nos tentandum gradum ita facit, vt nos ad indiscretum earum vsum, aut minus rectam intentionem, aut prauas alias circumstantias induc at: confidentes in Deum instigat ad confidentiam nimiam, vt fiant præsumptuosi. Zelantes Dei gloriam, ad iracundiam permouet peritos, & qui virtutem suam scripturis sacris stabiliunt; eisdem ipse, ad suas insidias tegendas, adhibitis, decipere conatur. Ex quo discam non statim tutum existimare quod boni speciem præfert, nisi prius diligens adhibeam examen de fine & intentione, & aliis particularibus circumstantijs, iuxta illud S. Ioannis. g *Probate spiritus si ex Deo sint.*

g 1. Ioh. 4. 1.

11. SECVNDÒ obserua maligni & boni spiritus discrimen, quod in hac historia elucet. bonus enim Christum duxit in desertum locum, vt vanas hominum laudes, & vanã gloriam, quæ ex eis oriri consueuit, effugeret; malus verò ex solitudine deduxit ad pinnam templi coram multitudine, sic eum ad laudes vanas captandas prouocans, ficto gloriæ Dei prætextu. Nam aduertens, Christũ in deserto miraculum conuertendi lapidem in panem recusasse, existimauit, illum in publico coram plebe edirurum aliquod miraculum, quia va-

na gloria fortius mouet coram multis, qui laudare possunt, quàm priuatim aut coram paucis.

TERTIÒ Christi insignem mansuetudinem admirabor, qui Satanæ locum dederit, ipsum ex deserto ad templi pinnam exportandi, nullâ resistentiâ aut repugnantiâ adhibitâ, cũ facillimum fuisset impedire, etiam nõ manifestatâ pro eo tempore omnipotentiâ suâ, ne ex facto filius Dei agnosceretur. Sed in hoc quoque exemplum nobis humilitatis relinquere voluit. O mansuetissime agne, quomodo tam crudelis lupi manibus te permittis! ab eis, quæso, magnâ tuâ misericordiâ me libera, ne ex tua gratia ad culpæ me abyssum deturbent. III.

PERGAM considerare, quo pacto hanc tentationem Christus vicerit. respondit enim Satanæ: h *scriptum est: non tentabis Dominum Deum tuum.* quasi diceret: Miracula non sunt ob vanitatem absque necessitate faciẽda. Confidẽtia in Deum nec temeraria, nec præsũptuosa esse debet. cũ ergò liceat mihi per gradus descendere, cur Deũ tentẽ? & me hinc præcipitem? Ex quo intelligam humilitatem & discretionem cũ animi tranquillitate & mãsuetudine, plurimũ ad vanitatis tentationes specie virtutis tectas, superandas, conferre. Humilitas enim disponit animam ad lumẽ & discretionẽ obtinendam, iuxta illud Sapientis: i *Vbi humilitas, vbi est sapientia.* sed petẽda à Deo est: ad cuius omnipotentiam spectat (vt IV.

h *Deu. 6.16*

i *Prou. 11.2.*

k *Iob. 41. 4.* ipse sancto Iob dixit) k *faciem indumenti eius reuelare: & portas vultus eius aperire*. hoc est laruam virtutis, qua dolos suos contegit, deponere. O strenue potensque bellator, Christe Iesu, animæ meæ oculos cœlesti lumine illustra, vt Sathanæ insidias agnoscam; cùm se ille in lucis Angelum, ad me decipiendum transfigurat, adestoque omnipotentia tua, ne leonis huius feritas me terreat, aut draconis astutia decipiat.

TENTATIO III.

TERTIA tentatio auaritiam & ambitionem complectebatur. l *Iterum*, hoc est tertio, l *Mat. 4. 8.* *assumpsit eum diabolus in montem excelsum valdè: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.*

I. Hîc primùm apparet rabida illa Satanæ fitis, qua meam sitit condemnationem, vt qui mundum vniuersum, si ipsius esset, mihi, pro vnico mortali peccato contra Deum, offerret; ex quo contrà discam ego, quanti salutem meam facere debeam, ac propositum firmissimum & efficacissimum nunquam faciendi aliquid contra eam, etiam pro omnibus quæ in mundo sunt: discens ab hoste meo, æterna omnibus caducis & perituris præferre. aduersus hanc enim tentationem rectè dixit Christus: m *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quod etiam damnati qui sunt in inferno fateri coguntur n *Quid nobis profuit superbia*

m *Mat. 16. 26.*

n *Sap. 5. 8.*

bia? aut diuitiarū iactantia quid contulit nobis?

SECVNDÒ considerandum, quàm sit hosti nostro mendaciorum parenti, familiare, falsis eorum promissis, quæ nec ipsius sunt, nec dare cuiquā potest, homines decipere. Nam interdū arces nescio quas in imaginatione nostra tanquā in aere fundatas fabricans ingentium nobis bonorum spem facit, si lethale aliquod peccatum admittamus. Aliàs idē per mundanos adulatores falsosq; amicos præstat, qui iniqua quædā nobis procuranda, fallaci ea cōsequendi spe, nobis obtrudunt. Ex quo apparet, quàm stultū sit ei fidem adhibere, qui nec per seipsum, nec per os alterius nouit vnquā dicere veritatem, sed mendacium semper ad meam deceptionem & perniciem. II.

TERTIÒ attendam quàm grande malū sit lethale peccatū, auaritiæ præsertim & ambitionis, quæ hominē Satanæ sese prosternere, eū demq; vt Deum adorare cogit. Ac propterea Apost. o *auaritiam idolorū seruitutē* appellat. Est enim pecunia verè idolū, in quo Satanā latentē auarus adorat. & ideò Christus impossibile dicebat esse p *duob. dominis seruire*, hoc est *Deo & Mammonæ*. Ex quo etiam magnam concipiam cōmiserationem eorum, qui in terram procidentes, dœmonem adorant, non ob totum mundum, quem ille fallaciter promitteret, sed ob eius particulam minimā, tantillum inquam fortunarum, aut honoris. III.

o *Col.3.5.*

p *Mat.6.24*

STATIM verò oculos ad eū modū, quo Christus hanc repulit tentationē, conijciā: magno IV.

imperio Satanæ respondens: q *Vade Satana; scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* qua responsione zelum suum diuini honoris nobis aperuit, dum tantâ Satanæ impudentiam non ferens, indignans, illum à se repulit, & victum, confusum, ac timore correptum abire iussit. vt eo exemplo discam, quanto zelo decea t me armari aduersus tentatores, cùm Dei honorē præsumunt attingere, vt magno inquā animo & virili pectore eos à me repellā; meam in hoc gloriam collocādo, quòd genua mea nulli, nisi Deo soli, flectere velim, & propter eū illis etiā, quibus ipse vult; nulli verò contra ipsum. hæc enim sancta libertas Dœmones terret ac fugere compellit. O Deus exercituum, qui zelo armatus aduersus mundi huius Principem decertasti, ex eoq; victum expulisti: adiuua debilitatem meam, vt eundem ipse etiam vincā, me aggredientem, gratiaque tua à me repellā. Da mihi aduersus r *concupiscentiam carnis* temperantiam, aduersus *concupiscentiam oculorū*, spiritus paupertatem, aduersus *superbiam vita* veram animi demissionem; his enim tribus hostibus deuictis, mundum etiam ipsum, qui illis innititur, deuicero, sicut tu vicisti, cui cui pro hac victoria sit honor & gloria in æternum. Amen.

q *Deut. 6. 13*

r *Ioh. 2. 16.*

PVNCTVM III.

TVNC *reliquit eum diabolus, & ecce Angeli venerunt & ministrabant ei.* Considerandum hic: quis Angelos miserit,

quot,

quot,& quem in finem venerint,quidque egerint. *Misit* illos pater æternus ad honorem filij,vt victoriam redderent solennem,& vt curam,quam de illo gerebat,geritque omnium, qui in certamine versantur, ostenderet. & quamuis Angelus vnus ad præsentem necessitatem suffeciſſet,multos voluit venire;qui de tam insigni victoriâ, debellatoque atrociſſimo hoste Satana congratularentur.Statimque reuerẽtiâ summâ mensam in deserto illo loco sternentes, quò grauem famem depelleret, obtulerunt;præstantes officium seruorum erga suum Dominum.

EX quo primùm magnam de prouidentia diuina confidentiam concipiam, quæ tantam filiorum suorum, eorumque qui pro ipsius honore in huius mundi deserto, in pugna & certamine versantur, curam gerit. Benedicta sit,ô Pater cœlestis, diuina tua prouidentia. Gratias tibi ago pro cura de filio tuo habita, & honore in hac victoria eidem exhibito. Per eundem supplico, mei etiam curam gere, adiuuaque,vt verè in te confidam. I.

SECVNDÒ etiam intelligam, Angelos certantibus assistere inuisibiliter, eosque iuuare: congaudere vincentibus, & victoriam illorum excolere: esseque(vt 6. Parte dicetur)diuinæ prouidentiæ,ad necessitatum nostrarum remedium instrumenta: quare & amare & reuereri eos meritò debeo; & frequentiſſimè in auxilium vocare, ne tentationibus succũbam: vel ideò,ne hac eos lætitia priuem. Quæ II.

veritas adeò certa est, vt ipsemet Satanas, dum Christum tentaret, eandem confessus, in medium protulerit, ex Dauide in prædicto Psalmo, diuinâ prouidentiâ sic ad nos confortandos, disponente. Sciens enim dœmon alium se fortiorem sibique repugnantem Angelum esse, qui æquè nostræ defensioni, atque ipse oppugnationi inuigilet, contrahit audaciam suam, ne quantum cuperet, nobis noceat.

III. TERTIÒ discam patientiam & tolerantiam habere in rerum temporalium inopia, quam opportunè Christus Dominus sit subleuaturus: & in tentationibus, etiam multiplicatis & diuturnis confidentiam retinere: quia opportunè Deus euanescere eas faciet, earum authore repulso. Nunquam tamen securum me omninò esse existimabo, dum vita superest: Neque enim frustra S. Lucas adiecit a *Satanam vsque ad tempus à Christo recessisse*. Sed vt intelligas, etsi modò recedat, ad nouum fortè, sed periculosius certamen rediturum.

a Luc. 4. 13.

Sed qui ad primum vincendum gratiâ suâ iuuit; iuuerit etiam ad secundum, & semper. Amen.

(·.·)

MEDI-

MEDITATIO VI.

DE APOSTOLORVM VOcatione & electione.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDA primũ est Apostolorum, quos Christ' elegit, quoad eorum naturalia conditio; & cùm finis, ad quem eligebantur celsitate conferenda; ipsius etiam electionis causæ perpendendæ sunt. PRIMVM enim volens Christus a *duodecim* viros *eligere*, b qui *duodecim* essent *Ecclesiæ fundamenta*, ipse solâ suâ misericordiâ c *eos elegit*, ac vocauit. & quidem non in nobiles, diuites, aut potentes Iudææ & Galilææ, nec in legis peritos, aut pharisæos (qui illius temporis erant Religiosi) oculos cõiecit; sed in pauperes, humiles, rerũ ignaros, & in vilibus & abiectis officijs versatos; & hos, illis relictis, eligere voluit. Cuius facti tres fuerunt causæ. Prima, quia esto, Deus (vt est apud Iob) non propterea d *quod potens sit, potentes abijcit*; aut quòd sapiens sit; sapientes repellit: sed tamẽ, quoniã ipse abiecit sese, vt fieret homo, pauper, humilis, & abiectus; ventq; ad hoc vt humilitatis nobis magister esset, voluit eã in omnibus exercere, discipulos pauperes & humiles habere eisque sese coniungere, e *quia cum simplicibus sermocinatio eius* & cũ humilibus corde; cùm superbi huius mundi Magistri, contrà

a *Mat. 4. 19. & 10. 2.*
a *Marc. 1. 17. 19. & 3. 14.*
a *Luc. 5. 11. & 6. 13.*
b *Apoc. 21. 14.*
c *Ioh. 15. 16, non vos me elegistis.*
d *Iob. 36. 5.*
e *Prou. 3. 23*

de discipulis secundum naturalia nobilibus magnisque gloriantur.

II. SECVNDA causa fuit, quia volebat ipse discipulos in humilitatis spiritu excellere, qui dona sibi communicanda, & illustria facinora per ipsos à Deo facienda, non sibi, sed Deo authori attribuerent. Ideoque (vt ait Apost.) f *non sapientes, nobiles, potentes*, qui superbi esse consueuerunt; sed *quæ stulta sunt mundi, & infirma & ignobilia & contemptibilia elegit*, & benè in suæ vilitatis cognitione fundatos; qui ipsa praxi benè conscij essent eius quod ex se haberent: *Ne glorietur omnis caro in conspectu Dei*: vsurpans sibi quod reipsa suum non est. Ex quo discam, quanti referat, profundas in humilitate radices iacere, si ad res magnas pro diuino obsequio eligi cupio, iuxta illud quod ipse Christus in æterni Patris laudibus posuit, cùm dixit: g *Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc Redemptionis mysteria à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*. O Pater æterne, laudo & glorifico te ob delectũ, quem de humilibus habes, quibus diuina sua mysteria reueles: fac me paruulũ in oculis meis, vt magnificã in tuis; quò me, vt tuæ omnipotentiæ ministro, ad res magnitudine tua dignas vtaris.

f 1. Cor. 1. 26.

g Mat. 11. 25.

III. HINC tertia oritur talis electionis causa, quòd inquam, stupenda mundi conuersio non humano conatu aut viribus, sed virtuti diuinę tribueretur. Impossibile enim factu fuisset homines adeò pauperes, & apud mundum

abie-

abiectos, superbo ipsi & auaro fidem adeo nouam, doctrinam adeo sublimem, legem adeo puram, vitamque seueram (qualis est vita Euangelica) persuadere, nisi Dei omnipotentia tale opus perficeret; nisi dextera Dei altissimi talem faceret in huiusmodi hominum mentibus mutationem. Propter quam ingentes gratias illi agam, perpendens, simile quid euenire in minoris mundi animæ meæ conuersione: quam nullæ humanæ vires valerent ad Deum trahere, nisi ipsius virtus iuuaret; nec cùm Dauide dicere liceret, h *Nunc cœpi* nouam vitam, nisi quia *hæc* est *mutatio dexteræ excelsi.* h *Psal. 76. 11*

PVNCTVM II.

CONSIDERANDA deinde est virorum istorum, quos Christus elegit, conditio, quoad moralia, hoc est virtutes aut vitia, bonos prauosve mores, perpenso vitæ genere, ex quo illos eduxit, causisque, ob quas id fecit.

PRIMVM ergo perpendam; vocationis diuinæ duas tantùm esse causas, infinitam Dei misericordiam; & Christi Domini merita, propter quem (vt ait Apostolus) a *vocauit nos, vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositũ suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo* IESV. Quamuis interdum in huiusmodi vocatione Deus ad aliquas eorum, qui vocantur, dispositiones, respiciat; vt fini, ad quem vocantur deseruire a *2. Tim. 1. 9.*

possint: quò alios etiam ad similes dispositiones procurandas excitet: Interdum autem etiam non ornatos talibus vocat; quo intelligamus, vocationem ipsam à mera ipsius gratia prouenire: ne, qui eas dispositiones habēt, existiment, se propter illas vocatos: & qui eis carent, ne desperent se propterea vocandos. At propterea Euangelistæ has vocationes benigno blandoq; Christi aspectui tribuunt, qui benigniores oculos, in eos coniecit, quos vocauit; quàm quos reliquit, & vocare potuisset, si ita placuisset. Omnia hæc in Apostolorum vocatione sunt perpendenda; mihique, quantum me concernunt, applicanda.

I. PRIMVM. Aliquos discipulos accepit Christus ex schola S. Ioan. Baptistæ, apud quē studiosè versati erant; quò illā etiam scholā honorificeret honore; & simul ostēderet, cōplacere sibi huiusmodi homines ad res magnas obsequij sui adhibere. Horum primus, qui Christū secutus est, fuit b *S. Andreas*, in quo duplex fuit mirabilis ad talē vocationem dispositio, quam Euāgelista insinuat, 1. quòd magno teneretur perfectionis propriæ desiderio, & sequendi quod melius iudicabat. Etsi enim diu in S. Ioannis schola fuisset versatus, statim tamen ac ab eo cognouit, Christū esse Agnum Dei, Magistro suo relicto, secutus est Christum, tanquam aptiorem, à quo maiorem speraret perfectionem addiscere; 2. quòd magno zelo tenebatur, vt fratres sui eandem perfectionem assequerentur, dum eos vocauit & inuitauit

b *Ioan. 1. 40*

ad eum

ad eum sequendum, quem ipse sequebatur. & ita statim ac c *fratrem suum Simeonem inuenit, eum ad Iesum deduxit.* Quæ duæ dispositiones eum apostũ rediderunt, vt Christus ad se vocaret, quòd aptissimæ essent ad Apostoli munus, cuius finis est propria & proximorum salus.

c *Ioan. 1. 42*

II. SECVNDÒ vocauit Christus alios virtuti deditos, ad bonũ propensos, & in bonas actiones incũbentes, quo sic virtuti honorẽ conciliaret, nosq; ad laudabilia earũ exercitia permoueret. Inter hos fuerũt quatuor illi, qui in d *Mari* Galileæ *piscabantur*, *Petrus, Andreas, Iacobus & Ioannes*, in quibus duæ aliæ virtutes splẽduerunt. *Vna*, quòd duræ & humili occupationi essent intenti, vt otium fugientes, victum sudore vultus sui quærerent, vsq; ad rerum suorum proprijs manibus refectionem. *Altera* fuit insignis & stricta germanitas mutua inter se: vt qui non solum secundùm carnem fratres essent, sed etiam spiritu, & magna sese mutuò iuuandi voluntate; vt idem quisque alteri, quod sibi bonum cuperet. Quæ duę dispositiones aptissimæ etiam erant ad Apostolatus officium, quod in charitatis vnctione, & in aliorum commodum laborandi desiderio fundatur. & in omnibus his quatuor contendam excellere, si cupio à Christo eligi in discipulum, & in magnis eius obsequij rebus occupari.

d *Matth. 4. 14.*

III. TERTIÒ vocauit quosdam insignes peccatores, & ad malum propensos, rebusque huius

vitæ

vitæ tenaciſſimè adhærentes: quos ex mundi huius pelago, & peccatorum abyſſo eduxit, ſicut e *Matthæum*, & poſteà f *Saulum*; vt in eis gratiæ ſuę vim & miſericordiæ magnitudinem oſtenderet, ne quis peccator deſperaret, aut de eius miſericordia, tanquam ab ea excluſus, diffideret, qui omnes complectitur, & omnibus cupit benefacere. O ſupreme Magiſter, & infinitè miſericors, laudent te Angeli pro tanta miſericordia, qui non dedignaris homines adeò viles in diſcipulos, & graues adeò peccatores in Apoſtolos aſciſſere. g *Educũs* (vt ait Dauid) *nubes ab extremo terræ*, quia de terrenis hominibus cœleſtes efficis; ex frigidis ficciſque cordibus feruentes deuotoſque ſuis prædicatores, qui inſtar h *nubium eleuati* volant per orbem, quem ſua doctrina admirabiliq; vitæ exemplo irrigant. Reſpice in me Domine, miſericordiæ oculis, aſpectuque tuo conſume affectiones omnes terrenas in me, & ad cœleſtium deſideria eleua, quò miſericordiæ tuæ theſauros in homine tot miſerijs pleniſſimo manifeſtes. Glorifica, anima mea, Deum tuum, qui ad ſuam te ſcholam immerentem vocauit, multis alijs in errorum ſuorum abyſſo relictis. colloca te ex humilitate in extremo terrę, quò te ſol ille iuſtitiæ reſpiciat, eleuetque tanquam nubem ad altitudinem cœli.

c *Matt.9.9. Luc.5.27.*
f *Act.9.7.*
g *Pſal.134. 7.*
h *Ierem. 51. 16.*

PVNCTVM III.

TERTIÒ considerandus est admirandus ille modus, quo in Apostolorum vocatione vsus est Christus. Perpendendo verba, suauitatem & efficacitatem huius vocationis, quæ non eadē fuit in omnibus. quosdam enim paulatim ad se sequendum allexit; alios primo intuitu traxit; quosdam verbis, officio & occupationi ipsorum accommodatis; alios simplici verbo, & imperio quodam diuino.

Nam primùm Andream & Petrum sensim allexit, ter (vt August. & alij Doctores dicũt) eos vocans. *Primùm*, vt ipsum agnoscerent, in a *hospitium suũ* admisit, duabus aut tribus horis vesperi, & familiariter cum eis, sicut cum alijs multis agens. *Secundò*, eosdem vocauit, vt suam doctrinam audientes, strictiori sibi familiritate eos cõiungeret, sicut alios etiam discipulos admittebat. *Tertiò*, omninò ad perpetuam sequelam, c *relictis suis omnibus*, vocauit. Quam vocandi rationem Christus ita direxit, vt doceret homines ordinariâ lege, gradibus quibusdam ad perfectionem conscendere, per tres videlicet illas vias statusve notos, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum. Nam diuinæ inspirationis semen (ipsomet Christo teste) primum prodit in herbam; mox in culmum & spicam magnam; ac demùm in plenum ac solidum in spica ipsa gra-

I.

2. *De Consen. Euang. c 17. & P. N. Ignat.* a *Ioan. 1. 39. Luc. 5. 10.*

c *Matt. 4. 19. Marc. 1. 18.*

granum: primùm enim ad leuiora aliqua ope
ra nos inducit; & si obtemperemus, mox a
maiora & altiora promouet: & in his quoque
obsequentes, perfectis operibus replet. Et
quo discam, quanti sit momenti cuicunque
inspirationi & vocationi interiori, etiam a
parua & ordinariam orationem inducenti
obtemperare: eâ enim obedientiâ me ipsum
reddam aptiorem, quem Deus ad maiora, &
ad excelsiorem vocet orationem.

II. SECVNDÒ alios ictu quodam & prima
aspectu suo vocauit: ad voluntatis suæ mani-
festandam omnipotentiam: dum quos vult
ex profundo, in quo hęsitant, ex tempore com-
mutatis eorum cordibus, extrahit, hac ratione
vsus videtur ergo filios Zebedæi, cum pater-
te circa piscationem & retium refectionem
occupatos; & erga S. Matthęum in Telonio se-
dentem, cambijs cum aliis immersum: quem
d *Eccl. 4. 12* tali d *fune, difficillimo, qui rumperetur*, ligatum
praua inquam inclinatione, multarum diui-
tiarum possessione, & publico telonarij of-
ficio, & societate & commercio cum reli-
quis publicanis, simplici tamen illo verbo
sequere me extraxit, malam eius inclinatio-
nem & habitum vnico tractu ita euellens, vt
omnes diuitias, officium & socios dimitte-
ret. ostenso hoc facto gratiæ suæ efficaci-
tate, & potestate, quam in ipsam naturam
habet.

In his viris meipsum considerabo, per-
turbationum mearum & inordinatarum af-

fectio-

fectionum, negotiorum, & curarum sæculi retibus irretitum & illaqueatum, ac debilem adeo, vt proprijs viribus me ab eis expedire non possim; adeò potius ad eadem addictum, vt neque velim nec desiderem me expedire, potius miser hic status ita arridet, & sic manere perplacet: vt (iuxta prophetam) e *immolem sagenæ meæ, & reti meo sacrificem*: dum affectiones has meas; & res ipsas terrenas, & voluptatem adferentes, sicut idola colens eisdem totus illigor & irretior. e *Habac. 1. 16.*

Verùm IESV CHRISTI Domini nostri misericordia adeò magna ac potens est, vt vel verbulo efficere possit: viresque addere, ad me expediendum me ab eis & omnia relinquenda. O DEVS omnipotens, f *dissrumpe* velociter *vincula* mea, ne ampliùs reti huic affectionum mearum, sed *tibi sacrificem hostiam laudis*: tuumque nomen inuocem. O anima mea, ne diffidas, quin te liberam, & in meliorem mutatam videre possis: g *facile est enim in oculis Dei subitò honestare pauperem*, & vnico aspectu suo omnem tuam miseriam reparare. h *Rex* enim, *qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo*. f *Psal. 115. 17.* g *Eccl. 11. 23.* h *Prou. 20. 8*

TERTIÒ perpendam, Christum Dominum imperio quodam Matthæum & alios vocasse, verbo illo *sequere me*, nullâ aliâ eis reddita ratione: quamuis intus eis reuelaret plurimùm eorum interesse, si III.

acqui-

acquieſcerent: quatuor verò illos piſcatores, ſuauiùs vocauit illis verbis: *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Promiſſione illa eos alliciens ac ſi dixiſſet, nec propenſionem veſtram, nec officium abſtraham, ſed perficiam: loco enim piſcium, animas cœlo, prædicatione veſtra piſcabimini.

Ex quo apparet, Deum accommodare gratiam ſuam ei bono, quod eſt in ipſa natura, illud adhuc magis perficiendo: quò ſimul vtraque familiariter gradiens, finem ſuum ſuauiùs conſequantur. & ita gratia vocationis Chriſtiani propria multum cõfert ad malas naturæ propenſiones compeſcendas, ſicut in Matthæo; bonas verò perficiendas, vt in piſcatoribus illis. quorum vocationem mihi ipſi applicans, videbor mihi audire Chriſtum Dominum cordi meo loquentem: abijce retia, quibus capis voluptates, & huius vitæ commoda: veniq́ue poſt me, conſilia mea amplectere; & ego te aliarum voluptatum bonorumq́; cœleſtium faciam piſcatorem; imò & hominum, quos verbo & exemplo tuo cœlo lucraberis.

Ex dictis concludo, finem Apoſtolicæ vocationis duas partes cõplecti; alteram vt ipſi Chriſtũ perfectâ virtutũ eius imitatione ſequantur; alteram vt alios ex huius mundi pelago abducant, qui idem faciant. Quod poſterius in priori habet fundamentum: ſtultum enim eſſet alios, ne periclitentur, ex mari educere; ſi propterea ego ſubmergerer, &

Chriſto

Christo sequendo ego retardarer: vt alios ad id deducerem.

PVNCTVM IV.

CONSIDERANDVM denique, quàm fuerit excellens Apostolorum in acquiescendo Christo vocanti obedientia! Vt enim aiunt Euangelistæ, a *Cùm Petrus & Andreas retia sua in mari laxarent; & filij Zebedæi cum patre suo in naui retia repararent*, b & Matthæus telonariæ intentus esset. a *Statim* vocante Christo, & a *continuo relictis omnibus secuti sunt eum.*

a *Matt. 4. 10.* b *& c. 9. 9.*
a *Marc. 1. 18* b *& c. 2. 14.*
a *Luc. 5. 11.* b 27.

Tres perfecta obedientiæ gradus.

I. IN hac obedientia indicarunt ipsi tres excellentis huius virtutis proprietates. PRIMA præcipuaq; fuit, captiuare intellectum & iudicium proprium in obsequium Christi; sese eius præscripto absq; replica & rationũ, q̃ ad se excusandũ, vel iussa differẽda in cõtrarium cõcurrere poterant, allegatione. Nam S. Petr. prætendere potuisset, filiæ educationem, familiæ sustentationem, ac de rebus domesticis dispositionem: Ioannes & Iacobus, quòd parentes haberent seniores, suiq́ue laboris ad sustentationem indigẽtes: Matthæus, quod rationes haberet cum multis implicatas, multamq́ue pecuniam negotiationi expositam; ac propterea necessarium esse de omnibus disponere. Nihil horum prætexuerunt, sed iudicium suum absolutè mandatis Christi subiecerunt & in diuinam prouidentiam confidenter sese proijcientes, cæca quidem obedientia

sed non stulta at prudenti obtemperarunt. illustratio enim interior diuinæque gratiæ vis, ac diuinitas, quæ in Christi vultu & verbis emicabat, illos conuicit, vt sese totos ei traderent.

II. SECVNDA OBEDIENTIAE perfectio fuit voluntatis, quam promptissimè Christi voluntati subiecerunt, exuentes quicquid affectus amoris ad vxorem, filios, parentes, cognatos ipsasq; fortunas haberent; quæ licet paruæ essent, plurimos tamen, Gregorio teste, iudicati sunt reliquisse; vt qui voluntate ac desiderio aliquid aliud, quàm ipsum Christum, habendi sese spoliarẽt. Cuius causâ S. Petrus dixit: c *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Non dixit: reliquimus omnia, quæ habebamus; sed absolutè: *Omnia,* vt ostenderet se omnia, quæ habebant, & habere poterant, reliquisse, parentes, fratres, cognatos, amicos, vxores, filios, fortunas, & quicquid iuris ad eas habere potuissent, ac seipsos demũ, libertatẽ, voluntatem; & si opus esset, honorem, & vitam ipsam, quia omnibus vt Christum sequerentur, renunciarunt.

Homil. 5. in Euang.

c *Matt. 19. 27.*

III. TERTIA perfectio fuit EXECVTIONIS: quæ fuit velox, in puncto, alacris nullâ morâ, nec per instans quidem interposita absque repugnantia, aut tristitia, & licet ante oculos essent, quæ aliàs amabant, aut magnifaciebantur, parentes, retia, pecuniæ, nihil tamen hæc illos remorata sunt: sed tanquã serpentes omnia illa fugerũt. Qui extensa habebãt in mari

Chrys. Homil 14. in Matth.

retia

retia, statim ea abiecerunt: qui ea reparabāt, non sunt vel ad punctum progressi: qui libros rationum apertos habebat, & pecunias in ipsis mensis, reliquit eo modo, quo erant, cū verbum *sequere me* audiuit, idq; tanta animi voluptate, vt è vestigio instruxerit conuiuium ipsi Christo, & eius discipulis aliisq; publicanis, quò interior lætitia etiam in exteriora prodiret. O DEI omnipotentiæ miracula! d *O mutatio dexteræ excelsi!* e *O Sol triplici ter exurens montes, radios igneos exufflans & refulgens, radijs suis obcæcat oculos.* concede mihi obedientiam cæcam, ferventem, ac diligentem, quam montibus his Apostolicis contulisti; vt tibi obsequens sicut illi, perueniam ad regnum cum illis per omnia sæcula. Amen.

d *Psal. 76.11*
e *Eccl 43.4.*

PVNCTVM V.

PERPENDENDA denique sunt præmia propter hanc obedientiam à Christo Apostolis collata. *Primùm* enim eos ad maximam omnium, quas in Ecclesia sua instituit, dignitatem euexit, quæ est a *Apostolatus*, suos illos constituens Legatos, qui ipsius vices authoritatemq; in Euangelicæ legis per vniuersum mundū prædicatione sustinerent. I.

a *Matt.10.2*
a *Marc.3.14*
a *Luc. 6.13.*

DEINDE illos elegit, teste Marco, *vt essent cum illo*, & strictiorem cum eis familiaritatē haberet, omnium secretorum suorum conscios illos faciens, quibus postea dixit: II.

 b *Iam*

b *Ioan. 15. 15*

b *Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit quid faciat Dominus eius: vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunq; audiui à patre meo, nota feci vobis.*

III.

TERTIÒ, maiores eis gratias ac dona quàm omnibus Veteris Testamenti & Noui, qui eos secuti sunt Sanctis, contulit. non modò quo ad sanctitatem, sed etiam quo ad sapientiam, & potestatem miracula patrandi, & reliquas gratias quæ gratis datæ dicuntur: quâ de causâ dixit Apostolus eos c *primitias Spiritus* habuisse, & esse d *gloriam Christi.*

c *Rom. 8. 23*

d *2 Cor. 8. 23.*

IV.

QVARTÒ, eisdem promisit: e *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ; sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* eo quòd ipsi obediuerint, ac eius intuitu & amore reliquerint omnia: quibus & in hac ipsa vita centuplum dedit, quàm illi reliquerint. Quod si ita est, vti diximus, eos efficaci voluntate omnes fortunas honores ac voluptates reliquisse, quas vel optare potuissent: quod eis ipse Christus dedit, centies millies plus fuit, quàm quod ipsi reliquerunt. tales enim gratias, dona, & spirituales consolationes illis dedit, vt omnia quę reliquerunt incomparabiliter excederent. Vt verò nos ipsos excitaremus, ad simile quid præstandum, atque Apostoli præstiterunt; eadem nobis promisit, quæ illis, vt suo loco videbimus. O mi Redemptor, siquidem eos, qui Vocationi tuæ obediunt, libera-

e *Matt. 19. 28.*

6. Part. Meditat. 48.

libus

libus adeo præmiis afficis, æquum est, vt & ego in hac vita tibi obsequar, vt eò peruenire liceat, vbi gloriâ tuâ fueris. Amen.

MEDITATIO VII.

DE VNIVERSALI VOcatione, qua CHRISTVS Dominus omne genus hominum ad seipsos abnegandos, & crucem propriam tollendam vocat.

QVONIAM *S. Ioanne teste.* a In hoc apparuit filius Dei vt dissoluat opera Diaboli, *præmittemus vocationem, qua dæmon homines ad se sequendum contra Christi crucem inuitat: subijciemus primo ipsius Christi vocationem: vt vtram se conferentes intelligamus, vtrum audire expediat & sequi. & vtraque meditatio multum adferet lucis ad rectè faciendam status vitæ Electionem: qui nostræ saluti maximè sit conueniens.*

Matth. 16. 24. Marc. 8. 34. Luc 9. 23. a 1. Ioan. 3. 8

PVNCTVM I.

PRIMVM conſpiciendus eſt a *huius mundi Princeps* LVCIFER, in igneo ſuo throno, fumo pleniſſimo, ſedens, aſpectu horribili, vultu tremendo, innumeris dęmonibus, harum tenebrarum principibus ſtipatus, in id omnibus conſpirantibus, vt vexillo contra Chriſti crucem erecto, bellum in eum moueant. In quem finem tentationũ laqueos aduerſus homines parãt, ad tria illa vitia illos inducentes, quę S. Ioannes b *concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiã vitæ* appellat: Primùm ad carnis voluptates alliciunt, quæ circa Gulam & Luxuriam verſantur; deindè ad diuitias, & honores; qui auaritiæ & ambitionis ſunt materia; deniq; ad vitæ ſuperbiã, quę propriæ excellẽtiæ eſt appetitio, cum præſumptione de ſeipſis, ac de iudicio proprio. Vocatur verò ſuperbia vitæ, quia magna, viuax, & tumultuaria eſt: continuò viuens, c *creſcens* reliquaque mundi huius vitia & peccata proferens.

a *Ioan. 14. 30.* *B. P. Ignat. 2 hebdom. die 4.*

b *1. Ioan. 2. 26.*

I.

c *Pſal. 73. 23*

II.

Mox rabies illa perpendenda eſt, quâ d *Dæmones, vt rugientes leones, circumeunt* mundum vniuerſum, nulli parcentes angulo, *quærentes quem deuorent*. Siue perſecutionum violentiâ, ſicut leones; ſiue apparentium rationum aſtutia, ſicut ſerpentes, vt deceptos ad ſuas partes pertrahant. Qua arte ingentem edunt ſtragem, quia innumeri homines ad

d *1. Petr 5. 8* *D. Auguſt. Præfat. in Pſal. 90.*

eos

eos aduolant: alij concupiscentiâ carnis & eius voluptatum ducti: alij diuitiarum & honorum, alij superbiæ & elationis vitæ: ac denique ad eius vexillum transeunt, quotquot e *crucis Christi sunt inimici.* de quibus ait Apostolus, *quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum:* quia *finis* erit *interitus* & mors æterna. e *Phil. 3. 18.*

HAC consideratione ad commiserationem, & lacrymas exemplo me Apostoli excitabo, quòd tantus sit eorum numerus, qui ad partes Dæmonis transeant. obstupescens eorum stultitiam, qui credentes, se in seruitij & laboris sui præmium, nihil nisi acceptu-ros inferni tormenta, eum nihilominùs sequantur. Circumspiciens verò totam vitam meam præteritam & præsentem, deflebo, quòd aliquando in eadem fuerim deceptione: Deumque rogabo, vt ab ea me liberare velit. Amen.

PVNCTVM II.

CONSIDERANDVS deinde Christus Dominus noster in humili quodam loco, vultu amabili & iucundo, discipulis & aliâ multa hominum turba circundatus, atque omnibus dicens: a *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Quibus verbis ad tria alia omnes inuitat, iis contraria, quæ Princeps huius mundi proponebat. a *Matt. 16. 24.* a *Luc. 9. 23.*

I. *Primum* ad propriam vniuſcuiuſque abnegationem, triplicis illius mundi Concupiſcentiæ, vitiorumq; ab illis manantium mortificatione: vt quiſque videlicet omnes ſenſuum voluptates, diuitiarum cupiditatẽ, omnem inanis honoris, internæque ſuperbiæ & propriæ excellentiæ appetitionem & præſumptionem, iudicium denique proprium & voluntatem, abneget atque mortificet.

II. DEINDE ad propriam crucem tollendam inuitat: vt prompti nimirum ſint ad triplicis illius mundi concupiſcentiæ contraria amplectenda: ad labores videlicet doloreſque tolerandos: paupertatem, contemptum, & omne genꝰ humiliationis & ſubiectionis: quia ſpiritualis erux Chriſti his tribus partibus conſtat. Paupertate, contemptu & dolore: quanuis earum vnamquamque plures moleſtiarum differentiæ comitentur: Quamcrucem vult Chriſtus quotidie ab omnibus ita tolli, vt quiſque eam partem ferat, quæ eo ipſo die contigerit; idque cum perſeuerantia vſque ad mortem.

III. TERTIÒ denique inuitat omnes ad virtutum ſuarum & exemplorum, quæ ipſe præbet, in abnegatione, & propriæ crucis baiulatione, imitationem: quia decreuit, nullum omninò ad ſuum comitatum & ſcholam admittere, qui eam non ſtatuerint amplecti, & ſub tali ſuo vexillo militare: ideoque protestatus eſt: b *Qui non baiulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſci-*

b *Lu. 14. 27*

pulus.

pulus: & c *non est me dignus.* c *Mat.10.38*

Mox expendam, quàm sit hæc vocatio rationi consentanea. Si enim ego sum improbus & ab vtero ad vitia peccataque propensus; æquũ omninò est, meipsũ ita abnegare, vt prauas omnes propensiones mortificem: quò à malis & incommodis, quæ ab eis proueniũt, eripiar. Et, si voluptates, diuitiæ, honores, & huius mundi excellentiæ, fomentum sunt iniquitatum; iustum est inordinatum illorum amorem exuere, vt à tot miserijs sim liber. Et, si necesse quoq; est, multas mihi in hac vita calamitates, dolores ac tribulationes accidere: quid prudentiùs fecero, quàm si vel ex necessitate virtutem faciens, Crucem meam libenter amplectar, qua vitam promerear æternã? Ac denique si Christus Dominus noster è cœlo descendit, vt crucem suam ferret, dolores, paupertatem, contemptum amplectens: quid magnum fecero, si eundem sequar, id faciens, quod Dux meus, Rex meus, & Deus meus, vt me exemplo suo permoueret, effecit? O Dux supreme, siquidem me ad id vocas, vt meipsum abnegem, accede Domine, vt mecum cõtra meipsum certes, necesse est enim, vt fortior me sit is, qui me vincat. Et quandoquidem id à me requiris, vt quotidie crucem meã am portem; impertire etiam gratiam tuam, ne succumbam, aut ab ea oppressus deficiam. Amen.

PVNCTVM III.

TERTIÒ considerandæ sunt tres illæ efficacissimæ rationes, quibus vsus est Christus Dominus, vt hanc vocationem nobis persuaderet.

I. PRIMA est. a *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam; & qui perdiderit illam propter me, inueniet eam.* quasi diceret distinctius: salus vestra & vita æterna in eo est posita, vt vos ipsos abnegantes, crucemque vestrã portantes me eò vsq; sequamini, vt, vbi necesse fuerit, vitã hanc temporalem mei causa exponatis; sicut ego exposui. Et qui hoc modo eã exposuerit, non omninò eã perdiderit, quia perfectiorem hanc æternamque recipiet. Eadem ergò ratione imaginari licet, Christum mihi dicentẽ: qui fortunas suas, honorem, delitias, amicos, & quodcunq; temporale bonũ propter me perdiderit, eadẽ postmodum inueniet: Contrà qui eadem conquirere, aut cõseruare, contra voluntatem meã voluerit: eã perdet, & animam simul cum illis in æternũ.

a *Luc. 9. 24.*

II. SECVNDA ratio est: b *Quid enim prodest homini, si mũdum vniuersum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit cõmutationem pro anima sua?* Atque si nobis diceret: Si Satanæ suggestionem, non verò meam vocationem sequamini, animas vestras perdetis in æternum. Quid igitur vobis profuerit, omnes huius mundi delitias, honores, diuitias, & excellentias consecutos fuisse; si tandem anima vestra pereat? Interrogate dã-

b *Mat. 16. 26.*
b *Luc. 9. 25.*

natos

natos ipsos, qui iam in inferno cruciantur, & respondebunt: c *Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarū iactantia quid contulit nobis?* delitiæ, honores, dignitates, & quicquid bonorum in terra est, quam nobis vtilitatem attulerunt? *Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius prætereiens:* nunc verò æternis his tormentis cruciamur. c *Sap.5.8.*

TERTIA ratio est: d *Filius enim hominis vēturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuiq; secundum opera sua.* Quasi nobis diceret: Ego venturus sum cū meę crucis vexillo: ad hunc mundum iudicandum: & quos reperero, noluisse illam mecū portare ad æternum ignem in dęmonum societate, cuius partes secuti fuerūt, condēnabo: eos verò, qui voci meæ obaudientes, crucē meam amplexi fuerunt; ad æterni Patris mei gloriā deducam. III. d *Mat.16. 27.*

HAS tres rationes benè perpendens, vtrāque vocationem Luciferi. s. & Christi confe-ram, finemque infelicissimum eorum qui illū; felicissimum verò eorum qui hunc sequūtur; cùm itaq; (ipso Christo Domino teste) *je* sit impossibile simul *duobus Dominis seruire, Deo & Mamonæ*, Christo, vanisque huius mundi honoribus: nec possibile est sub duobus adeò inter se repugnantibus ducibus militare; contendam omninò aures meas Luciferi suggestionibus occludere; voci verò Christi audientes præbere; meipsum, vt ipse suadet, abnegando; meam crucem baiulando, ac supremum Ducem meum, sub eius vexillo e *Mat.6.24*

prom-

promptissimè sequendo. Ad quod præstandi iuuerit quoque expendere, quid in hora mortis, & cùm ante Christi tribunal in die iudicii constituar, feciſſe; quem secutum me fuisse vellem? diuitias, an paupertatem? honores an contemptum? delitias an afflictiones? meæ voluntatem expleuisse, an eandem meque ipsum abnegasse? & illud porrò nunc eligam, quod tunc elegisse, & amplexus esse vellem.

IV. Ne verò tam procul, ad mortem & iudicium rem hanc & felicem electionem differre videar, id vnum addam, quod valdè ad rem facit: in Luciferi vocatione, quæ in specie delitias, honores, diuitias, libertatem, & requiem promittere videtur: omnia tamen tota cerbitatibus commixta esse, vt reipsa sint difficillima: nam ipsimet damnati apud Sapientem fatentur: f *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles.* Contrà verò Christi vocatio, etsi in specie sit abnegatio, & crux, ita tamen à diuina prouidentia præscripta est, & cuiusque humeris ac viribus proportionata, tantaque cœlestium gratiarum iucunditate respersa, vt etiam in hac vita iucundissima, ac leuissima iudicetur; Nam & ijs, qui à partibus dœmonis steterunt, magnum est leuamen ad Christi castra transire: quos ipse Christus hac spe ad se inuitat, cùm dicit: g *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis re-*

f *Sap. 5. 7.*

g *Mat. 11. 28.*

tis requiem in animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Quanuis, inquit, iugum meum sit suiipsius abnegatio, est tamen suaue; & quamuis crux mea sit onus, est tamen leue, modo humiles esse velitis & mansueti; sicut me esse videtis: Ego enim h *humilibus eam gratiam* impertior, vt quicquid aliàs graue est & asperum verè leue reddatur ac iucundum. O Magister dulcissime, cuius humeris mea, & mortalium omnium crux innititur, concede, quæso, mihi, tuam vt vocationem audiam, laboresque crucis amplectar, prouidentiæ tuæ relinquens, vt leuamen & auxilium ad ferendum opportunũ tempori adferas: vt eligens, dum viuo, id, quod mortis tempore optarem elegisse, accipiam in iudicio tuo coronam gloriæ. Amen.

h *Iac. 4. 6.*

MEDITATIO VIII.

DE RESIGNATIONE AD Christi vocationem amplectẽdam, & renuntiandum omnibus, vt quis in eius discipulum adscribatur, necessaria.

VOniam Christus Dominus nunquã à vocandis ad se sequendum hominibus desistit, aptissimam hic dispositionem indicabimus, quam habere debemus, vt eò contendamus, quò

B. P. Ignatius hebd. 4. die 2.

san

sanctissima eius vocatio locum in nobis inueniat, & porrò per eam consequamur aeternam vitam. Eam autem dispositionem docuit idem qui vocat Christus Dominus noster, ad miranda illa sua apud sanctum Lucam sententia.

a Lu. 14. 33. a Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet: non potest meus esse discipulus. *Qua sententia non ita iubet omnes renuntiare omnibus quæ possident, vt illis reipsa se spolient; sed corde & inordinato eorum affectu: & vt parati etiam sint reipsa se spoliare, & à se abijcere, cùm aut ad salutem aeternam impedimento sibi esse animaduerterent; aut certè cum speciali Deus vocatione ad id eos permoueret: inspirans tale medium ipsis ad eandem salutem consequendam conuenientissimum esse atq; tutissimum. Sub illa autem communi voce* OMNIVM, *intelligendæ sunt facultates omnes temporales honores dignitates, officia etiam eminentia, parentes, filij fratres, amici, noti, & quæcunque personæ & res reliquæ huius mundi, quorum inordinatus amor à Christo Domino sequendo nos potest retardare; &, ne eius discipuli simus, impedire. His præmissis tres hominum classes distinguemus, qui salutem consequi desiderant; & porrò ad Christum sequendum se disponere: vt discernamus, quinam illorum rectam viam teneant, vt illis nos coniungere statuamus.*

PVNCTVM I.

PRIMA classis eorum est, qui salutis suæ finem assequi volentes, media tamen ad id apta difficultatem, quam adiunctam habent, non applicant: vellent Christum sequi, non tamen omnibus, quæ possidēt, renunciare: quod si fortè eis renunciare, & inordinatum ad ea affectum exuere velint; efficacia tamen ad id media non arripiunt: sicut ægroti illi qui sanitatem recipere cupientes, nec sanguinem tamen emittere, nec pharmaca, aliave ad eam necessaria medicamenta adhibere volūt, ob dolorē, & acerbitatē, quā in illis sentirent. Hi contraria omninò diuinæ vocationi & mādato illi de renūtiando omnib. dispositione laborant: qui propterea nec spiritualem salutē, nec æternā vnquā vitā consequentur; ad q̄ non desiderijs nudis, si opera desint, peruenitur. Nā etsi salutem cō sequi, & sanari velle videantur, reuerà tamen id nolle potiùs, conuincuntur. Id enim Spiritus sanctus insinuauit, cùm dixit: a *Vult & non vult piger*. vult finem; sed non vult media: vult ad Christum peruenire; sed non vult eū dem sequi: vult virtutem, quà bona est; sed nō vult, quà eadē difficultatem habet annexam, propter quam eam deserit. Lustrabo ergò meipsum, vt videam, num eadem laborem deceptione, dum virtutes aliquas consequi cupio. Interdum enim dicam; cupere me humilitatē consequi, & superbiam extirpare; sed nec me ipse humiliare studeo, nec ab alijs humiliari su-

a *Pro. 13 14 S. Hier.*

ri sustineo: dicam: me cupere patientiam obtinere, & iram vincere: nolo tamen quicquam tolerare: & porrò superbus remaneo & impatiens: quia & perturbationum animi mortificatio, ad vitia superanda; & virtutum exercitatio ad virtutes ipsas acquirendas, est omninò necessaria.

PVNCTVM II.

I. SECVNDA classis eorum est, qui desiderio salutis consequendæ, media etiam volunt adhibere; sed quæ ipsi iudicio suo approbant & propria voluntate eligunt, non quæ Dei præscripta sunt voluntate. Volunt Christum sequi, & inordinatum ad res suas amorem deponere: sed hanc tamen certam statuunt exceptionem, vt eas retineant. Et quamuis eædem occasio ipsis sint peccandi; Deus etiam internè illos, ad eas etiam reipsa deserendas, instiget, non acquiescunt; sed cùm id sentiunt, tristantur potius, sicut Adolescens ille dives cùm audiuisset à Christo: b *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & abijt tristis*. Similes hi sunt illis ægrotis, qui cùm sanitati restitui cupiant, non tamen eligunt acceptare medicamenta, quæ præscribit medicus; sed quæ ipsi tanquam palato suo arridentia elegerint, volentes etiam voluntatem medici ad eadem approbanda pertrahere: sic, inquam, hi volunt, DEI voluntatem ad suam inclinare; non suam DEI voluntati sub-

b *Mat. 19. 21.*

ijcere-

ijcere: Quare & si laborant dispositione, diuinæ vocationi repugnante, renunciandi rebus omnibus, etiam cum salutis propriæ periculo. Nam fortè nouit DEVS talem rerum expoliationem, ad inordinatas ipsas affectiones exuẽdas, & multa peccata, quæ ab eis proueniunt, euitanda, & porrò ad perfectam ipsorum curationem, esse necessariam.

ET vniuersim credendum mihi est, membrorum meorum spiritualium remedium, non in medijs, quæ meo capite, & cęco iudicio adinuenio; sed in ijs, quę statuerit Deus, positum esse, qui medicus est animæ peritissimus. sicut Naaman ille Syrus leprosus, etsi vehementer optaret à lepra sanari, remediũ tamen ab Elisæo Propheta sibi cõstitutum admittere nolebat, c *Septies in Iordane lauandi*, sed illud facilius quod suo capite sibi elegerat, vt videlicet Propheta *egrederetur ad ipsum, & tangeret manu sua locum leprę*. sed reipsa nunquam fuisset sanitati restitutus, nisi, mente mutata, à Propheta præscriptum medium fuisset amplexus: quia DEVS sanitatem illi reddere decreuerat, non medio ab ipso excogitato; sed alio magis eidem vtili & accommodato. c 4. Reg. 5. 10.

II.

SED & hîc lustranda sunt interiora mea, circa res alias vitæ & instituti mei, vt videam nũ in eis decipiar. si. n. cõfitear peccata mea, & animę meæ rationes Cõfessario aperiam; error erit, medijs, quę ille mihi ad sanitatẽ recipiẽdam præscribet, nolle acquiescere; sed ijs quæ ipse mihi effingo. similiter, si sum Religiosus;

magna mea erit deceptio, ſtat' mei perfectionem medijs à me excogitatis obtinere velle, & cõtendere Prælatos meos, ad ea approbanda, pertrahere, meumque iudiciũ & voluntatem eis non ſubijcere. Quare meritò mihi ſimile quid obijcere Chriſt' poſſet, quod in pari occaſione dixerat S. Petro. d *Vade poſt me Satana*: non enim ego facere debeo, quod tu vis, ſed tu, quod ego: non Magiſter diſcipulũ, ſed diſcipulus magiſtrũ ſequi debet; nec ſubditus ſuperiorem ſuum; ſed ſuperior ſubditum gubernare. O ſupreme magiſter, ſiquidẽ nobis es e *Via, Veritas, & Vita*, ne patiaris aliã me qui tuam viam tenere; nec aliã quam tuam veritatem amplecti; nec vitam aliam, quàm tuã dilcere; te ſemper ſequendo, qui è cælo deſcendiſti; non vt tuam, ſed Patris tui voluntatem ea via, quam ipſe præſcripſit, ſequereris.

d *Mat. 16. 23.*

e *Ioh. 14. 6.*

PVNCTVM III.

I. EX his intelligam, tertiam CLASSEM felliciorem, eſſe eorum, qui cûm finem ſalutis ſuæ, propenſionum inordinatarum victoriam, ac virtutum perfectionem cupiant obtinere, ita media illa amplectuntur, quæ Deus illis proponit: vt ſeipſos vniuerſim Dei voluntati reſignẽt, paratoque vel ad retinendas, vel ad abijciendas res ſuas offerant, & æquè ad vtrunq; ſtatim amplectendũ inclinent, quòd ad Dei gloriã & honorem, animæ verò ſuæ ſalutẽ magis expedire cognoſcent, ſicut agreſti illi, qui adeò ſunt ſalutis cupidi, vt in medicorum ſe manus toto

pro-

proijciant, promptos ea medicamenta acceptare, quæ illi conueniẽtiora iudicabunt, nec (quod in se est) ad hæc potius, quam ad illa propendentes. Hæc mira est ad diuinã vocationem audiendam eiusq; illustrationes & inspirationes recipiendas dispositio: quanuis confidentia semper sit in DEI prouidẽtia collocanda, qui per Isaiam ait. a *Ego Dominus Deꝰ tuus docens te vtilia; gubernans te in via, quam ambulas*, siue per seipsum id faciat, siue per suos ministros. & quicunque se permiserint ab ipso gubernari, omnia quæ ipse suggesserit & præceperit media acceptantes, accidet illis quod idẽ mox subiecit: *facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris*, perueniẽtq; propterea tales securè ad portum salutis & perfectionis: Diuina enim prouidentia vnumquenq; ad eum statũ vitæq; rationẽ vocat, quæ ipsi maximè conueniens est, *vt part. 6. Medi. 42. apparebit*. Si hasce tres prędictas hominũ classes inter se contulero, dãnaq; & deceptiones duarũ priarũ deprehendero: decet me tertiã eligere, ac in Dei cõspectu constitutũ eidem ex toto corde, sicut Saulꝰ olim, dicere: b *Domine, quid me vis facere?* Ecce seruũ tuũ; te sequendi ac tibi seruiẽdi cupidũ; sed multis inordinatis affectionibus languentẽ: manib. me tuis totũ trado, vt de me pro libitu disponas: paratus. n. sum tuã exequi voluntatẽ, suggere, doce, appone media saluti animæ meæ conuenientissima: diuina. n. gratiâ tua me adiuuante, illa exequar: siue retentis

a *Isai. 48. 17. 18.*

b *Act. 9. 7.*

facultatibus, quas possideo; siue abiectis, amore tui.

II. SVNT tamen qui vlteriùs adhuc pergentes, quò propiùs ad Christi imitationẽ accedant, inclinant potiùs cupiuntq;, quantũ in ipsis est pauperes reipsa esse contempti, afflicti, sicut ipse Christus fuit; quàm diuites, honorati, & consolati, sicut alij, etiã sancti, fuerunt. Quauis in ea sint indifferentia, vt vel amplectantur, vel reijciant vtranuis partem, iuxta ipsius Christi beneplacitum: eò quod sciant non omnibus eam gratiam conferri, vt in rerum spoliatione & voluntaria religiosa paupertate ipsum sequantur, aut iniurias & contumelias pro illo patiãtur. Hanc etiã animi præparationem obtinere, omni conatu curare, par esset, ad imitationem Apostoli qui dicebat: c *Phil. 1. 29* d *Gal. 6. 14.* *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: propter quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*: ego enim mundum & horreo & contemno; mundusque me quoque horret atq; contemnit, ita me tractãs atq; crucifixũ quempiam contemptibilẽ infamẽ & infelicẽ. O DEVS æterne, concede mihi hanc ex tua misericordia dispositionẽ, vt dignus efficiar, quem ad magna præstanda, & amore tui etiam ferenda vocare velis. Amen.

MEDITATIO IX.

DE MIRACVLO A CHRISTO ad Nuptias in Cana Galilææ edito.

PVNCTVM I.

NVPTIAE a *factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater* IESV *ibi: vocatus est autem &* IESVS *& discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater* IESV *ad eum: Vinum non habent.* a *Ioan. 2. 1. S. Tho. 3. p. q. 43. a. 3.*

PRIMVM consideranda est Christi Domini benignitas & charitas, quam ostendit, acceptando conuiuiũ illud nuptiale, vt alijs benefaciendi captaret occasionẽ, & spirituale aliquod lucrum suis discipulis adferret. simul verò attendam eius in mensa puritatem, modestiam, & in medijs illis nuptiarũ gaudijs grauitatem, eo nos docens exemplo, virum spiritualem in omni loco talem esse debere, vt non se ad profana effundat, iuxta Dauidis consiliũ; b *Iusti epulentur & exultent*, sed *in conspectu Domini*; sic enim nihil indignum facient sanctitate, quam profitentur; aut Domino, in cuius præsentia versantur. I. b *Psal. 67. 4*

DEINDE virginis cõmiseratio & solicitudo perpendenda est, quæ vini defectũ aduer-

tens, pudoremque & confusionem hospitum prouidens, misertа, etiam nullo ad id monente, remedium procurare, opera filij cogitauit, vt gratum animum ijs, qui ipsam inuitauerat, ostenderet. Idemque nunc erga sibi addictos & deuotos præstat, eorum vicem & necessitates dolens, etiam cùm ipsi aut obliuiscuntur, aut negligunt ad eam pro remedio recurrere. Nam (vt S. Aug. ait) quo beatissima virgo cæteris sanctis est melior, eò est de nostris commodis eisdem solicitior. O virgo sanctiss. cur non ego in tuo ero obsequio solicitus, quæ in meis necessitatibus reparandis adeò es solicita. si adeò tibi curę est, gratiam pro quouis exiguo obsequio rependere: æquum etiam est me solicitum esse pro collatis in me beneficijs te glorificare; ea enim spe esse possũ, quod porrò pergens, etiam maiora præstabis.

Serm. 4 de Natiu.

TERTIÒ perpendendum, quàm benevola, ac resignata confidẽtia breuissimam illam petitionem proposuerit B. virgo. *Vinũ non habent*; omninò certa, filij viiceribus, cui nec amori nec potestatem, ad pietatem indigentibus exhibendam deesse nouerat, satis fore, præsentem illam necessitatem ei insinuare, vt, si ita expediret, eam subleuaret. O virgo sanctissima, respice, quantus in me sit vini, & charitatis, deuotionis defectus: & quæ ob materialis vini defectum tanta commiseratione tangi te ostendisti, ob spiritualis inopiam, maiori etiam permota, sicut illis procurasti remedium, hanc etiam cura subleuari, dicens filio

tuo:

tuo: fili, seruus hic meus non habet amoris diuini vinum; tribue ergò illi copiosum, vt cũ feruore tibi seruire possit. Imitabor verò & ego exemplum hoc B. Virginis eius orandi rationem vsurpans, qua necessitates meas magna resignatione, confidentiâ, amoreque Christo Domino proponam: illius liberalitati & benignitati remittens, vt opem, quando magis expediet, adferat. Ideoque loco verbi VINVM similia licebit ponere, ac DEO Domino nostro dicere: Pater mi, deest mihi feruor, Deus meus deest mihi humilitas, patientia, obediẽtia, respice miseriam meam, & miserere.

De hoc orandi modo plura dicentur in Medit. de suscitatione Lazari. *Medit. 41. huius part.*

PVNCTVM II.

AD B. Virginis insinuatam petitionem respondit Christus: a *Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea.* Huius adeò in specie siccæ insipidæque reipsa verò mysterio plenæ responsionis expendẽdæ sunt causæ.

PRIMA fuit, quò se Christus plus quam hominem esse & simul DEVM manifestaret, cui' proprium est miraculum edere, quod mater petebat: in quo tamen ita eam designationem sequi, & tempus & horam seruare oporteret, quæ idem, qua Deus erat, designasset; vt nec carnis & sanguinis intuitu ea mutaret aut præueniret. I.

HOC exemplo docens, non debere nos necessitatibus nostris angi nimiũ aut turbari, &

optare horam à Deo ad earum remedium destinatam præueniri, aut tempus, quo subueniat, ei præscribere, sicut qui Bethuliæ obsidebantur præscripserunt: quos propterea a *Iudith* meritò reprehendit: sed postquam, quod mearum est partium, præstitero, oportere, me totum diuinæ prouidentiæ committere; vt tempore à se ad id statuto (quod oportunius, magisque erit mihi expediens) opem ferat. O Saluator dulcissime, qui & necessitatum & miraculorum tempus cõstitutum habes, eam sequere designationem, nam voluntas mea ita resignata est, vt tuę semper obsequatur, nec ad horam aut momentum ab ea recedat.

a *Iudith.7. 21.c.8.11.*

II. SECVNDA causa fuit, vt nos doceret, quàm esset ab omni carnis affectu remotus: qua de causa verba etiam sua ita semper proferebat, vt cordis affectus proderent: nunquam enim legitur sanctissimam Virginem tenero *Matris* nomine compellasse, sed *mulieris*: vt tum hoc loco, tum in ipsa cruce pendens fecit cum eam b *discipulo commendaret*. Imò cùm concionantem quidam ex auditoribus interrumperent, dicentes: c *Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te*, expeditissimè respondit: *quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? extendens manum in discipulos suos dixit: ecce mater mea, & fratres mei: Quicunq; enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est; ipse meus frater, & soror, & mater est.* Ex quo discam, à carnis & creaturarum omnium affectibus omnino me expedire: nec ipsũ *matris*,

b *Ioan.19. 26.*

c *Matt. 12 49.*

B.P.Ignat. Examin. c. 4.liter.C.

aut

aut *fratris* nomen ore meo vsurpare; si & cor meum hisce vocibus trahi experior: sed contendam potius diuinæ voluntatis executionem super omnia æstimare: propterea siquidem Moyses: d *Qui dixit*, inquit, *patri suo & & matri suæ, Nescio vos; & fratribus suis, ignoro illos: & nescierunt filios suos, hi custodiunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt.* d *Deut. 33. 9*

III. TERTIA causa fuit, vt B. Virgo, excellentissimas suas virtutes exercendi haberet occasionem; patientiam potissimùm, humilitatem, confidentiam: neque enim adeò aridâ filij in omnium conspectu responsione turbata fuit, aut conquesta, nec verbum vllum reddidit, quo se iniuriâ affectam ostenderet: imò (quod maiorem adfert admirationem) nec fiduciam deposuit, quòd esset exaudita, & quod petiuerat, impetrasset, vt mox apparebit. Cuius exemplo me ipsum ad patientiam animabo; nec animo deiiciar, etiam si Deus petitiones meas vel non exaudiat, vel differat exaudire; aut & quando insulsas ab hominibus responsiones retulero: memor sententiæ illius Isaiæ: e *In silentio & in spe erit fortitudo vestra.* his enim medijs à Deo obtinebimus, quæ desideramus. e *Isai. 30. 15.*

PVNCTVM III.

DICIT *mater eius ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite.* In qua sententia perpendendæ sunt heroicæ ipsius Virginis virtutes, quas in ea prodidit: eiusque *Ioan. 2. 5.*

consilij siue insinuationis præstantia, finis & scopus, ipsa denique verba.

I. PRIMVM, heroicam ostendit fiduciam: Nam etsi filius ei distinctè respondisset: faciã quod petis; nihil aliud illa ministris dicere potuisset, quàm dixerit.

II. MAGNAM deinde lucem habuit, ad Christi mentem & finem penetrandum. Et si enim ille præsenti necessitati occurrere potuisset, siue nouum vinum creando, siue paullulum illud, quod remanserat, multiplicando, mensæ interim ministros nõ monendo: ipsa tamen B. Virgo, sciens Deum, vt nostris necessitatibus subueniat, nostram cooperationẽ requirere, cognouit filiũ, aliquid famulis, vt facerent, commissurũ: Ac propterea illos monuit, vt quodcunq; illis filius diceret, exequerentur.

III. EX hoc ergo B. Virginis consilio discemus, ad obtinendum à Deo, quod cupimus, nullum efficacius esse medium, quàm si confidentiæ id obtinendi obedientiam eorum, quæ ipse præscribit coniungamus. Quia, vt Regius ait Propheta, DEVS a *voluntatem timentium se faciet; & deprecationem eorum exaudiet*: Et S. Ioannes, b *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEVM; & quicquid petierimus accipiemus ab eo; quoniam mandata eius custodimus: & ea quæ sunt placita coram eo facimus*. Et ipse Christus Apostolis suis dixit: c *Si verba mea in vobis mãserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis*. Et vniuersim, quò nos magis obedientes fueri-

mus

a *Psal. 144. 19.*
b *1. Ioã. 3. 21*
c *Ioan. 15. 7. Euseb. Emisen. Homil. 3. ad Monachor.*

mus Deo, eò ipse nostris orationibus obediet magis. Quapropter, obedias magno feruore anima mea, si cupis citò exaudiri: nam citius vel vnica sic obedientis exauditur oratio; quàm ignaui alicuius decem millia. *Augusſt. de oper. Monachor. c. 17.*

AFFECTVM denique B. Virginis, quo silentium & verborum parcitatem colebat, attendam. Siue enim verba ad filium, siue ad mensæ ministros considerem, breuia, moderatissima, ac matura fuisse deprehendam: hæc verò nominatim, tanquam à tanta matre & magistra profecta, cordi meo imprimẽda curabo; & quicquid mihi Christus Dominus noster dixerit, nulla re prætermissa, etiã difficili, & quæ non ad rem, aut parui omnino momenti mihi esse videatur, implere studebo, siue occultis ipse inspirationibus eam suggerat, siue operâ superiorum. O suprema Virgo, virtutum omniũ magistra, doce me, quæso, in praxim eas deducere, quas tu hîc exercuisti; vt in eis possim filio tuo placere, dignusque esse, ea consequi, quæ desidero. IV.

PVNCTVM IV.

ET *dicit eis* (ministris) IESVS: *implete hydrias aqua: & impleuerunt vsque ad summum*, &, cùm aquam in vinum conuertisset, *dicit eis* IESVS: *haurite nunc, & ferte architriclino.*

HIC primùm est consideranda horum ministrorum obedientia; vt qui B. Virginis I.

con-

consilio optimè instructi essent: nulla enim aut morâ aut replicâ interpositâ; (qua vtique inquirere potuissent, vt quid hoc iniungitur? quid aquæ cum vino, cuius inopia laboramus?) sed proprium iudicium subijcientes, id quod iubebatur, sunt exsecuti. & ea ratione qua non cogitabant, id quod cupiebant, præter mentem obtinuerunt. Ex quo discam, quàm sit tutum Deo eiusque vicariis obtemperare, non inquirendo curiositate causas, ob quas aliquid mihi iniungatur: tum ad callidi hostis nostri fraudes euitandas, qui ea ratione seduxit Euam, eam interrogando causam prohibitionis comedendi fructum arboris scientiæ: tum quòd plerumque DEVS, vt quod petimus nobis largiatur, aliquid nobis consueuit præcipere, ei quod quærimus in specie repugnans: quò discamus iudicium nostrum eius obedientiæ subiicere. & si in ijs, quæ me humiliare, aut desolationem mihi adferre videntur, obtemperem; eâ me viâ DEVS exaltabit, & consolabitur.

II. PERPENDAM deinde Christi Domini omnipotentiam, qui absque vllo aquæ contactu, sola voluntate sua in vinum eam conuertit. Exultabo itaque, quod adeò potẽtem habeam Saluatorem; eumque orabo, vt prauum cor meum in bonum cõuertere dignetur, & quod frigidum nunc est, & imperfectionibus plenum reddere feruens ac perficere: totumque meipsum liberaliter, sine contradictione aut repugnantia vlla ad parendum offeram. Nam,

vt S.

vt S. Aug. ait, qui fecit me sine me; non muta bit me ex malo in bonum, nec ex frigido feruentem reddet, si ego restitero.

Tract. 78. in illud Ioh. 14. Maiora horum faciet.

III.

TERTIÒ expendam porrò insignem eiusdē Christi Domini liberalitatem, in cōpensandis obsequijs sibi præstitis: dum pro vno fortè vilis vini poculo, quod in conuiuio accepit, sex hydrias excellentissimi vini *vsq; ad summum* plenas reddidit. Quod etiamnum præstat, dū pro calice aquæ frigidæ a *mensuram reddit bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem:* & Religioso dat *centuplum* eorū, quæ ipsius amore reliquit.

a *Luc. 6. 38.*

AC denique cum pijs illis mentibus, quæ Orationi se dedunt, spirituale contrahens cōnubium, eas b *introducit in cellam vinariam*, vbi ex sex hydrijs (quas cœlestium affectuum (actuum scilicet heroicorum sex virtutum præstantissimarū) pleniſſimas habet: haustum sūmâ earū lætitiâ propinat: *Charitatis* nimirū erga Deū; *misericordiæ* in proximos; *zeli* diuinæ gloriæ, & salutis animarum; feruentis *deuotionis* cum magna promptitudine ad omnia obeunda, quæ diuinum obsequium concernunt; *gratitudinis* cum laude & gratiarum actione pro beneficijs acceptis; & *obedientiæ* resignatæ, ad faciendum & perferendū quicquid Deo beneplacitum fuerit. O Saluator omnipotens, & largè liberalis, te solùm Dominum ac DEVM meum ac omnia mea habere volo: introduc me in cellam vinorum tuorū, & sex horum affectuum heroicorum vino

b *Cant. 2. 4*

me

me inebria, & ad ſummum vſq; perfectionis ſtatui meo propriæ, reple: quò *Seraphini* inſtar accenſus, *ſex* hiſce *alis aduolem*, & tibi coniungar, nec à tuo amore, & laudibus vnquam deſiſtam, per ſecula omnia. Amen.

Iſaiæ 6. 2.

PVNCTVM V.

I. QVALES denique affectus in hoc miraculo fuerint, eſt perpendendum: inter quos primus fuit B. Virginis gaudium, cùm illud miraculũ patratum conſpexit, nec ſe ab ſpe ſua excidiſſe: ac propterea valde fuit in fiducia confirmata: & maximas filio gratias pro eo fauore egit. Perpendametiam ex hoc, quàm ſit potens huius Virginis oratio & interceſſio: ſiquidem in eius gratiã Chriſtus, horam ſuam, quam ad tale miraculum patrandum nondum veniſſe dixerat, accelerauit: illa itaque oratio & petitio in cauſa fuit, cur hora, quæ aliàs non peruenisſet, acceſſerit. Dignumque magna conſideratione eſt, quòd vt ad primam ſanctificationẽ, quam poſt conceptionem ſuam Chriſtus eſt operatus, (Sancti videlicet Ioannis Baptiſtæ) Beatæ Virginis matris ſuæ operâ vti voluit; ita ad primum patrãdum miraculum eandem adhibuerit: & vtrunq; opus per eam accelerauerit, vt nos hac ratione doceret; eandem Virginem ſanctiſſimã, futuram ſemper noſtram aduocatam, ad ſpiritalia & tẽporalia bona, ſanctitatem, & miracula, quæ in ſuos DEVS edit Electos celerius impetranda. Ideoq; magnoperè

Part. 2. Meditat. 13.

mihi

mihi ipsi congratulabor, quòd talem habeam matrẽ, cui hinc valdè sit curę quicquid ad meum bonum spectat; inde verò sit eadem adeò potens ad illud mihi impetrandum. O mater piissima, monstra te mihi esse matrem, in accelerãdo intercessione tua miseriarum mearum remedio: quò ab omni tepiditate expeditus, incipiam tandem filio tuo feruenter inseruire.

SECVNDÒ perpendam, ipsos Christi discipulos valdè fuisse hoc miraculo in fide confirmatos, propter quòd S. Ioannes ait. a *& crediderũt in eum discipuli eius*, Nouo scil. feruore fidei, & magno spiritûs gaudio, magistri sui omnipotentiã cernẽtes; gaudentesq; in eius se contubernio versari: de quo eam fiduciã concepissent, quòd, quandiu illũ apud se haberẽt, nihil esset sibi defuturũ. Nec sine causa Christus voluit primũ suũ miraculũ in re adeo domestica vulgari & necessaria ostendere; quò rudiores & adhuc in via Dei tyrones, in fide confirmaret; & hac ratione sensim ad altiora disponeret. II.

a Ioan. 2. 11.

TERTIÒ, Architriclini stuporem ex adeò præstanti vino gustato ortũ perpendã. Neque enim cõtinere se potuit, quin statim ad se vocari curaret sponsum, ac reprehenderet, quòd communem omnium hominum consuetudinem, qui primùm bonum vinum apponunt, & vltimò quod deterius est, nõ seruasset; sed cõtrà, optimum ipse in fine proposuisset. Nam primum illud, quod ipsi initio bonum fuit III.

visum

visum; statim atque gustauit, quod Christus fecerat, iudicauit acerbum. Sed is non est Dei morem in ea re assecutus; qui pretiosum à se factum vinum offerri noluit, donec alterum fuisset omnino expeditum, & eius defectus animaduerti cœpisset, idq; ob duplicem causam. *Prima*, vt pluris faciamus ea, quæ nobis Deus largitur: Cum, propriam nostram miseriam experti, videmus, peropportune à Deo nobis remedium adferri: ipsa experientia discentes, id, quod Regius Propheta dixit: Deum b *esse adiutorē in opportunitatibus in tribulatione*. Subuenit enim, cùm maximè nobis esset opportunum. *Secunda*, causa est, vt doceat, se non dare spiritus consolationes, donec carnis mortificentur; nec pluere cœleste manna, quamdiu supereſt farina ex AEgypto accepta; & *Epist.2. & Serm.3.de Ascensione.* vt ait D. Bernardus, non benè commiscentur duo hęc genera vinorum, cœlestia scilicet & terrena solatia. Quare si cœlestia gustare cupio, necesse est in me terrena deficere: quibus interdum DEVS det delibare cœlestia, vt nos faciliùs à terrenis expediamus. O animarum amator, propina mihi ad gustandum, spiritûs vinum, vt in eo, quod carni arridet, gustum nullum inueniam. Concede, vt cœlestis tui pectoris suauitatem percipiam, vt terrenarum omnium deliciarum fastidium acquiram. O anima mea, te ipsam ad voluptates sensuum mortificandas permove, quò digna sis, æternas obtinere in secula. Amen.

b *Psal.9.10.*

MEDI-

MEDITATIO X.

CHRISTVS DOMINVS noſter negotiatores è templo expellit.

PVNCTVM I.



SCENDENS IESVS *Hieroſolymam, ainuenit in tẽplo vendentes boues, & oues, & columbas, & numularios ſedentes: Et, cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo: oues quoque & boues, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit. Et his qui columbas vendebant, dixit: auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* a *Ioan. 2. 13.*

PRIMVM perpendam inſignem zelum, quo Chriſtus tenebatur paternæ gloriæ, & puritatis templi eius. zelus enim eſt ardens quoddã deſiderium amouendi, vel impediendi, quidquid rei amatæ aduerſatur, eò quòd ſit contra eius voluntatẽ, honorẽ, aut cõmodum. Et quò amor eſt maior, eò & zelus maior eſt; & maior porrò triſtitia de iniuria vel damno amati, maiorque ad eius remedium impetus. I. *S. Thom. 1. 2. q. 18. a. 4.*

ET quoniam Chriſtus patrem ſuum, & eius Eccleſiã immensè amabat, ardentiſſimo quoque zelo tenebatur eorum, quę ad illos ſpectabant. Ex quo proceſſit vt flagellum acciperet,

& eos ex templo eiiceret, qui illud profanabant, vt notauit Sanctus Ioannes illud Dauidis allegans : b *Zelus domus tuæ commedit me.* quibus verbis zeli illius magnitudinem significat in duobus. *Primum,* quòd fuerit instar ignis consumentis, qui nõ solùm cor eius torquebat; sed & facultates & honorem, gaudium & vitam ipsam consumpsit, omnia dissoluens, donec nudum, inhonoratum, desertum ac mortuum illum in cruce reliquit; vt patris sui eiusque domûs honorem tueretur. *Secundum,* quòd zelus hic totum ipsum in se transtulit & transformauit eo modò, quo qui sumit cibum, illum in se conuertit : sic enim zelus ipsum Christum comediſſe intelligendus est, totus enim ipse, omnes eius cogitationes, verba & opera ita in zelum erant conuersa, vt zelus ipsum moueret, & vrgeret ad omnia, quæ boni nostri intuitu dicebat & faciebat. & in hodiernum diem zelus iste Christum comedit : Nam (vt Meditat. 11. 4. parte dicemus) zelus in causa est, cur seipsum cibum faciat, quem comedant fideles. O dulcissime Redemptor, gratias tibi ago pro illo zelo, quem de domo patris tui, quæ est Ecclesia, & de anima mea, quæ etiam eius est domus, habuisti. Remove ab ea quidquid tibi displicet, & consume igne tuo, quicquid illam turbat. Da etiam mihi zelum tuo similẽ, vt honorem tuũ, etiam cum mei honoris iactura, propugnẽ : felicissimus enim ero, si zelus iste me cõsumpserit, sicut te comedit.

b *Psal. 68. 10.*

DEINDE,

II.

DEINDE, perpendam Christi Domini, quæ ex hoc zelo nascebatur, fortitudinẽ, qua tantæ hominum frequentiæ sese opposuit cum periculo, ne omnes in ipsum consurgerent. Amor enim diuinus humanum omnem timorem expellit, b *quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* &, cùm opus est, flagellum facit, quo castigat negligentes; & à Dei domo auertit quidquid in eius vergit detrimentum. Et eâdem etiam causa Deus ipse (vt ait Scriptura) c *quem diligit, corripit; & quasi pater in filio sibi cõplacet*, quò eius auferat imperfectiones. O dulcissime Saluator, qui eodem zelo, quo flagellum accipis ad domum patris tui purgandam; permittis hostibus tuis, flagello castigare corpus tuũ, vt tuorum flagellorum pœnâ pro illorum peccatis satisfacias; eodem quæso zelo me indue, vt carnem meam pro eius culpis castigem, & magna fortitudine alienas impedire contendam. Ne quæso d *auferatur* pius *zelus tuus à me*, cùm peccauero; malo enim vt filius castigari, quam in mea libertate viuens, vt extraneus haberi.

b *Can. 8. 6.*

c *Prou. 3. 12. Heb. 12. 6.*

d *Ezec. 16. 42.*

PVNCTVM II.

PETENTIBVS Iudæis à Christo signũ aliquod siue miraculũ, vt crederent, & approbarẽt, quod faciebat, respõdit: a *Soluite templũ hoc & in tribus diebus excitabo illud, ille aũt dicebat de tẽplo corporis sui*, b *in quo*

a *Ioan. 2. 19*

b *Coll. 2. 3. 9*

sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, & in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter propter vnionem hypostaticam. Circa hoc Considerandum, quale hoc sit signum? quæ miracula in se includat? quæ sint eius significata & effectus.

I. PRIMVM, duo hic signa complexus est Christus, alterum Passionis, alterum RESVRRECTIONIS suæ. *Primum* est quòd permitteret ipse, excellens adeò templum flagellis, spinis & clauis destrui, dum crucifixum, luxatum & mortuum reliquerunt. *Secundum*, quòd propria virtute resurrecturus, corpusque suum glorioſiori, quàm prius habuisset, vitæ restituturus esset. Eadem signa etiam aliàs eisdem Iudæis dederat: c *Generatio* (inquit) *mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ: Sicut enim Ionas in* mare proiectus, quo nauem à naufragio liberaret *fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus*, & postea tamen viuus exiuit: *sic filius hominis* proiicietur in turbatissimum mare tribulationum & à morte, ac inferno deuoratus, *erit in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*, tertio tamen die viuens triumphator, & glorificatus resurget.

c *Matth.* 12. 39.

VTRVMQVE hoc signum fuit prodigiosum. Magnum enim fuit prodigium, quòd CHRISTVS DEVS & homo glorificatus habens animam, corpus tamen haberet mor-

tale

tale: & dissoluta animæ cum corpore vnitione occidi se permitteret. Quod miraculum indicium fuit infinitæ ipsius charitatis & misericordiæ, qua hostibus suis, potestatem fecit, corporis sui templum dissoluendi; vt sic illorum animarum templum repararet, easque Dei viui templa efficeret. Imò etiam omnipotentiæ ipsius fuit signum, quam ostendit, dum horrendos adeò cruciatus & contemptus, prodigiosâ quadam patientiâ & mansuetudine vsque ad mortem in cruce tolerauit. In ipsa quoque morte omnipotentiam suam prodit, vt qui morte sua de ipsamet morte & inferno triumphauit; non solùm in se ipso, sed in suis etiam Electis; quos ab eius tyrannide eripuit, & ex ventre Ceti, à quo fuerant deuorati, exemit. Et ita glorificatus, multis spoliis, & innumeris animabus, quas è Lymbo eduxit, resurrexit.

His signis effecit vt homines in ipsum crederent eum, diligerent & ei obedirent: quamobrem idem Dominus dixit: d *Et ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, idque non flagellis ex funiculis confectis, & seueritate pœnarum; sed e *in funiculis Adam traham eos in vinculis Charitatis*, & multis beneficiis adhibitis. Gratias tibi, Redemptor dulcissime, ob adeò nouum & inusitatum signum, tibi quidem valde carum, mihi verò vtilissimum, & periucundum. Ego miser ille sum, qui templum tuum, quod

d *Ioan. 12. 32.*

e *Osea 11. 4.*

est anima mea, peccatis meis destruo: quod tamen tu tribus diebus reædificare potes, me in primo gratiâ tuâ viuificando; in secundo perseuerantiâ me perficiendo: & ad gloriæ tuæ participationem, in tertio resuscitando. Repara igitur illud Domine propter tuæ Passionis merita; meque ad tuum obsequium, trahe funiculis tot beneficiorum, quæ in me contulisti: vt spiritu renouatus ad te in cœlo fruendum citiùs perueniam.

PVNCTVM III.

CONSIDERANDVM tertiò, Christum Dominum secundò, circa sua Passionis tempus, negotiantes è templo eiecisse mensasque numulariorum, & Cathedras vendentium columbas euertisse, ac dixisse a *scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur* b *omnibus gentibus, vos autem fecistis illam speluncam latronum, &* [illegible] *non sinebat vt quisquam transferret vas per templum.*

a *Matt. 21. 12.*
b *Marc. 11. 15.*
a *Luc. 19. 45*
a *Isai. 56. 1.*
a *Hier. 7. 11.*

CIRCA hoc factum cum præcedente comparatum, est perpendendum, quòd primo illo CHRISTVS verbo & flagello ex funiculis confecto negotiantes eiecit è templo. Secundò autem verbis, & magnis miraculis editis, relinquendo flagella pro dorso suo. Vt sic nos doceat duplicem modum, quo ipse solet, spirituale templum purificare; pœnis scilicet, & beneficiis: primò vsus est in lege veteri

veteri, quæ erat lex timoris; Secundò vtitur in noua quæ est amoris. Quod si neuter proficiat, tandem destruetur templum, sicut contigit Hierosolymitano, adhibito vltimo æternæ damnationis supplicio. Deinde, in primo illo dixit: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*, significans, templum non esse domum negotiationis profanæ, sed diuinæ; ac proinde non esse ad illud veniendum causâ negotiandi cum hominibus, sed cum Deo; *vt* c *negotium proprium,* quod nostram salutem concernit, *peragamus*, sacrificiis & orationibus, ad felicem expeditionem, adhibitis. Secundò, *non sinebat vt quisquam transferret vas per templum* & seuerius illos reprehendit, dicens: *vos autem fecistis illam speluncam latronum.* nobis significans, huiusmodi emptionis & venditionis negotiationibus facilè misceri furta, fraudes, iniustitias, & interdum etiam simonias. 1. Timoth. 6. 10. *Radix enim omnium malorum est cupiditas* quæ eò vsque peruenit, vt etiam Spiritum sanctum eiusque gratias ac dona per columbas expressa, vendere audeat. O Saluator mundi, Ioan. 1. 32. Matth. 3. 16. *Super quem descendit Spiritus sanctus quasi columba de cœlo,* quem tuis discipulis f *tanquam ignem* communicasti: purga me à meis cupiditatibus igne tui amoris, vt g *sanctitudinem* & columbæ puritatem *quæ domum tuam decet*, consequi possim in omnia sæcula. Amen.

c 1. *Thes.* 4. 11.

f *Acto.* 2. 3.

g *Psal* 92. 5.

II.

Ex hoc vlterius perpendam, qua ratione anima mea & templum & domus orationis esse debeat, in quam ingredi debeam, & h *Patrem cœlestem in abscondito orare, qui videt in abscondito* cordis mei, & *reddet mihi*. Et quoniam non vocatur domus orationis locus, in quo semel atque iterum oratur; sed qui Oratorium est, & ad orationem solum dedicatus: tale debet esse cor meum, vt huius exercitij assiduitati magno feruore consecretur. Quocunque itaque iuero (vt sancti loquuntur) me cum arripiam oratorium meum, vt impleam quod Apostolus monet, i *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus, sine ira & disceptatione*. Hinc fit vt anima mea sit domus orationis, & esse debeat humilitatis, obedientiæ, patientiæ, & aliarum virtutum. Omnes enim (vt in huius libri Introductione dictum est) in Orationis domo inueniuntur, eam comitantes, & excellentes suos actus, cum ea exercentes. ac propterea non debet esse prophanæ negotiationis domus, nec latronum hospitium, hoc est, vitiorum & terrenarum curarum, quæ turbant & deprædantur deuotionem, ipsamque orationem è propria domo exturbant. Ex quo intelligam, animam meam, vt digna sit orationis domus, debere has tres conditiones præcipuè habere; vt sit munda, quieta, & ornata. Munda à culpis, quæ mordent; Quieta à passionibus, quæ eam turbant; Ornata denique virtutum actibus, quibus fouetur. Tunc enim ait sanctus Augustinus.

h *Mat. 6. 6.*

i *1. Tim. 2. 8.*

D. Amb. li. 6. de sacris cap. 3. Chrys. hom 79. ad pop. Hil. can. 5. in Matth.

Ipsa

Ipsa munditia cordis sui delectabit te, & faciet te orare. si autem immunda sit turbata, & incomposita, cùm illam ingredi volueris, exibis statim, & orationem relinques. sicut qui Ecclesiam ingreditur oraturus, in qua strepitus & clamores sint, exit statim; quia non potest, vt cuperet, orare. O Saluator mi, sancto zelo tuo te arma, flagellum in manu tua accipe, & ingressus templum hoc, eijce ex eo, quicquid tibi displicet, nec patiaris quidque per illud transire, quod turbet. Purga hanc latronum speluncam, vt ex nunc sit domus Orationis, Angelorum hospitium, & pacis habitatio, in qua tu maneas in æternum. Amen.

Conc. 2. in Psal 33. Psal. 100. 2. in id: perambulabã in innocentia cordis mei in medio domus mea.

MEDITATIO XI.

DE SERMONE IN MONte, & de octo beatitudinibus.

VIDENS *autem Iesus turbas, ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius,* b *& eleuatis oculis in eos aperiens os suum docebat eos dicẽs: Beati pauperes spiritu &c.*

a *Mat. 5. 1.*

b *Luc. 6. 20*

Circa hoc adeò magnificum exordium considerari potest mysterium loci, in quo sermo habetur, qui est mons altus; sessio autem ipsius Magi-

stri, quæ est terra humilis; Auditores, qui propius accesserunt, qui sunt ipsi Apostoli; Oculorum motus, qui est eleuatio ad illos conspiciendos; modus item loquendi; qui fuit os suum aperiendo, ac denique sermonis thema, quod est, Octo Beatitudines. Et super omnia interior magistri excellentia, à quo reliqua processerunt.

PVNCTVM I.

I. PRIMVM considerandum, Christũ Dominum nostrum in hoc mõte triplicis præcipui officij, quod eius Pater ad nostram vtilitatem ei cõmiserat, publicam possessionem adijsse, Magistri videlicet, legislatoris, & Consiliarij, omnia exercendo perfectione altissima, montis altitudine præsignata. Ingressus enim intra seipsum c *ex thesauris* scientiæ & sapientiæ Dei, quos in seipso habebat, *protulit, noua & vetera.* prætiosissimas videlicet, nobisque vtilissimas veritates. Qua Magister, docuit nos, non vana aut curiosa? non Astrologiam, aliasve humanas scientias, quæ multum inflare, parum verò prodesse consueuerunt: sed d *scientiam* nos docuit *Sanctorum.* & vt Isaias loquitur: e *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia.* quæ altissima fidei nostræ mysteria, resq; ad sanctitatẽ obtinendam necessarias complectũtur. Qua Legislator, promulgauit de nouo, ac declarauit diuinam legem, cum omni puritate & sanctitate, quam in se continet; eandemque ab omnibus erroribus, quos humana malitia ei immiscuerat,

c *Mat. 13. 52*

d *Sap. 10. 10*

e *Isai. 48. 17*

purifi-

purificauit. quæ verò in antiqua lege erãt imperfecta, ipse adiecit, vt eã perficeret. Quà cõsiliarius, docuit legis nouæ & Euangelicæ cõsilia, quæ sunt excellentissima omniũ, quæ cõsuli possunt, quorum ratione appellatur, f *admirabilis, Consiliarius, & magni consilij Angelus.*

f *Isai.9.6.*

II.

DEINDE perpendam tria hæc officia executum esse Christum Dominum nouo quodã, admirando, & excellentissimo modo. Nam, vt Magister, non solùm exteriùs doctrinam proponebat; sed interiùs etiam lucem dabat cœlestem, qua illa caperetur & æstimaretur: Vt legislator non solùm excellẽtes leges & præcepta proponebat; sed eadem cordi imprimebat, simul gratiam conferens, vt magna suauitate implerentur. Denique vt Consiliarius non solùm consilium dabat, sed spiritum etiã simul & vires ad recipiendũ, & porrò executioni mandandum conferebat. Qua ratione magistros omnes, legislatores, & mundi consiliarios excelluit; vt propterea iure merito prohibuerit; g *Ne vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus.* Et eadem ratione erit vnus tantùm legislator, & Consiliarius vnicus. O Pater æterne, gratias tibi ago, quod mihi Magistrum optimum, legislatorem & consiliariũ dederis, quem dare poteras, O fili Dei viui, quid pro tãto hoc beneficio reddã, cp ipsemet veneris, tuumq; os aperueris, vt tuã me doctrinã doceres. suffecisset .n. si Angeli veniissent, & eorũ ore eã mihi cõmunicasses. O anima mea h *videant oculi tui*

g *Mat.23. 10.*

h *Isai.30. 20*

præce-

præceptorem tuum, quem tibi Deus dedit. Et quandoquidē præcipit vt i *Consiliarius tibi sit vnus de mille*, hunc elige, qui omnium est optimus, electus ex millibus. Consule eum in tuis dubijs, & k *consilium tuum sint iustificationes eius*. O cœlestis magister illustra me tua luce, vt cognoscam quod me doces. O legislator superne, impertire mihi benedictionem tuam, vt quod mihi imperas, implere valeam. O admirabilis Consiliarie, da mihi vires, vt tua sequar consilia; & tuo auxilio l *de virtute in virtutem ascendam, donec te videam Deum Deorum in Sion.* Amen.

i *Eccl.6 6.*

k *Psal.118. 24.*

l *Psal. 83.8.*

III.

DEMVM perpendam Christum Dominum nostrum, nunquam desistere à tribus hisce officijs erga homines præstandis, erga eos præcipuè, qui desiderant montem perfectionis cū ipso conscendere, & ipsi amore maximè appropinquare. Nam vt scriptura loquitur, m *Qui ad eùm accedunt illuminantur* n *& qui appropinquant pedibus eius* per ipsius humilitatis imitationem *accipient de doctrina illius*. Istales conijcit ipse oculos suæ misericordiæ eosque docet nunc per concionatores, cùm eos audiunt, nunc per sacros & pios libros, cùm eos legunt; nunc seorsim per internas inspirationes, cùm orant & meditantur, aperiens ipsemet os suum, & ad eorum cor loquatur, vbi instar Magistri nouum infundit lumen ad fidei mysteria cognoscenda, & legislatoris instar affectus imprimit legis gratiæ & charitatis: & sicut Consiliarius vocat,

m *Psal 33.6*

n *Deu.33.3*

& ad perfectionem ſequendam ſollicitat.

Hoc igitur ſpiritu accedere me oportet ad concionem, lectionem, & orationē, ſicut qui propè accedit, ad diuinum hunc magiſtrum audiendum, qui me internè per alios alloquitur. propterea enim dixit pater æternus o *Et non faciet auolare à te vltra doctorem tuum.* o *Iſa.30.20.*

NVNQVAM enim vſque ad finem mundi ab hoc officio ceſſabit. Quare in ipſo horum exercitiorū veſtibulo, Chriſto Domino noſtro dicere poſſum: O Magiſtrorum Magiſter, aperi quæſo os tuum & r *loquere quia audit ſeruus tuus*, deſiderans id exequi, quod audierit. r *1. Reg.3.9.*

PVNCTVM II.

CONSIDERANDVM hic eſt thema ipſum & ſermonis Chriſti fundamentum. Inſpiciens enim ipſe virtutum theſaurū, quem in anima ſua habebat, ex eo protulit octo primarias, quibus vniuerſa Euangelicæ perfectionis ratio continetur; quæ virtutes quidem ſunt antiquæ, ſed valdè nouæ, & nunquam in mundo auditæ, nouo quodam nomine Beatitudinem illis impoſito, quāuis carni eſſent acerbæ. Hic locum habuit illud ſponſę: a *Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam*. Nam aperiens os ſuum, nunc primùm per labia ſua diſtillauit magna dulcedine & ſuauitate octo hoſce virtutum & mortificationis ſelectiſſimæ actus: guſtatui quidem & carni acerbos, Deo verò gratos & ſuaue-uolentes ſpiritui valdè vtiles, & qui ab omni culpæ corruptione præſeruare illum poſſint, I. a *Cant. 5.13*

præ-

præmio enim, quod promittebat, & suauissimo, quo eas proponebat modo dulcissimos reddebat. O superne Magister, b *instilla* quæso cordi meo electam & probatissimam harum virtutum *myrrham*, *& manus meæ ac digiti* & omnes animæ facultates *illam distillent*, doctrinam eueſtigio tuam opere exequendo.

b *Cant. 5.5.*

II. DEINDE perpendã, qua ratione Christus Dominus harũ virtutum, quæ in mũdo despectui & horrori erant, honorem promouerit, mundus enim non beatitudines illas, sed calamitates iudicabat, ac propterea eas fugiẽs, eis contraria amplectebatur. Noster verò Saluator, glorioso valdè nomine vnamquamq; cõpellauit, & excellentissimũ præmiũ cuiq; assignauit; exemploq́; suo perquam maximè illustrauit. Cùm enim qua Deus erat, paupertatis, fletus, ac persecutionum capax non esset, descendit è cœlo, vt harum virtutum actus homo factus exerceret, latentesq́; in eis thesauros nobis aperiret. Gratias tibi supreme magister, quòd nos à tanto errore, doctrina & exemplo tuo liberaueris, ex nunc Beatitudinẽ iudicabo, quicquid tu clarissimo hoc nomine compellas; totisque viribus & illud quærã, & fugiam contrarium. detege Domine errorem hunc omnibus, qui in mundo viuunt, vt his veritatibus cognitis, virtutes ipsas amplectantur, & earum fruantur præmiis, veramq́; ad quam fuerunt cõditi, beatitudinem consequantur.

III. TERTIÒ perpendã has octo Beatitudines esse

esse instar octo graduum scalæ cœlestis, per quos ad sanctitatis culmen, & cum Deo vnitionem conscenditur, & hoc spiritu easdem meditari oportet, tria aut quatuor in singulis expẽdendo, actus videlicet illius virtutis exemplum, quod Christus nobis eã exercendo præbuit, Præmium, quod eidẽ respondẽs promittit ac denig; pœnã, quam ijs minatur, qui viã tenent contrariam, vt in subiectis punctis dicetur. Hoc prænotato, ne eadem res repetatur sæpiũs, Christi Domini exempla solũ meditabor, lectorẽ remittens ad fusiorem tractationem, quæ in mysterijs, vbi Christus eas exercuit, ponetur; in cruce præcipue, in qua omnes illas eminenter exercuit, vt initio quartæ partis apparebit: Et eâdem causâ ipsa præmia solùm attingam, quia de omnibus simul in fine sextæ partis fusiùs agetur, vt inæstimabiles gloriæ diuitias aperiamus.

S. Tho. 1. 2. q. 69

PVNCTVM III.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

CONSIDERANDI sunt primũ actus paupertatis spiritus, qui sunt quinq;. *Primus* est spiritu & corde rebus temporalibus renũciare, inordinatos ad eas affectus exuendo, & ad eas reipsa relinquẽdas, quandò ad DEI voluntatem exequendam id fuerit necessarium, nos ipsos offerendo paratos. *Secundus* igitur perfectior actus est, reipsa abijcere quicquid possideo, excitatus ad hoc spirituali & pura voluntate Deo placẽdi, vt spi-

I.

ritus

ritûs diuini, qui me ad id inclinat, impulsui paream. *Tertius* est, exuere & purificare animam ab omni spiritu & vento vanitatis, & ab omni tumore & præsumptione vana, contemnendo quoad potero corde omnes mundi pompas, aut etiam eas relinquēdo, quando id possum, & mihi id expedit ad diuinum seruitium. *Quartus* est, meipsum ab omni proprietatis spiritu exspoliare, iudicium proprium, propriamque voluntatem cum omnibus eius desideriis, (nisi quæ Dei voluntati, sunt conformia, nam tunc non propria sed communia iudicabuntur) omninò exuendo. *Quintus*, isque supremus actus est, ita meipsum exinanire, vt adeo pauperem me agnoscam, quod ex meipso nihil prorsus habeam, nisi Deus gratis mihi donet, si quidem ne ipsum quidem esse quod habeo meum est, sed Dei, sine quo nihil sum. Quinque hos actus perpendens tum erubescam quod eos in me non reperiam; tum spiritui diuino supplicabo, me vt adiuuet ad illos iuxta rationem mei status obtinendos.

II. *D. Thom. 3. q. 40. a. 3.*

Psal. 87. 16. Pauper sum ego.

DEINDE, considerabo rara illa, quæ Christus Dominus noster in omnibus vitæ suę ætatibus & in rebus omnibus, quæ paupertatis materia esse poterant, exempla nobis reliquit. Elegit enim in primis matrem pauperem, pauperem patriam, pauperrimam porticum, in qua nasceretur; fuitq; in paupere præsepio reclinatus. In iuuentute sua artem exercuit vilem & pauperem. nam manuum suarum labore victum comparabat (sicut in secunda

parte

parte dictum est) quando etiam prædicabat, comedebat de iis, quæ deuotæ fœminæ a *ministrabant ei de facultatibus suis*. comedebat autem hordeaceum panem, nec propriam domum habebat, sic enim ipse dixit: b *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Imò & discipulos elegit pauperes, ac semper se pauperibus coniunxit, contemptum sui amauit; honores fugit; propriam voluntatem exuit, imò excellentissima quadam interiori paupertate se ipso sese expoliauit. Dixit enim se c *descendisse de cælo non vt propriam voluntatem faceret sed eius qui misit ipsum.* & d *à seipso se nihil posse, sed quod Patrẽ. suum facientem videret*. Ac denique mortis tempore eò vsque eius paupertas deuenit, vt sublatis vestibus, nudus in cruce relinqueretur: Et vt amorem suum erga paupertatem quantique illam faceret, manifestiùs ostenderet, tanquam lapidem sui Euangelij fundamentalem, & portam, qua ad ipsius scholam pateret ingressus, in hoc sermone illum posuit, dicens, e *omnis ex vobis, qui non renuntiat* (saltem affectu) *omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. O supreme Magister per quinque illos sanguinis fontes, qui ex quinque tuis vulneribus emanarunt, quinque hos paupertatis actus, mihi concede, quò perfectionem, quã super eam extruxisti consequi valeam.

a *Luc. 8.3.*

b *Luc. 9.58.*

c *Ioh. 6. 38.*
d *& c. 5. 19. 30.*

e *Luc. 14. 33*

TERTIÒ perpendam Christum Dominum

huiusmodi pauperibus regnum cęlorum promisisse,& propterea illos beatos pronunciasse: qui reipsa tales sunt, dum etiam in hac vita regnum Dei possident, quod Apostolus f *iustitiam, pacem & gaudium in Spiritu sancto* appellat: quod ijs conceditur, qui suam cupiditatem mortificant, sicut 1. p. medit. 21. dictum est. Sunt præterea beati propter spem & certam arrham, quam habent, regnum cœlorum obtinendi, quod in altera vita est promissum, cuius diuitiæ, vt postea videbimus, sunt inæstimabiles. O anima mea, quomodo spiritus paupertatem non amplexaberis, quâ tuus cælestis magister complexus est, & in qua tot præmia obtinentur? proijce ergò te in ipsius manus, qui nec prouidentiâ suâ tibi deerit, nec definet promissionem suam implere. Et qui quotidie regnum Dei petis, paupertatem, cui illud est promissum, amplectere.

f *Ro. 14. 17.*

IV. CONSIDERABO quartò horrendas minas Christi Domini aduersus eos diuites, qui paupertatem spiritus detestantes, superfluas amant diuitias, g *Væ*, inquit, *vobis diuitibus; quia hic habetis consolationem vestram*, quasi diceret, ô vos infelices, quorum totum præmium in ea consolatione finietur, quam in vestris diuitiis habetis, væ, inquam, vobis, qui præmium hic vestrum accipientes, nullam postea à Deo consolationem habebitis, quæ vera alias & pura est consolatio, non sicut vestra, cui mille incommoda admiscentur

g *Luc. 6. 24*

nun-

nunquam enim regnum vobis erit, *iustitia, pax, & gaudium*, sed iniustitiâ potius, turbatione ac tristitiâ replebimini, ac deniq; ad extremam paupertatem, æternamque miseriam deuenietis, sicut h *Epulo ille diues, qui* cùm *bona & consolationes recepisset in vita sua, postea in inferno cruciabatur*, contra quam pauper Lazarus. h *Lu.16. 25.*

QVARE, anima mea, si tanti præmij desiderium ad paupertatis amorē non te mouet, moueat te saltem, tot malorum timor; vt consolationem tuam, in temporalium diuitiarum odio ponens, amorem transferas ad æternas, quibus frui possis.

PVNCTVM IV.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

PERFECTA mansuetudo hos actus complectitur, *primus* est, iræ impetus, cordisque perturbationes reprimere, interiore & exteriore in vultu & corporis motibus tranquillitate conseruata. 1.

Secundus affabilem esse cum omnibus, verbis eos blandis alloquendo, nullo verbo iniurioso aut ingrato, nec turbata voce, aut contentione, quæ turbare alios possit, prolato.

Tertius, non solûm iniurias non vlcisci, aut malum pro malo non reddere, sed potiùs, nec violentiâ iniuriosa ei resistere, qui mihi inferat iniuriam, & ferre magna tranquillitate meum contemptum, offerendo, si opus erit, a *sinistram maxillam meam*; a *Mat.5.39.*

ei qui percusserit dexteram; bonum pro malo reddendo; eum, qui me iniuria affecit excusando, Deumque vt ei ignoscat, rogando. Huiusmodi mansuetudo erga omnes seruanda est, superiores, æquales, & inferiores, in omnibus negotijs, in quouis euentu: nunquam admittendo contra eam aliquid, etiam cùm zelo iustitiæ vti necessarium esset.

II. DEINDE considerabo excellentissimam Christi Domini mansuetudinem, quâ semper tãti fecit, vt cû insigne semper eius exemplar

b *Mat. 11. 29* seipsum præberet, diceret, b *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde*; hoc eodem insigni voluit agnosci, in primo suo in mundum aduentu, dicens per prophetas: c *Non erit tristis, neq; turbulentus, non clamabit, nec audietur*

c *Isai. 42. 3. 4.*

c *Mat. 12. 19* *vox eius foris; calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* potiùs fumi illum & naribus suis excipiet, & patienter feret. In passione etiam sua, raram ostendit mansuetudinem, vt etiam pro persecutoribus exoraret, vt suo loco dicemus. O mansuetissime *Agne*, qui cùm tunderetis, & excoriaretis, os tuum non aperiebas, copiosam mihi concede gratiam, qua admirabilem tuam imiter mansuetudinem.

d *Lu. 23. 34*

f *Isai. 53. 7.*

III. CONSIDERANDVM tertiò mansuetorum præmium esse, vt possideant terram. *Primùm* quia ipsi sunt domini terræ cordis sui, suarumque passionum, possidentes etiam magna firmitate animas suas, & intra illas Deum suum & Dominum, cum quo val-

dè familiariter agunt, sicut mitissimus Moyses, & mansuetus Dauid; complacet enim sibi Deus valdè, dum *vias suas mansuetos docet*, & cum illis conuersatur. Hinc est quod etiam humanorum cordium terram possideant, quia omnium voluntates, ad se trahunt; & dum ipsi *opera sua in mansuetudine* (vt Sapiens ait) *perficiunt*, *super hominum gloriam diliguntur*. Denique *viuentium terram hæreditabunt*. quæ est patria cœlestis, ad quam conditi fuerunt, & in qua Deum Dominum nostrum, qui illorum est hæreditas & patrimonium, possidebunt; & ab eodem etiam ipsi possidebuntur, qui habitat & requiescit super mansuetos, quibus cœlos suos replet. O Spiritus diuine, qui quasi columba, super mansuetos agnos descendis, ob similitudinem quam tecum habent, fac & me, tibi in mansuetudine similem, vt cum firmitate coniunctionem cum tua gratia possideam, & gloriæ postea hæreditatem, Amen.

g *Ps. 24. 9.*

Eccl. 1. 19.

Psal. 36. 9.

PVNCTVM V.

Beati qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur.

FLETVS, qui beatus dicitur, hos actus complectitur. *Primus* est Risum lusus, & superfluas recreationes, non illicitas solùm repellit, sed aliquas etiam, quas sine peccato potuisset assumere, iuxta illud: *risum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra* *Eccles. 2.*

I.

deciperis? Secundus est, flere ob mea peccata, non tam ob incommodum, quod ex meis mihi prouenit, quàm ob diuinam offensionem, sicut *fleuit* sanctus *Petrus*, & Dauid cùm dicebat: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*. Tertius actus est aliorum hominum peccata deflere, tum ob proprium ipsorum damnum, & condemnationem, tum ob iniuriam, qua Deus est ab eis affectus; ex corde dolens, quòd videam quàm malè ipsi Deo seruiatur; sicut Hieremias, cùm diceret, *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die, ac nocte, interfectos filiæ populi mei*. *Quartus* actus est auxilium proprium, Deique absentiam deflere, suspirando, vt illius præsentia frui possim, dicens cum Dauide, *fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?*

Luc. 22. 62.
Psal. 118. 136
Hier. 9. 1.
Psal. 41. 4.

PRIMAE lachrymæ sunt contritionis, secundæ compassionis, tertiæ deuotionis; quibus illæ sunt similes, quæ in mysteriorum passionis meditatione funduntur. Et perpendens omnes has lachrymas mihi deesse, nec solùm corporeas, (quæ sæpè solent sine culpa deesse) sed etiam illæ, quæ à spiritu procedunt, dicam ipsi Domino, quod filia Caleb dixit patri suo, *terram australem & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam, dedit autem ei Caleb, irriguum superius & inferius*. Oret supreme *anima mea sicut terra, sine aqua*

Ios. 15. 19.
Psal. 142. 6.

tibi,

tibi, da mihi irriguum inferiùs, hoc est timoris lacrymas, & irriguum superius, quæ sunt lachrymæ amoris, vt ita peccata mea & miserias, omniumque mortalium defleam, vt à misericordia tua remedium earum obtineam, Amen. *D. Greg. 3. Dial. c. 34.*

II. DEINDE considerabo, nõ legi, quod Christus aliquandò riserit, vt S. Basil. notauit, scimus tamen, sæpè illum fleuisse, in præsepi videlicet, in morte Lazari, super ciuitatẽ Ierusalem & in cruce, tenerrimis lacrymis, sicut in horum mysteriorum meditationibus, licebit videre. Ac denique vt Apost. ait, *in diebus carnis suæ*, hoc est, vitæ suæ mortalis, *preces, supplicationesque cum clamore valido & lacrymis obtulit*, donec in horto Gethsemani orans sudauit, non aquæ guttas, sed sanguinis, atque si, sanguinis lacrymas, per omnes naturalis sui corporis poros funderet, propter mystici sui corporis peccata & miserias. O dulcis Iesu, cõuerte oculos meos in fontes lacrymarum, vt tuas comitentur, quarum ego fui causa. *Regul. 17. ex Fus.* *Heb. 5. 7.*

III. TERTIÒ perpendam, fletum, qui in oculis huius mundi calamitatis & miseriæ est signum, in conspectu Christi esse beatitudinem; ita enim ipse, *beatos* appellat *eos qui lugent*, promittens illis, in eo, consolationem, propter quod lugent. Si lugent ob sua peccata consolationem in eorum venia obtinebunt. Si ob aliena peccata, aut proprium suum à Cœlesti patria, *Mat. 5. 5.*

exilium; *conuertet Deus planctum eorum, in gaudium ipsis*, spe, quod illorum labores finientur, & æternæ consolationes aduenient, *Psal. 29. 12.*

citò, *abstergente Deo omnem lacrymam ab oculis eorum*, & planctui finem imponente. O *Apoc. 7. 17.*

felices lacrymas, quæ tales consolationes pro præmio habent. Hic Deus meus, lugere volo, siquidem ipse luctus est dulcis, quod si

adeò iucundum est, tui amore lugere, quam *S. Aug.*

erit dulce teipso frui!

IV.

DENIQVE perpendam, *Væ* illud quod Christus minatus est, dicens. *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis*. Si itaque *Luc. 6. 25.*

effrænatè me risui tradidero vanisque voluptatibus, sequentur mihi amaræ lacrymæ & terribilis dolor, vel in hac vita, iuxta illud

Salomonis, *risus dolore miscebitur & extrema gaudij luctus occupat*, aut in altera, vbi vt *Prou. 14. 13.*

Christus ipse dixit *erit fletus, & stridor dentium*, iuxta sententiam aduersus Babylonem *Mat. 8. 12.*

latam, *quantum glorificauit se & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum, quia dixit in corde suo, sedeo Regina, & luctum non videbo*. Detestare ô anima mea, risus inanes, *Apoc. 18. 7.*

& planctum honestum amplectere, siquidem temporaneis lacrymis redimes æternas.

(··)

PVN.

PVNCTVM VI.

Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

ESVRIRE & sitire iustitiam, hos actus complectitur. *Primus* est desiderare, omnia, quæ iustitiæ sunt & obligationis erga Deum & proximos, implere, nulla prætermissa; sed omnia omnino libenter absque tędio & fastidio etiam cum carni desipiunt, præstando, instar illius, qui famelicus comedit, & sitibundus bibit; comedit enim bibitq; ille, quantum necesse est, magno appetitu & gustu. iuxta illud Sapientis, *Anima esuriens, etiam amarum pro dulci sumet.* *Secundus* actus est, desiderare magis ac magis in virtutibus proficere, eo iudicio quòd parum sit quod habetur, deesse verò plurima. *Tertius* actus est, esurire & sitire, vt hæc ipsa iustitia sit in mũdo, & omnes eam assequi studeant, & conseruare; seipsos etiam ad famem temporalem & quamcunque aliam molestiam tolerandam offerant, vt hæc iustitia præualeat. *Quartus* actus est, ex omnibus visceribus esurire Christum Dominum, *qui nostra iustitia est*, sacramentaliter, aut spiritualiter sumere, ac desiderare, viuam ipsius gratiam, vinumq; & lac diuinarum consolationum *haurire*: magna siti currendo ad ipsa Sacramenta, ad orationẽ & meditationem tanquam *ad fontes Saluatoris*, ex quibus illæ promanant. *Quintus* est,

I.

Prou. 27.7.

1. Cor. 1. 30.

Isaiæ 12. 3.

ardenter desiderare coronam iustitiæ,& suspirare ad visionem DEI, & eum Christo, eius mensæ assidere, vt comedam ac bibam, quod me semper satiare possit. In hac fame & siti, consistit ille quem spiritus feruorem appellamus, accediæ & pigritiæ vitio omninò contrarius; quo feruore, meritò, mea omnia opera perficiam, erubescens, quòd cibos corporis tanta fame appetam, spiritus verò tanto fastidio.

II. SECVNDO considerabo, Christum Dominum nostrum, adeò semper esuriuisse & sitiuisse iustitiam; vt corporis famem non sentiret, sicut valde defatigatus, & cibo indigens, dixit suis discipulis, *meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me*, atque si clarius dixisset, donec spiritus appetitum exsatiem, nihili facio famem corporis; neque hoc cibi sui defectu corpus premitur; donec suum spiritus sumat. Tanta deinde siti premebatur, bibendi calicem passionis suæ, vt diceret, *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur*! In cruce quoque dixit, *sitio*, idque non tam propter sitim, quam in corpore tolerabat, quā propter eam, quam in spiritu patiebatur; sicut in horum mysteriorum meditationibus apparebit. O dilecte Redemptor, accende me tui amoris igne, ex quo fames hæc sitisque procedit, vt tuum semper obsequium, esuriam & sitiam, sicut tu meum remedium sitiuisti.

Ioan. 4.34.

Luc.12. 50.

Ioan 19.28.

III. TERTIÒ perpendam, tales esurientes esse

esse beatos, quia saturabuntur, Deo illis largiente, quod optant, copiosam illis in hac vita gratiam, & plurima merita concedendo, magna interiori spiritus eorum iucunditate, immò seipsum illis in cibum dando, & amore se ipsis veniendo, tanta satietate, vt dicant, *quid mihi est in cœlo & à te quid volui super terram?* Et quamuis huius vitæ satietas nouam famem & sitim excitet, iuxta illud, *qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient.* *Psal. 72. 25.* *Eccl. 24. 29*

Sed hæc tamen fames & sitis, non molesta est, sed iucunda, quia fastidium auferens gustum auget. Denique in futura vita, vt ait Dauid, *conspectu Dei* claro, *satiabuntur cùm aperuerit gloria eius.* O felix fames, cuius præmium est talis satietas! expende anima mea hanc saturitatem, quia illa talem in te famem excitabit. *Psal. 16. 15.*

QVARTÒ perpendam minas Christi Domini dicentis, *Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis.* Satures eos appellat, qui bonis temporalibus sunt pleni, comeduntque ac bibunt vsque ad satietatem, vt sibi indulgeant, ex quo oritur, vt nec esuriant nec sitiant iustitiam, sed fastidio quodam illam horreant, iuxta illud Sapientis, *anima saturata calcabit fauum*, cuius pœna erit similis eius, qua Epulo ille diues & auarus premebatur, *qui epulabatur quotidie splendidè*, & postea *in inferno sepultus* tanta siti premebatur, vt vehementer desideraret, IV. *Luc. 6. 26.* *Prou. 27. 7.* *Luc. 16. 19. &c.*

vt

vt *Lazarus extremum digiti sui intingeret in aquam, & refrigeraret linguam eius, quia cruciabatur in illa flamma*, quod tamen fuit illi denegatum. Etiam satures appellat superbos,
1. Cor. 4. 8. qui teste Apostolo *iam saturi sunt ac diuites facti*, qui tandem eò deuenient, vt insigni fame, bonorumque omnium penuria premantur, Deus enim Dominus noster, sicut Beatis-
Luc. 1. 51. sima Virgo dixit, *esurientes implet bonis, & diuites dimittit inanes.* O Deus æterne, auferà me adeo execrabilem satietatem, quo à tam molesta miseraque fame, liber euadam.

PVNCTVM VII.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

1 MISERICORDIA complectitur quatuordecim illa opera, quæ Misericordiæ appellamus, septē videlicet corporalia, & septem spiritualia, quæ omnia, tribus circumstantiis adhibitis, exercentur, vt sint excellentia. *Prima* vt ad omnes proximos, qui in miseria sunt, nemine excluso, etiam inimico, se extendat. *Secunda*, vt omne genus miseriarum, tàm corporis quàm spiritûs complectatur iuxta cuiusque facultates:
Tob. 4. 9. Sicut dixit filio suo Tobias, *si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Quod si facultas tibi desit ad subueniendum alicui necessitati, saltem cupias subuenire; petasq;

à Deo,

à Deo, vt ipse subueniat; & studeas si potes, vt remediũ alij adferant. *Tertia* est, vt interna alienę miseriæ compassione tete exerceas, eam quasi propriam prius commiserante corde sentiendo, & postmodum ipsum donum, ex sola charitate, præbendo, nullâ aliâ retributione expectatâ, nisi à solo Deo, *qui retribuet tibi*, vt Christus dixit, *in retributione iustorum.* Luc. 14. 14.

II.

DEINDE considerabo, Christum Dominum nostrum, eminenter fuisse misericordem, cum tribus prædictis circumstantiis: fuit enim vniuersalis omnium nostrarum miseriarum reparator, & totum suæ prædicationis tempus, in iis misericordiæ operibus impendit: ægrotos sanando; esurientes, etiam miraculo pascendo; mortuos suscitando; peccatoribus amanter ignoscendo; ignorantes docendo; orando; & *omnibus bene faciendo ac sanando omnes oppressos à diabolo.* Tantique hanc virtutem fecit, vt iis, qui ipsum ab ea removere conabantur, dixerit: discite quid est? *Misericordiam volo & Sacrificium*, quasi diceret, illud discite, quod potius est, & præ aliis Deo placet; placet aũt illi misericordia præ sacrificio, nec vult hoc sine illa. O bone IESV, qui in hunc mundum misericordiâ motus venisti; & ex commiseratione miserias nostras supra tuos humeros, vt nos ab eis liberares, accepisti, hanc mihi exhibe misericordiam, vt te imitari possim in ea, & quandoquidem omnibus dixisti, *Estote misericordes, sicut &* Marc. 8. Act. 10. 38. Matt 9. 13. & 12. 7. Luc. 6. 36.

Pater vester misericors est, adiuua me gratiâ tuâ, vt excellentem eius misericordiam imitari valeam.

III. TERTIÒ perpendam, misericordiam præmium esse, obtinere à Deo misericordiã, & ab omnibus miseriis, tàm corporis quàm spiritûs liberationem, in hac quidem vita quãtum expedit; in futura verò ita plenè, & cum eo excessu, quo Dei omnipotentis misericordia, imbecillis hominis misericordiam excedit, cũ illa sit, ex omni parte infinita, vt in 6. parte Meditat. 12. dicetur. Quæ tamen eò erit erga me maior, quò maiorem ego erga proximum exhibuero; remetietur enim mihi, quâ mensurâ mensus fuero, sicut 1. parte Meditatione 21. dictum est. Si itaq; tot ego habeo miserias, à quibus solus me Deus possit liberare, quid magis è re mea facere potero, quam si erga alios sim misericors; vt Deus sit misericors erga me? ô felices misericordes, quos misericordiarũ Pater ab omnibus liberat miseriis.

IV. DENIQVE nisi misericors sim, ero miserrimus, quia Deus non compatietur mihi, sicut non fuit cõpassus *nequam illi seruo, quem tradidit tortoribus*, quod erga suum conseruum non fuisset misericors, imò (vt ait S. Iacobus) *iudicium erit sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Ac propterea in die iudicij referentur in sententia pro bonis opera misericordiæ quæ fecerunt; & eorundem defectus exprimetur in sententia aduersus reprobos, vt suo loco in 1. parte dictum fuit.

Matt. 18. 34

Iacob. 2. 13.

PVNCTVM VIII.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

PERFECTA cordis mundities, est a *perfecta caritas*, cum tribus illis circumstantijs, quas posuit Apostolus, *De corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Prima* circumstantia est, cordis mundities siue puritas, non solùm à lætalibus peccatis, sed etiam quoad poterit fieri, à leuioribus, ita, vt, quamuis attingant illud, nõ tamen penetrent nec consuetudine aut constanti affectu inhæreſcant. *Secunda* est, conscientiæ puritas & sanctitas, quæ illam mundis cogitationibus & desideriis, mundisque & sanctis operibus replet. *Tertia* est, simplicitas absq; vlla fictione in agendo cũ Deo & cum hominibus, incedẽdo cũ eis in veritate, sincera & pura intentione, absq; duplicitate & fraudibus. Hæc puritas propterea dicitur *cordis*, quòd animam præcipuè & voluntatem spectet, vnde etiã ad corpus promanans, in eo efficit castitatẽ, iuxta cuiusque statum. Quamuis in virginibus & continentibus purior sit, quia, vt ait Apostolus, b *Sancti sunt corpore & spiritu*, c *mundantes se ab omni inquinamento carnis & spiritus.* I.

a 1. Tim. 1. 5

b 1. Cor. 7. 34.

c 2. Cor. 7. 1.

DEINDE perpendam, Christum Dominum nostrũ eminẽtissimum fuisse in hac puritate: quia neq; peccauit, neq; peccare potuit, neq; d *princeps huius mundi in eo habuit quicquam.* II.

d Ioã. 14. 30.

nec

c8.46. nec eius aduersarij potuerunt e *eum arguere de peccato.* Vitam suam purissimis ac sanctissimis actionibus exornauit, in omnibus quærens Patris sui gloriam, f *nec in ore eius inuentus est dolus,* adeoque fictam puritatem, quæ non esset ex corde, oderat, vt aspere illam reprehenderet, dicens, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis, intus autem plenι estis rapina & immunditia. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat id quod deforis est mundum.* Nam ex cordis puritate, externi operis puritas manat, & vt nemo, ex eo calice bibere vellet, qui etsi exterius mundus, intus tamen sordidus esset; ita Christo Domino externa mundities, sine interna non placet. O purissime Saluator, *candor lucis æternæ & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Munda me ab omnibus maculis, & omnibus exorna virtutibus, vt intus & extra, mundus sim in tuo conspectu in secula. Amen.

f 1. Pet. 2. 22.

Matt. 23. 25 Luc. 11. 39.

Sap. 7. 26.

III. VLTIMÒ perpendam, huius puritatis præmium esse beatitudinem essentialem Sanctorum, tam huius vitæ, quæ consistit in Dei suaui & iucunda contemplatione, quàm alterius vitæ, quæ consistit in clara ipsius Dei visione, *de cuius excellentijs dicetur in 6. parte Meditatione* 51. Et propterea dixit Dauid, *quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco Sancto eius? innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec*

Psal. 23. 3.

iur aut

iurauit in dolo proximo suo. O beata mundities, quæ ad tantam altitudinem eleuatur! O anima mea, si quidem *non intrabit in cœlum aliquod coinquinatum* culpâ, vt videat Deum: contende ad summam puritatem & munditiem, vt obtinere tibi liceat huiusmodi felicem visionem. *Apoc. 21. 27*

PVNCTVM IX.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

PACIFICI sunt, qui pacem faciunt, in quo sunt quatuor gradus eximij. *Primus* est, seipsum pacificare, carnẽ suam spiritui, perturbationes rationi, & totum spiritum Deo subiiciẽdo. *Secundus* est, cum cæteris hominibus se pacificare, iuxta illud Apostoli, *quod ex vobis est, cum omnibus pacem habentes.* Nulla eis data perturbationis occasione, sed magnæ potius coniunctionis. *Tertius* est gradus, ipsos proximos inter se etiam pacificare, studendo, dissidentes inter se componere. *Quartus* & supremus est, animas cum Dẽo pacificare, adiuuando ad earum cum eo reconciliationem; & creaturas reducendo ad sui creatoris obsequium. I. *Rom. 12. 18.*

Hos pacis gradus perpendens, *quæ* teste Apostolo *exuperat omnem sensum*: Deflebo eorum defectum, quem in me experior, supplexque Deum rogabo, vt illos mihi communicare dignetur. O DEVS pacis & charitatis, *Philip. 4. 7.*

largire mihi pacem illam, quam tuis dedisti Apostolis, vt in pace & trâquillitate, tibi seruiam, alijque, me cooperante, & tecum illos pacificante, tibi seruiant.

II. DEINDE perpendam, CHRISTVM Dominum nostrum venisse è cœlo, vt hanc pacem nobis adferret, ac propterea, per excellentiam *Rex pacificus* appellatur, in qua pace tantopere sibi placuit, vt & *suos* ipse *discipulos*, ea *pace* salutaret, & eâdem voluerit ipsos alios salutare, dicentes *pax huic domui*, & vt nos cum æterno suo patre pacificaret, innumeras sustinuit persecutiones, nunquam tamen, in seipso pace & tranquillitate amissa, potius *cum his qui oderunt pacem, erat pacificus*, & per sanguinem quem in cruce effudit, vt Apostolus ait, *pacificauit omnia, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.* O Rex pacifice & supreme, cui tanti constitit, hanc pacem adipisci, ne quæso patiaris eius me fructu priuari, nec bellum sit vllum, adeò graue, vt me ab eius consecutione retardet.

Ioan.20.21. 27. *Luc.10.5.* *Psal.119.7.* *Coll.1.20.*

III. TERTIÒ considerabo, præmium pacificorum esse, vt eminenter sint filij Dei. *Primùm* quod singulariter ab ipso diligentur, & magnam apud ipsum gratiam inuenient, ob similitudinem, quam cum ipso habent. *Secundo* quia eos, sub paterna sua prouidentia susciplens, eorum, tanquam carorum filiorum curam geret, eis indulgens, doniſque suis eos ditans, ac verorum filiorum spiritum

eis

eis tribuens, vt non solùm *filij Dei nominentur* verumetiam reipsa *sint*. Ac denique quia gloriæ ipsius hæredes erunt: vbi hanc dignitatem pleniſſimè consequentur, & simul immensam & æternam pacem. O felices pacifici, qui ad talem dignitatem sunt euecti, infeliciſſimi vero, qui pacem turbant; qui propterea filij Dœmonis vocabuntur, cum quo hæreditatis partem habebunt in inferno. 1. Ioan. 3. 1.

PVNCTVM X.

Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam; quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum.

PRIMVM conſiderandum eſt, quas perſecutiones, à quibus, quam ob cauſam, & qua ratione, iuſti patiantur. *Perſecutiones*, sunt omne genus iniuriarum & afflictionum in facultatibus, honore, conſolatione, salute, & vita, à quibus, vel vniuerſim, vel ex parte, nullus eſt liber. Quia regula eſt generalis Apoſtolo teſte, a *Omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto* IESV, *perſecutionem* pro illo *patientur*. Has inferunt Dœmones, propter odium, quo Deum Dominum noſtrũ, & virtutẽ proſequuntur; homines etiam illorum miniſtri, ſiue apertè ſint hoſtes, ſiue, qui amicos quidem ſe eſſe profitentur cum ſpecie pietatis, etiã ipſi, b *Parẽtes, fratres & cognati;* (ipſo Chriſto atteſtãte) *iuſtos tradent, ac mor-*

I. a 2. Timot. 3. 12. b Luc. 21. 16

c Ioan. 16. 2. *te afficient: c arbitrantes obsequium se præstare Deo.*

Harum persecutionum causa, non erit (vt S. Petrus ait) d *quod peccantes colaphizentur & sufferant, sed quòd bene facientes patienter sustineant, & quòd propter Dei conscientiam sustineat quis tristitias, patiens iniuste.* e Nemo itaque (ait idem Apostolus) *vestrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus; Si autem vt Christianus, non erubescat, sed glorificet Deum in isto nomine.* Iustitiæ itaque, qua quis statuit fidem seruare, & religionem; virtutum etiam opera, ad quæ obligantur, exercere; aliena vitia reprehendere; propriis officijs satisfacere; perfectiorem, & religiosam vitam, ad quam vocati sunt, sequi, hæc inquam in causa sunt, cur iusti persecutiones sustineant. Ratio verò & modus, eas sustinendi, est, vt magnâ patientiâ animiq́ue lætitiâ sustineant; magnum Dei fauorem reputãtes, quòd aliquid eius amore pati digni habeãtur. Nam propter iniustitiam aut scelera aliquid, aut cum impatientia, non pertinet ad hanc beatitudinem.

d Pet. 2. 19. 20.

e 4. 16.

II. DEINDE considerabo rara illa, quæ in hoc genere CHRISTVS Dominus reliquit nobis exempla, ab ipsa enim infantia persecutionem sustinuit, multoq́ue grauiorem, tribus vltimis vitæ suæ annis, conuenientem ad eam persecutionem omni hominum genere, & in omni genere rerum, maiori atrocitate, quàm vnquam fuerit auditum,

& ob

& ob causam ex parte ipsius iustissimam omnium, quæ vnquam fuerit, propter promulgationem videlicet sanctissimæ suæ legis, & & reprehensionem vitiorum & scelerum, & ob humani generis redemptionem. Idque totum sustinuit admirabili & prodigiosa patientia, *vt in fundamentali Meditatione quartæ Partis, quæ tota est de hoc puncto, dicetur.*

Hoc exemplo meipsum excitabo ad patiendum & sustinendum, mihi ipsi dicens: si Dominum meum persecuti sunt, quid mirum si me eius seruum persequantur? Et *si Patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* O Saluator mi, domesticus tuus sum, paratus ferre ac pati, quamcunque persecutionem, ob gloriam & præmium eius, concede mihi ad imitationem tuam, magna seruitij tui bona facere, & magna mala, absque tui offensione pati. *Matt. 10. 25*

TERTIÒ considerabo, eorum, qui persecutionem patiuntur, præmium esse regnum Cœlorum, quod etiam pauperibus spiritu promittitur, sed maiori excellentia: pluris enim æstimatur persecutiones illas pati, quæ ab aliena manu inferuntur, quàm ferre paupertatis miserias, quæ sponte & propria electione suscipitur. III.

Hoc regnum dat DEVS gustandum in hac vita, dum mediis tribulationibus, *Iustitiam, pacem, & gaudium in Spiritu sancto*, iis, qui *Rom. 14. 17.*

illas patiuntur, impertitur. Propter quam
Marc.10.30 causam, ipse Christus dixit, se *centies tantum nunc in tempore hoc*, nobis largiturum *cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam.* Additque *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum*
Matt.5.11. *aduersum vos mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Atque si distinctius diceret, adeo est magna merces, vt sola eius spes, ad vos in persecutionibus exhilarandos sufficiat, adeo excellẽti gaudio, vt centies excedat illud, quod sine illis habuissetis. O felices persecutiones, quæ eas sustinentem exaltant, vt sit Rex in
Iacob.1.12. cœlis, *& coronam accipiat vitæ, quam Deus repromisit.* Hæ mihi erunt gaudium, in eis totam gloriam meam ponam. Veniant, Deus meus, omnes, quas dignaberis permittere, gratia enim tua, me offero, ad eas, propter iustitiam amplectendas, ob spem, quam mihi facis gloriam tuam obtinendi.

IV. DENIQVE minas illas considerabo, quas CHRISTVS Dominus, ijs minatur; qui contrariâ incedunt viâ, dicens, *Væ cum benedixerint vobis homines*, mundani, scilicet, & vos
Luc.6.26. eorum laudibus & adulationibus delectamini. Et cum verbo illi *Væ* nihil aliud addit, ostendit, graues esse minas, quasi diceret; *Væ vobis*, quia huiusmodi benedictionibus vos decipiunt, & in graues culpas pertrahunt, & quoniam ab impijs huiusmodi benedicimini, quos imitamini, participes maledictionum

eritis.

eritis, quæ illis superuenient. Nolo, Redemptor mi, ab huius mundi hominibus benedici, *ne oleum peccatoris impinguet caput meum, & ne maledictio intret sicut oleum in ossibus meis*. Hic volo ab impijs maledici, vt postea cum bonis à te benedicar, regnemque tecum in regno cœlorum in æternum. Amen. *Psal. 140. 5. & 108. 2.*

MEDITATIO XII.

QVAE OFFICIA CHRIstus hoc sermone Apostolis commendauerit.

POST *octo Beatitudines in medium allatas, Commendauit* CHRISTVS *Dominus Apostolis eorumque Successoribus tres illos actus, siue officia cœlestis & Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quæ Sanctus Dionysius appellat: Purificare, Illuminare, & Perficere: tribus ad id accommodatis iucundisque similitudinibus vtens: quæ Meditationis huius erunt argumentum; quas quisque poterit in propriam vtilitatem applicare.* *Cap. 3. de cœlesti Hierarch.*

PVNCTVM I.

a *Matt. 5. 13* VOS a *estis sal terræ. Quod si sal euanuerit, in quo salietur! ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.*

I. PRIMVM considera, Apostolicorum virorum, & Christum Dominum perfectè imitari cupientium officium esse, verbo & doctrinâ, suæque vitæ exemplo, terrenorum hominum corda salire, & à corruptis vitiorum humoribus perpurgare; ne malè oleant, & æternùm pereant: simulque pœnitentiam, mortificationem, & virtutis exercitationem ita suauem illis reddere: vt libenter eis vescentes sibi incorporare pacem & amoris coniunctionem cum eis habere delectet. Quod tamen officium apostolici viri non à propria natura, aut hæreditate; sed à sapientiæ sale & gratiâ, quam Deus eis impertitur, seipsos ita sapidos Deique palato gratos reddant, vt cum voluptate sua eos: & qua in seipsis prius purgati, ad aliorum purgationem iuuant, habere censendi sunt.

II. DEINDE expendam, quàm exactè Christus effectum hunc salis, magnis licet suis impensis præstiterit. vt enim sal saporem cibis impertiens dissoluitur; ita Christus b *seipsum exinaniendo* & graues labores perferēdo seipsū dissoluit, vt nos Deo sapidos redderet, suoque exēplo sapidā nobis, dulcemq; redderet

b *Phil. 2. 7.*

vir-

virtutem, ac sapiētiæ salem, & gratiā, à qua iucūdus hic sapor illi, puenit, nobis promereretur. Vt.n. nullū antiquorum beneficiorū Deo gratum esse poterat, c *nisi sale condiretur*: ita nullum opus nostrum illi placebit, nisi Christo eiusque gratiæ coniunctum. O dulcissime IESV, esto tu insulsissimo cordi meo sal terræ, vt Patri tuo suaue gratumque reddatur. & siquidem e *non potest comedi insulsum, quod non est sale conditum*: gratiâ tuâ condias virtutis opera, vt ea comedere mihi libeat.

c *Leui. 2.13*
c *Marc.9. 49.*
c *Iob. 6.6.*

TERTIÒ perpendam, quanuis officium hoc sit gratuitum DEI donū, eius tamen in nobis conseruationem ab arbitrio etiam nostro dependere: quare qui huiusmodi sal est semel constitutus & si in sua integritate conseruaretur, dignus esset, qui ingenti suo honore ad mensā DEI adhiberetur? si tamen sua superbia elatus euanescat, & dissolutus saporem amittat: eijcietur foras à DEI protectione ad sterquilinium mundi, vbi in magnam suam ignominiam ab hominibus; & postea etiam à dœmonibus in Inferno conculcetur. Cùm hæc expendam circumspiciam quoque, num sal iste in me sit, & quo sapore DEO seruiam, & qua ratione salis officium erga eos faciam, qui meæ sunt curæ commissi, & num apud vniuersos contendam virtutem sapidam reddere atque iucundam. O IESV dulcissime, fac me salem terræ, etiam si per ignem & aquam propterea sit mihi transeundum: ne permitte me pro condimento saporis, scandalum illi

III.

adferre: & culpâ meâ ſterilem fieri, terræ inſtar, quæ ſale ſeminatur; & in eius propterea detrimentum vertere officium quod ad eiuſdem vtilitatem mihi commiſiſti.

PVNCTVM II.

a *Mat. 5. 15.* VOS a *eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, neq; accendunt lucernam, & ponũt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra corã hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.*

CONSIDERA primũm, Apoſtolorum & doctorum officium, non terrenum, ſed eſſe cœleſte, b *Qui enim docti fuerint, fulgebunt quaſi*

b *Dan. 12. 3* *ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*: ſuâ enim doctrina vitæque exemplo lux eſſe debent hominibus huius ſeculi, quæ ignorantiæ & culpæ eorum tenebras expellen-

c *Epheſ. 5.* tes, c virtutis, & veritatis *lux illis ſint in Domino*, quo è filiis tenebrarum, *lucis filij* efficiantur, cuius *fructus eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate*. Attendam verò ſimul, quam exactè Chriſtus ipſe officio huic lucis ſatisfecerit, qui de ſeipſo aliàs dixit: d *Quamdiu*

d *Ioan. 9. 5.* *ſum in hoc mundo, lux ſum mundi*. O iuſtitiæ ſol, à quo omnes Eccleſiæ ſtellæ recipiunt lumen, fac me ſicut vnam aliquam ex eis, ab omni liberum obſcuritate: vt iuxta illud Pro-

e *Dan. 3. 34.* phetæ: e *Stellæ dederunt lumen in cuſtodijs ſuis*

& lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt: ecce adsumus: & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas: meam, ad quam vocare dignatus es, stationem fideliter tenens, promptumque me semper voci tuæ cum iucunditate exhibens, mundum totum illuminem, quem ad tuã gloriam condidisti. Amen.

CONSIDERA deinde quantus sit error, ex timiditate aut pusillanimitate lucẽ & doctrinæ talentum mihi à Deo concreditum abscõdere, aut abiecta intentione & fine illud obscurare, cum periculo illud amittẽdi, & in tenebris postea manendi, candelæ illius instar, q̃ sub modio posita vbi respirãdi locus nõ est, statim extinguitur. Nec minor ille erit error, si DEVS me supra candelabrum aliquod in militante hac eius Ecclesia, in eminenti videlicet & publico aliquo officio, constituit non dare lumen doctrinæ & exemplum iis, qui meæ curæ sunt commissi: Nam, vt Christus Dominus Prælato cuidam officium suum negligenti dixit: f *mouebo candelabrum tuũ de loco suo*, priuabit inquam me officio, incuriæque meæ debitas pœnas exiget. II.

f *Apoc. 2. 5.*

Contrà verò perpendam, quantoperè Deo placeat, si nostræ actiones adeò sint sanctitate eminẽtes, g *vt qui* eas *vident*, æternum *Patrem glorificent*, & ad similes efficiendas, quò alij eundem etiã glorificent, excitentur: intentione ipsa à quocunque alio siniſtro fine ita purgata; vt in meis actionibus non meã, sed ipsius Dei Domini nostri gloriam quæram:

g *Mat. 5. 17.*

eam

eam meam reputas gloriam, quæ ipsius est: dolens verò, quod prauis meis actionibus hactenus in causa fuerim, cur h *Dei nomen* offuscatum, & ab alijs sæpè blasphematum fuerit. O Saluator mi, quandoquidem Patris tui gloriam tantoperè desideras; tantùm mihi quæso vitæ splendorem concede, vt per eam & crescat & semper eius gloria dilatetur.

h *Ro. 2.24.*

PVNCTVM III.

Non potest abscondi ciuitas supra montem posita.

TERTIA hac similitudine docet Christus Apostolos suos, eorum munus non esse, vt Eremitæ sint aut solarij, proprię tantum attendentes vtilitati; sed ciuitatem potiùs esse ad multos alios recipiendos; eamq; non in valle, hoc est, in vita imperfecta & obscura; sed supra montem, insignem videlicet fortitudinem, & perfectionis celsitatem fundatam, iuxta illud Isaiæ: i *supra montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem.* & porrò moneas, eorum munus esse non exiguum sed multum populum congregare, sicut ciuitatem magnam & plenam, quæ omnes eos recipiat, qui cupiunt esse perfecti, eosque Euangelicæ perfectionis viam & cœlestis viæ politiam doceat. Desiderat enim Deus Dominus noster, ne, qui ipsius sunt electi, mediocritate quadam vitæ, contenti humilibus

i *Isai. 49.9.*

actio-

actionibus sibi complaceant; sed ad vitæ perfectæ celsitatem contendentes suosque proximos ad eandem promouere conantes, cum multis aliis supernam ciuitatem amplificaturi conscendant. O æterna k *Sapientia, quæ ancillas tuas*, animas scilicet Prædicatorum *mittis, vt* homines *vocent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis*, eos ad Christianæ perfectionis altitudinem exhortantes: voca etiam me efficaciter, vt prior eandem ego conscendam; & virtutem impertire, vt alij permulti ad eandem, me vocante, perueniant, quo tu ab omnibus semper glorificeris. Amen.

k *Prou. 9. 3.*

MEDITATIO XIII.

DE LEGE EVANGELICA quam Christus Dominus in sermone montis promulgauit; de eiusdem excellentijs, & perfectionis, ad quam nos eleuat, præstantia.

PVNCTVM I.

OBSERVANDVM primùm, Christum Dominum nostrum Euangelicæ suæ legis promulgationi præmisisse, quanti esset naturalis, quæ in Moysis & prophetarum libris declarata erat, æstimanda; qualeq; ipse circa eandem officium esset in mundo

præsti-

præstiturus, cum dixit: a *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Quod tribus modis præstitit exactissimè.

a *Matt. 5.18*
S. Aug. lib. 1. de serm. Domini in monte c. 14. S. Chrys. ho. 10. in Mat.

PRIMVM: quia non venit è cælo vt vitæ suæ laxitate, & libertate carnis legem ipsam, instar eius, qui nulli legi astrictus esset, transgrederetur; nec venit vt secum ipse aut cum suis in ea dispensaret: sed venit potius, vt exactissimâ in seipso custodiâ, omnibus discipulis suis ad eandem exemplo esset. Quamobrem ad eius imitationem & ego dicam: Non veni in mundum, vt iuxta meam voluntatem vitam ducens, Dei voluntatem calcem, eiusque legis iugum assulatim concidam; sed vt me eidem subiiciens, integram seruem: nec ad Religionem accessi, vt propriam; sed vt diuinam sequerer voluntatem, quæ instituti mei Regulis continetur. Si enim Deus meus & supremus Legislator, etiamsi supra legem ipsam esset, seipsum tamen eidem subiecit, venitque de cælo, vt eius iugum superse tollendo quanti eam faceret nos doceret: quid magnum fecero, si eidem me subiecero? quantæ verò impudentiæ fuerit, si eandem excussero.

I.

II. VENIT deinde adimplere legem in iis quæ illa promittebat; idque adeò exactè vt asseueraret: b *Amen dico vobis: donec transeat cælum & terra iota vnum vel vnus apex non præteribit à lege: donec omnia fiant.* Certus itaque ac securus esse possum, Deum ex parte sua, quic-

b *Mat. 5.19*

quid in lege promisit, etiam si minimum vi-

deatur,

deatur, impleturum: sicut ipse Christus impleuit, reque ipsa executus est, quicquid de ipso reuelatũ & promissum erat, quo me prouocat exemplo ad omnium ipsius mandatorum exactam obseruationem, non maiorum tantùm, sed minimorum etiam, quæ iota characterum minimo significantur; omni etiam adhibito conatu, vt in ea obseruatione omnes complectar circumstantias, modosq; perfectionis, quos ipsa mãdata in se continẽt, qui apice characteribus adiuncta significantur.

VENIT deniq; de cœlo ita legem implere, III.
vt perfectionẽ, quæ in ea desiderabatur, adijceret: tum eius peccatis amplius explicatis, tum admirandis consiliis ei adiectis: gratiâq; suâ internè ad omnia implenda communicatâ. O legislator supreme, quantas possum maximas ago gratias, quod tot modis legem ipse tuam impleueris: adiuua me gratiâ tuâ, ad id quod mihi præcipis ita explendum, vt in me ipse impleas quod promittis.

PVNCTVM II.

CONSIDERANDAE sunt deinde celebres duæ sententiæ siue conclusiones, quas colligit Christus ex dictis. Prima est: a *Qui ergò soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum*, tam videlicet in militanti quam in triumphanti Ecclesia. Quibus verbis id nobis indicat; esto reliqua seruem mandata, si vel vnicum ex minimis I.

a *Mat. 5. 20*

fuero

fuero transgressus, futurum me minimum, hoc est contemptum, & vili æstimandum in regno cælorum: ac porrò ab eo excludendum tanquam eo indignum: sicut fuit Adamus è paradiso eiectus, ob vnicum præceptum violatum. b *Qui enim* vel *in vno offendit, transgressor factus est legis*, & iniuria afficit legislatorem, qui omnia seruanda constituit; & charitatem destruit, qua omnia illa colligantur; ideoque cœlestia omnia bona amittet, atque

b *Iac. 2. 10. 11.*

II. si omnia fuisset transgressus. Quod si mandatum ex minimis illis sit, quæ non obligant sub culpa lethali, qui tamen studio & malitiâ illud transgredietur, erit etiam in virtute minimus, quod parui fecit, quod Deus mandauit: debebat enim aduertere, etsi materia esset parua, mandantem tamen esse magnum; nec à magnitudine sua alienum ducere etiam parua mandare: ideoque vel hoc nomine non esse leuem censendam iniuriam, quæ ei dum talis materia contemnitur, irrogatur. & quoniam victor semper censetur victo superior; qui à re minima superatur, minimus esse censebitur; habebitque in eo locum Sapientis illa sententia: c *Qui spernit modica, paulatim decidet* ad grauiora.

c *Eccl. 19. 1.*

III. TERTIÒ, si non solùm aliquod mandatum quis transgrediatur, sed alios etiam ad idem faciendum verbo aut exemplo induxerit, erit quoque minimus in Regno cœlorum, ac porrò excludetur ab eo, duplici nomine, quod videlicet sibi & alijs fuerit iniquus.

TER-

ALTERA sententia est: d *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cælorum*. Qua sententiâ docemur, sanctitatis & excellentiæ in virtute, premiiq́ue quod ei respondebit in Regno cælorum, mensuram esse ipsam diuinæ legis obseruantiam: cuius sunt duo gradus: alter est eam facere; alter eandem docere. Facere consistit in tota lege, quoad magna & parua eius mandata, nullo omninò prætermisso, obseruanda, sicut prædictum est; Docere autem, in persuadendis alijs, idem vt præstent. Qui secundus gradus primo est prę-stantior: coniunxit tamen Christus vtrunque, ad eorum connexionem insinuandam: quatenus secundus non facit magnum docentem; nisi & ipse etiam faciat: primus verò, quatenus reipsa facit, docet etiâ exemplo; paratus interim etiam verbo docere, si Deus id iusserit, ratione status & officij, quo fungitur; aut iuxta legem & dictamen charitatis. & qui hac ratiõe docet, est valdè magnus inter cæli magnates. Quia non est excellentia maior, quam Dei imitatione bonũ esse & in seipso perfectum; aliosq; adiuuare, vt & ipsi boni sint atque perfecti. vt in proximo puncto dicetur.

IV.

d *Mat. 5. 21*

PVNCTVM III.

CONSIDERA tertiò perfectionis altitudinẽ, ad quam discipulos suos Christus exhortatur. est enim altissima quæ in hac vita possit obtineri, sicut iucundissimis illis verbis: a *estote ergò perfecti, sicut Pater*

a *Mat. 5. 48*

vester cœlestis perfect⁹ est, ipse Christ⁹ aperuit.

I. Cvivs perfectionis vt præstantiã intimè penetrare possim, perpẽdam, Dei Domini nostri perfectionem in tribus consistere. *Primũ* est quod omni culpa defectuque ita careat, vt mali quippiã, aut quod à sua bonitate & sanctitate degeneret, eum facere sit impossibile. *Secundũ* quod virtutes omnes & perfectiones, quas vel imaginari possumus complectatur, nulla prorsus omissa. Nam omnes, quæ in creaturis reperiuntur, & aliæ innumeræ quas nos cogitatione assequi non possumus, in ipso creatore simul inueniuntur vnitæ. *Tertiũ* est, quod oẽs & singulas huiusmodi perfectiones habeat in summa, quæ possibilis sit excellẽtiã. Non itaq; potest cogitari sapientia maior, aut bonitas, & charitas, quã sit ipsius Dei: quia est infinitè sapiens, bonus, & charitate plenus: & idem de perfectionibus reliquis esto iudicium.

II. Ex quo efficitur, Deũ, vt qui sit in se perfectissimus, vehementer in id propendere, vt omnia sua opera sint etiã perfecta, & modo suo participent infinitã eius perfectionẽ, hominesque præcipuè, quos ad imaginem & similitudinẽ suam condidit. Ex hoc enim eius desiderio profectũ est id, quod nobis Christus dixit. *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est:* quasi dicere nobis velle videatur: Nolite mediocri quadam puritate, & sanctitate esse contenti; nec perfectionis vestræ exemplar Abrahamium, Moysen, aut Prophetam, aliquem vobis constituite; nec solùm Ange-

los

los, Cherubinos, aut Seraphinos; sed infinitæ perfectionis exemplar vobis proponite, vt ad illius imitationem, quàm possitis maximam perfectionem assequi contendatis: hoc autem exemplar sit Pater vester cœlestis, cui tanquam filij, in tribus illis, quæ infinita eius perfectio complectitur, quàm simillimi esse studeatis. Gratias tibi fili Dei viui, pro tanto fauore, quo adoptiuos prosequeris filios, dum eos exhortaris, vt perfecti sint sicut est tuus Pater cælestis. Illustra me ô supreme Magister, vt quam mihi commendas perfectionem agnoscam; accende, vt eam amem; & ita corrobora vt eam quæram & assequar. Amen.

HINC feruentia concipiam proposita, Dei perfectionẽ imitandi: *Primùm* studendo omnem culpam cauere, non lethalem modò, sed vel leuissimã, quoad potero, iuxta illud, quod ipse Deus populo suo dixit: b *Perfectus eris & absq; macula cum Domino Deo tuo. Deinde*, oẽs virtutes assequi contendendo, easdemq; summa qua potero intentione exercenda, non eas tantùm, quæ sunt sub præcepto; sed eas etiam, quę cadunt sub consilio: siquidẽ cælestis meus Pater non solùm quæ ad vitam transigendam sunt necessaria tribuit; sed multa etiam alia, quæ adferunt voluptatem. *Tertiò* easdem virtutes excellentissimo quo potero modo exercendo, ita vt amor Dei meus eas omnes habeat qualitates & circumstantias, quæ in ipso præcepto exprimuntur, c vt *ex toto* scilicet

III.

b *Deut. 18. 13*

c *Deut. 6. 5.*

sit corde meo, ex tota anima mea, & ex tota fortitudine mea: & obedientia mea, humilitas,& patientia in omnibus gradibus sint perfectæ,quos habere possunt,procurando, vt Apostolus ait, d *vt charitas mea magis ac magis abundet,vt probem* semper *potiora*. Et quoniã charitas terminum augmenti sui non habet; desiderium meum esse debet, semper in ea crescere. O anima mea: siquidem exemplar quod imitandum habes, & tibi proponis, infinitum est, & quantumuis illud imitaberis,adhuc supererit infinitum quod imiteris, imitare quàm potueris maximè, vt maximè ad eam perfectionem accedas. O Pater amantissime, qui iubes me perfectum esse, sicut tu perfectus es: da mihi quod iubes, vt præstem quod tu desideras.

d *Phil. 1. 9.*

S. *Tho. 2. 2. q. 24. a. 9*

PVNCTVM IV.

CONSIDERANDA hic est superna Euangelicæ legis, quam Christus promulgauit,perfectio, vt *essemus perfecti sicut Pater eius cælestis perfectus est*.expendentes tria etiam legem hanc complecti,in quibus ea Dei perfectioni assimilatur.

I. S. *Tho. 1. 2. q 108. a. 3. & 4.*

PRIMVM est, quòd omnem culpam, siue magna ea sit,siue parua, prohibeat, vsque ad verbum otiosum,nullum prorsus defectũ admittens. Et quò magis nos à culpis remoueat; etiam à rebus valdè paruis, & à quibus vis superfluis affectionibus,quæ illarum occasio es-

se pos-

se possunt, nos monet abstinere; sicut olim Nazareos iubebat: a *à vino & omni quod inebriare potest, abstinere: quicquid ex vua exprimitur non bibere: vuas recētes siccasq;, & quicquid ex vinea esse potest ab vua passa vsque ad acinum non comedere:* idq; iubebat totum, quò ab ebrietate remotiores essent. Quod facilè animaduertemus, si per aliqua mandata ex iis quæ Negatiua dicuntur discurramus. Nam in secunda Decalogi, quò à malo iurando lōgissimè distemus, iussit Christus Dominus: b *non iurare omninò, nec* quidem *per caput tuū, quia non potes*, inquit, *vnum capillum album facere aut nigrum. sit autem sermo vester, est, est; non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.* aut periculosum & imperfectū erit, nisi grauis id necessitas exigat. In quinto præcepto, vt nos ab occidēdo proximo arceret, omnem prohibuit iniuriam eidem inferri, c *omnis*, inquit, *qui* vel in corde suo *irascitur fratri suo, reus erit iudicio; & qui eidem dixerit: raca;* (quod est aliquo externo indicio suam iram prodere) *reus erit concilio: & qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quod si ab eodem iniuriâ afficiamur. d Ego, inquit, *dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* In sexto, ne quid inhonesti admittas, iubet: e *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proïce abs te: & si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eā*, quod est dicere, vt personā & rem qnamcunq;, quæ mihi possit esse

a *Num.6 3.*

b *Mat.5 36*
b *Iac.5.12.*

c *Mat.5.23.*

d *Mat.5.39*

e *Mat.5.30.*

occasio peccandi, etiam si dilecta & preciosa mihi sit, & necessaria esse videatur, à me tamẽ omninò proiiciam. In septimo, quo nos à rei alienæ furto & vsurpatiõe deterreat, propria iubet largiri: f *Omni*, inquit, *petenti te tribue: & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas: & qui vestimentum aufert, etiam tunicam noli prohibere.* O legis Euangelicæ puritatem! legẽ verè dignam purissimo Deo! verè Domine: g *Eloquia tua casta; argentum igne examinatum, probatũ terræ purgatum septuplum!* Vtinã perfectè illa seruarem, vt à leptẽ vitiis purgatus, & ab omni imperfectione liber existerem!

f *Luc. 6. 29. 30.*

g *Psal. 11. 7.*

II. SECVNDA legis Euangelicæ excellentia est, quod sese ad imperandum & suadendũ omne genus virtutum extendat, tam theologicarũ, quàm mortalium, erga Deum, nosipsos, & proximos: vt qui eã custodit, omnibus sit ornatus virtutibus, quæ ipsum apud creatorem suũ ornare possunt; & quæ carnis propriæ domant passiones, eamque spiritui subijciunt; & quæ omnia iustitiæ & misericordiæ opera erga proximũ implent. His tertiam addit excellẽtiam, quod eadem virtutes doceat in summo perfectionis gradu, qui sit in hac vita possibilis. Nã esse non potest profundior humilitas, magis heroica patientia, admirabilior obedientia, perfectior charitas, quã lex hęc nostra doceat. Quæ enim purior in rebus agẽdis intentio esse potest, quàm ita opera nostra bona abscõdere, vt h *nesciat sinistra manus quod dextra*, vt Deo placeat efficit: Et quæ charitas

h *Mat. 6. 3.*

III.

Dei

Dei perfectior, quàm si i *ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, & ex omni mente tua Deum diligas?* Quæ etiam maior erga proximum charitas, quàm quæ etiam se ad inimicos diligendos extendit. k *Ego autem*, inquit, *dico vobis: diligite inimicos vestros, & benefacite ijs, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum, oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Ex quibus sententiam illam superiùs positam concluſit: *Estote ergò vos perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* O Pater cœlestis, qui perfectissimam tuam in nos charitatem ostendisti, dum Iustitiæ solem Filiũ tuum pro nobis omnibus nasci, eiusque doctrinæ pluuiam omnibus communicari fecisti, conferendo hac ratione etiam inimicis eius summum, quod poteras, bonum ad eorum remedium: concede mihi infinitam tuã charitatem, cũ omnibus eius excellentijs & virtutibus imitari, eo modo, quem in sancta tua lege præscripsisti, quò easdem & earum perfectiones consequi valeamus. Amen.

i *Luc. 10. 27*
i *Deut. 6. 5.*
k *Mat. 5. 44*

Ex his concludam, præcipuum meum in Christiana & religiosa vita finẽ in eo esse debere vt legẽ euang. in tribus illis prędictis rebus q̃ exactissimè fieri poterit, custodiã, illius memor, ꝙ S. Apost. dixit: l *finis præcepti est charitas de corde puro ab omni culpa, & conscientia bona*, virtutum omniũ operibus exornata; *& fide non ficta* a fideliter videlicet, donec earum

l *1. Tim. 1. 5*

culmen obtineatur, eas assequi contendendo;
m *Ro. 12. 2.* & studendo, vt idem monet, m *probare* & exequi *Dei voluntatem bonam, beneplacentem, & perfectam*. & hac ratione perfectus euadam.
n *1. Ioh 2. 5.* Nam, vt S. Ioannes ait; n *qui seruat verbum eius*
o *Ro. 13. 10.* IESV Christi, *verè in hoc charitas Dei perfecta*
S. Tho. 2. 2. *est*, ac tota porrò Christiana perfectio: o *plenitudo* enim *legis*, ait Apost. *est dilectio.*
q. 184. a. 1.

MEDITATIO XIV.

CIRCA PRECATIONEM Dominicam.

S. Tho. 2. 2. IN hoc sermone montis docuit etiam Christus Dominus discipulos
q 83 a 9. suos Orationem, quam Dominicã
Mat. 6. 9. appellamus: quæ inter omnes ora-
Luc. 11. 2. tiones præcipuum meritò locum propterea obtinet, quod à supremo orandi Magistro, & vt nos doceret cœlestem patrem orare, fuerit instituta. Quamobrem singula eius verba meditando expẽdemus, iuxta modum circa verba orandi, in 1. partis Introd. §. 9. positum.

CONTINVVS ergò in Dei Trin. & vniuscõ spectu, ad quẽ oratio hæc dirigitur (quanuis ad singulas Trinit. personas dirigi etiam possit) Christo Domino humiliter supplicabo, vt cẽlesti suo lumine animã meam illustrare; & amoris sui igne accẽdere dignetur: vt veritates & excellẽtias spirituales, quas breui hac oratione cõplex' est, sentiã; & rectè ea petere attingam,

tingã, quæ ipſe peti à ſe voluit. Et intẽtionis magna puritate, ac feruẽti deuotionis affectu, ei ſimili, quem ipſe habuit dũ eam docens Patrem alloqueretur: fas enim eſt credere, ſic eũ Apoſtolos orare docuiſſe, vt ſimul eandem ipſe Patrem orare: nec eandem quotidie in nobis oraret ceſſat. Vt enim S. Auguſtinus ait, Chriſtus Dominus pro nobis orat vt Sacerdos; ſed in nobis etiã orat, vt caput noſtrum, ſpiritum nobis & orandi virtutẽ infundens: ideoque nos *dicimus cum illo, hanc orationem & ille nobiſcum:* noſtraque oratio eius orationis meritis coniungi debet, vt exaudiatur, & feliciter expediatur. *Præfat. in Pſal. 85.*

OBSERVANDVM eſt tamen, bis Chriſtum Dominum hanc precationem docuiſſe: Primùm omnes in monte publicè: Deindè cùm ipſe orandi finem feciſſet, & vnus diſcipulorum ei dixiſſet: a *Domine, doce nos orare, ſicut docuit & Ioannes diſcipulos ſuos.* Ex quo diſcimus, hanc orandi formulam & publicè & priuatim ſeruari poſſe. cùm publicè fit, ſicut in ſacro Miſſæ, ea breuitate percurri debet, quam locus ille exigit; cùm verò priuatim, & tanquam orationis mentalis argumentum accipitur, plures etiam horæ in ea conſumi poſſunt: & Chriſto Domino dicere licet: *Domine doce me orare,* non eo ſolùm modo, quo docuit Ioannes diſcipulos ſuos; ſed ſicut tuos ipſe docuiſti Apoſtolos, cordi meo eas veritates, ſenſuſque & affectus imprimens, quos illis communicaſti. Qua breui petitione perfecta, a *Luca 11.1.*

vnicum tantum eius orationis verbum accipiam, cuius significata ratiocinatione perquiram, & profunda meditatione expendam, eos adiungens affectus, petitiones & colloquia, quæ ei, quod expendero, aut quod domini spiritus suggesserit, sint conformia.

PATER.

I. PRIMVM eos titulos & nomina perpendam, ob quæ DEVS & Dominus noster, sit etiam noster Pater. *Primùm* enim est omnium hominum Pater titulo creationis, ipse enim omnibus dedit vt essent, dum ad suam eos imaginem & similitudinem condidit: Est verò Pater iustorum, ob gratiæ esse, quod illis impertiens, adoptiuos suos filios, Regnique cœlestis hæredes constituit: Estque millies hac ratiõe eorum Pater, quia quoties excellentissimum illud esse quod in Baptismo acceperunt, illi peccando amittunt; paratus ipse est pœnitentibus restituere. Et hac ratione cupit ipse omnium esse Pater, non suæ, sed nostræ vtilitatis causa: non ob nostra merita, sed solâ suâ gratiâ & misericordiâ. & quamuis ita gratis sese, vt noster sit Pater, offerat; non tamen paruo illi stetit, vt esset; vt qui, ingentibus in cruce toleratis doloribus, nos genuerit: offerens naturalis Dei filius vitam suam, vt gigneret adoptiuos; & eundem omnes Patrem haberent.

EX omnibus his considerationibus magnos hauriam laudis affectus, gloriam Deo pro singulis deferendo titulis, in quibus fundatur, quòd meus sit Pater. O PATER amantissime, gratias tibi ago ob nobilissimum Esse gratiæ, quod filijs tuis tribuis, nunquam defatigationem sentiens in eodem reparando, quotiescunq; illi suis peccatis illud offuscant. O vos Angeli qui DEVM in cœlis Patrem habetis; laudes ei, gloriamque tribuite, quod etiam hominum in terra viuentium Pater esse dignatur.

II.

CONSIDERA deinde, quàm exactè DEVS Patris officium expleat, dum tenerè adeò nos amat, solicitam de nobis curam gerit, prouidentiâ suâ nos protegit, abunde sustentat, & in eo statu collocat, qui nostræ saluti magis conuenit; adeoque in his omnibus excellit, vt nullus parentum terrenorum ad ipsum cœlestem comparatus, Patris nomine sit dignus. & ideò nobis ipse Christus prohibuit: b *Patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim Pater vester, qui in cœlis est.*

b *Matt. 23. 9.*

O Supreme Pater, quas tibi gratias agam, quod Patris officium erga me suscipere digneris? Nolo ampliùs Patres vocare terrenos, qui me facilè deserere consueuerunt: c *Pater* enim *meus & mater mea dereliquerunt me*: Sed te solum cœlestem vocabo Patrem, qui *assumpsisti me*, nec nisi à me priùs desertus, me deseres. *O Pater*

c *Psal. 26. 10*

esto

esto mihi Pater : Et monstra te mihi Patrem esse, nomen istud quod in mei gratiam accepisti, reipsa adimplendo.

III. PERPENDAM tertiò, eo ipso quòd DEVS, Pater mihi esse vult, offerre mihi filij sui dignitatem; ac porrò exigere à me, boni filij erga parentem officium & partes; vt ipsum videlicet amem, colam, obediam, eiusq; zelem honorem & gloriam. O cœlestis Pater, vnde tantum mihi bonum, vt vilis adeo creatura tua, tuus tamen vocer filius! Quæ te *charitas*
dt. *Ioan. 3. 1.* permouit, vt mancipium vilissimum, tuũ *filiũ nominari, & esse volueris*. Qui igitur Patris partes àdeo exactè erga me suscipis, adiuua Pater, vt boni filij partes fideliter erga te expleam. O vermis vilissime, cave à filij Dei dignitate degeneres, indignum quippiam talis patris filio committens. stude potiùs ei similis esse in vita, decet enim filios parentibus suis esse similes.

IV. VLTIMÒ causas expendam, ob quas voluerit DEVS in hac precatione Pater à nobis appellari. *Prima* enim fuit, vt amoris & fiduciæ in eum affectus in nobis excitaremus: sic enim orantibus dabit, quæ hîc petimus. *Deinde*, vt ab eius rei laudibus orationem auspicaremur, quam ipsi plurimi facit, & de qua gloriatur, gloriam ei dantes, quòd Pater noster esse velit: idemque nobis honestus sit titulus & prętextus vt, quod petimus, impetremus. *Tertiò*, quò intelligamus, velle ipsum sibi â nobis filiorum spiritu affectuque seruiri : ac pro

pterea

pterea quicquid petierimus, tale esse debere, vt à tam bono patre bonum filium petiisse deceat. O Pater supreme, certus sum, daturum te mihi quicquid vt filius petiero; qui iubes peti, vt à vero Patre.

NOSTER.

CIRCA verbum hoc perpendam, cur Dominus noster noluerit vt diceremus: Pater mi; sed NOSTER. *Primùm* enim id fecit, vt infinitam eius charitatem & liberalitatem agnoscceremus: quæ in eo emicat, quòd cum non possit nisi vnicum habere naturalem filium, plurimos voluerit adoptiuos habere, adeo excellentem hanc dignitatem ita hominibus & Angelis conferens, vt ea singuli possint absque alterius detrimento gaudere: ita enim est omnium Pater, vt æquè sit meus, atque si meus tantũ esset, nec aliorum. Sit æternùm benedicta, charitas adeo immensa, vt in tanta filiorum numerositate; tantam omnium curam gerat; atque si vnicus esset, & solus.

DEINDE voluit nos docere, sicut ipse multorum filiorum est Pater, ita nos omnes fratres esse debere, vt ex hoc ad proximorum etiam amorem excitaremur, pro omnibus postulantes, & optantes, omnes nemine cõtempto, huius Patris esse filios; siquidem diues & pauper; nobilis & ignobilis: sapiens & ideota, æquè possunt vnius cęlestis Patris esse filij, iuxta illam Malachiæ sententiam: e *Nunquid non pater vnus omnium nostrum? nunquid non* II.

e *Malac. 2. 10.*

Deus

Deus vnus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisque nostrum fratrem suum? O Pater noster, sufficit mihi scire, te hominum esse Patrem, vt eos tanquam fratres amem: omnes amore complectar, siquidem omnes tua complectitur charitas.

III. DENIQVE voluit sui in nobis reuerentiam excitare. Verbum siquidem *Pater mi*, magnæ est indulgentiæ, magisque vnigenæ diuini huius Patris proprium: quem tamen cum amore & reuerentia simul necesse est alloqui. Quod tamen non impediet, quò minus seorsim & in cubili meo *Pater mi* dicere liceat: siquidem tam est nunc meus, atque si nullum, nisi me, filium adoptiuum haberet:

QVI ES IN COELIS.

CONSIDERANDVM hîc, cùm DEVS, in omni sit loco, cur solùm dixerit. *Qui es in*

I. *cœlis?* Primùm enim, locum illum expressit, vt me ad reuerentiam excitaret, considerantem supremi huius Patris dignitatem, qui

II. cœlorum sit Dominus, & in eis regnet. *Deinde*, vt cor meum à terrenis ad cœlestia erigeret, & quæcunque sunt hic contemnens, ad cœlestem hæreditatem, quam cœlestis Pater noster paratam habet, suspirarem.

III. *Tertiò*, vt in mortali hac vita tanquam aduena & peregrinus degam; sed simul vt cœli candidatus, qui cœlestem puritatem, sine

qua

qua eo non peruenitur, habere contendam.

IV.

Demùm ac præcipuè, vt in oratione ipsa f *oculos* & spiritum ad cœlum & *montes eleuem, vnde veniet auxilium mihi*, & bona quæcunque peto. O Pater, qui in cœlis habitas, deduc me istuc, vbi commoraris, & dum non perducis, adiuua me gratiâ tuâ, vt omnis g *conuersatio mea in cœlis sit*, & eorum, quæ in terra sunt obliuiscar. O anima mea, quæ in terra hac es peregrina, siquidem Pater tuus & hæreditas tua est in cœlo: suspira ad eius domum peruenire, vt tanta eius fruaris hæreditate.

f *Psal. 120. 1*

g *Phil. 3. 20.*

V.

TANDEM perpendam etiam iustos, in quibus DEVS per gratiam suam inhabitat, cœlos appellari; ac eorum hîc fieri mentionem, vt intelligamus: Deum eorum præcipuè esse parentem, qui verè eius sunt cœli: & vt qui orat, omnem culpam terrenaque omnia à se ableget, fiatque cœlum, in quo DEVS possit habitare: ac seipsum colligat, & ad sua interiora se recipiat: ibique suam coram patre suo, qui in cordis ipsius abscondito manet, orationem effundat.

S. Aug. de serm. Dom. in monte cap. 9.

S. Ambros. lib. 5. de Sacram. c. 4.

O vtinam cœlum essem clarum, & virtutibus exornatum, in quo DEVS inhabitare sibi complaceret. Fateor, Deus meus, hominem me esse de terra terrenum, sicut Adami terreni filium: sed opto tamen, gratiâ tuâ fieri cœlum, & homo cœlestis, sicut cœlestis

Adami

Adam filius. Veni Domine ad seruum hunc tuum, nam præsentiâ tuâ cœlum efficietur. *Tria prædicta verba, præambulum quoddam sunt huius orationis: in subsequentibus continentur septem Petitiones, quas oratio ipsa complectitur.*

SANCTIFICETVR NOMEN tuum.

Petitio I.

PRIMA hac Petitione hoc petitur, vt ipse DEVS agnoscatur, laudetur, & glorificetur ab omnibus, nomenque eius veneration i sit, adoretur, sanctumque habeatur. Perpendendo

I. tamen verba singula seorsim, expendam *Primò:* cur potiùs SANCTIFICETVR dixerit, quàm *Glorificetur* aut *Laudetur*: Causa enim est, quòd nihil æquè Deus æstimet, atque Sanctus esse: ac nulla propterea illi maior gloria deferri potest, quàm si Sanctus habeatur; & Seraphinorum, Sanctorumque illorum quatuor animalium Apocalipseos more *Sanctus, Sanctus Sanctus Dominus Deus exercituum, Deus omnipotens, qui est & qui erat, & qui venturus est*, magno affectu proclametur. O Pater sanctissime, ex animo gaudeo ob sanctitatem qua polles; optoque vt te filij tui in ea imitentur. Eandem & ego omnibus præferre volo, vt tua implens mandata, Sanctus sim, sicut tu sanctus es.

h *Isaiæ. 6. 3.*
i *Apoc. 4, 8.*

II. DEINDE considerabo, cur potiùs NOMEN sanctificetur, quàm *Maiestas* tua aut *potentia* dixerit? Causa enim fuit, quòd quicquid de

Deo

Deo agnoscimus, & quicquid quod ipsius sit compellationem apud nos habet, id totum in veneratione esse, glorioſum ac ſanctum haberi, sit æquissimum. O Pater cælestis, quomodocunque te compellem, ſanctus tu es: & ideò cupio ſanctitatem tuam ab omnibus agnoſci Diceris Omnipotens, Sapiens, Creator, Gubernator, Dominus, Pater: ſanctificetur ergò omnipotentia tua, ſapientia, & ab omnibus habeatur ſancta. O Creator ſancte, Gubernator ſancte, & Pater ſancte: omnia nomina tua ſancta ſunt: eſtque iuſtum omnes flectere genua ſua, ac Deitatis tuæ nomen ſtatim atque audierint, adorare ac venerari: quia digniſſimum eſt, quod nominetur, ſummaque veneratione ob ſanctitatem ſuam ab omnibus audiatur.

TERTIÒ vocem TVVM perpendam, atque ſi diceret: ſantificetur nomen *tuum* non meum: *Tu* enim *ſolus ſanctus* per eſſentiam: nec alius eſt, qui diuinum ſanctitatis honorem mereatur, niſi tu, à quo & per quem Iuſti ſanctitatis veſtigium aliquod hauriunt. k *Non nobis Domine, non nobis ſed nomini tuo da gloriam*: non noſtrum ſed TVVM dulciſſimum nomen glorificetur: Tibi enim l *Regi ſeculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor* debetur *& gloria in ſecula ſeculorum*. m *Nobis autem confuſio* magna *faciei noſtræ* & contemptus. Eru beſco, Deus meus, & Saluator meus ob animi mei elationem: qua nomen meum appeto dilatari, & toti mundo innoteſcere, & ab omni-

III.

k *Pſal.113.9*

l *1. Ti. 1.17.*

m *Bar.1.15. Dan.9.7.*

omnibus æstimari, qui tamen vituperari potiùs, blasphemari, contemni & in obliuione apud oẽs esse dignus sum. Vtinam in tui Sancti nominis gloria quærenda, mei autem obliuione me totum occuparem.

IV. PERPENDAM quartò: cur petitioni huic, qua voluit Christus à nobis peti, Dei nomen sanctificari, non adiecerit: Per nos. Causa enim est, quò nostra petitio desiderium q; nostrum nec intra terminos & limites contineretur, sed sanctissimi eius nominis sanctificatio extenderet se ad oẽs tàm Angelos, quã homines; nec ad eos solũ qui nũc in terra versantur; sed eas etiam animas quæ vel in cœlo sunt vel in purgatorio; nec ad præsentes tantũ, sed ad eos etiam, qui sunt futuri; imò vt creaturæ omnes aspectabilis huius mundi suo vnaquęq; modo laudent, & sanctum eius nomen glorificent, dignissimum est enim, quod ab omnibus glorificetur, & n *omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum* superno Dei nomini & vnigenæ filij eius IESV Saluatoris nostri.

n *Phil. 2. 10*

V. DENIQVE perpendam, qua ratione nomen hoc tùm ego sanctificare debeã, tùm illi, pro quibus, vt illud sanctificent, peto. Præcipua enim eius nominis glorificatio in eo est, vt omnes credant, quod ipse reuelat; sperẽt, quod ipse promittit, obediant ijs, quę ipse iubet; adorent verò & seruiant sicut ipse præscribit, ac demum ex toto corde eum diligant, & talis eorum sit vita & talia opera, vt o *qui ea vide-*

o *Matt. 5. 17*

rint,

rint glorificent Patrem qui in cœlis est. O Pater glorioſiſsime, per vnici filij tui merita ſupplico, vt fidei lumen infidelibus omnibus; gratiam tuam & charitatem fidelibus; iuſtis omnibus feruentem amorem impertiri digneris, quò ſanctum nomen tuum ita in terra ſanctificent, ſicut beati faciunt in cœlo. p *Væ mihi per quem* & per cuius opera *nomen Dei inter gentes blaſphematur*. Adiuua me Domine, vt ea in poſterum talia ſint, per quę nomen tuum glorificetur in ſecula. Amen. p *Rom. 2. 24*

ADVENIAT REGNVM TVVM. Petitio 3.

CONSIDERANDVM hîc eſt, quodnam hoc ſit *Regnum*, quod petimus aduenire.

PRIMVM, illud Regnum petimus, quo DEVS ipſe in iuſtis regnat per gratiam. Ideóque Regnum hoc multa complectitur & in primis fidem quam tenere oportet; Leges gubernationis ipſius, quas obſeruare; ſacramenta, quæ ſuſcipere; ſacrificia, quæ offerre; & virtutes omnes, quibus Regi noſtro ſeruire debemus, animas noſtras ad hoc diſponentes, vt in eas Rex ipſe venire, & inhabitare dignetur: Ac denique illud quod Apoſtolus, q *Iuſtitiam, Pácem, & Gaudium in Spiritu ſancto* appellat. O cœli Rex, Veniat tuum hoc Regnũ ad nos, & quotidie veniat cum nouis perfectionis augmentis: Eſt enim æquiſsimum, vt tanquam verus legitimusque Rex noſter in nobis Regnes, nos gubernas, omnesque tuæ gubernationi ſubiecti ſimus. I. q *Rom. 14. 17.*

II. PETIMVS deinde Regnum æternæ glorię, in quo Deus cum Beatis tranquillè regnat: sed non dixit tamen: perduc nos ad tuum Regnum; sed *adueniat* ad nos *Regnum tuum*: si enim ipsius Regnum ad nos per gratiam peruenerit; certum est nos ab ipso deducendos ad gloriam: Ideoq; maiori nobis curæ prius Regnum esse debet, quàm posterius: omnes enim cum Christo in cęlo regnare desiderant, quia omnibus, id est iucundum: nõ tamen æquè oés optant Deũ in ipsis hac in terra regnare, quia molestiam id aliquam adiunctum habet. Sed ego, Rex meus, supplex, vt Regnum tuum veniat, peto; quò in me & omnibus regnes per gratiam: sed & illud peto, vt & r *ciuitas* illa *sancta Hierusalem de cœlo descendens* sese nobis manifestet, viuaque fide reuelet, vt visione sua in suum nos amorem accendat, &, vt eius habitatores efficiamur, nos ad se perducat. Vtinam in illud regnũ me totum immersum viderem! Vtinam adueniret, & in me ipsum intraret: s *intra me* enim *esse necesse est*, quod me beatum faciat.

r *Apoc.* 21.2

s *Luc.* 17.21.

III. TERTIÒ petimus etiam Regnum Dei vltimum & consummatum, quale in nouissimo iudicij die erit, aduenire: cum Dœmonis regnum omninò destruetur; DEVS verò in iustis regnabit, eorum animas & corpora glorificans, vt regnum gloriæ eius in omnibus t *compleatur*. O vtinam hoc Regnũ aduenire, vt peccatis cessantibus, desiderium implere tur animarum Sanctarũ, quæ illud expectant,

t *Apoc.* 6.11.

vt eo

vt eo simul cum corporibus æternùm potiantur.

DENIQVE verbum illud TVVM perpendam. IV.
Veniat, inquam, Domine, Regnum TVVM, vt quodcunq; tuum non est, destruat: Nec in me u *regnum peccati* aut Dœmonis amplius dominetur: *sed vt gratia tua per iustitiam regnãs* tale regnum destruas, supplex peto. Nec peto, vt huius mundi regnum, quod in diuitiis, honoribus, & voluptatibus eius fundatur; sed tuum, quod in veris virtutibus constructum est, in me regnet. O Saluator dulcissime, qui professus es: x *Regnum tuum non esse de hoc mundo*: Regnum tuum volo, regnum tuum desidero, illud solum peto. Veni ô Trinitas sanctissima, & in nos ipsos intra, inhabita, & regna in nobis, qui terrã incolimus, sicut regnas in sanctis, qui cœlos iam incolunt; vt sicut illi tibi seruiunt, & placent, nos quoque seruiamus. Amen.

u *Rom. 5. 21*

x *Ioan. 18. 36.*

FIAT VOLVNTAS TVA SICVT sicut in cœlo & in terra. Petitio 3.

CONSIDERANDVM primùm, quænam illa I.
sit VOLVNTAS, quam petimus impleri: diuina videlicet est, legis diuinæ præceptis, Euangelicis consiliis, occultis Spiritus sancti inspirationibus, & Ecclesiæ eiusque ministrorum, ac eorum, qui Dei loco & nomine nobis præsunt, ordinationibus expressa. Vtinam hanc Dei voluntatem semper exequeremur: satis enim omnibus esse debet, quòd ea Creatori

nostri sit; vt propterea lubentes eam amplectamur. y *Vita mea*, Deus, *in voluntate tua* y Psal. 29. 6.
est, vt eam exequar; mors in eiusdem transgressione. Impleam itaque eam, vt viuam; non transgrediar, ne moriar.

II. DEINDE verbum TVA perpendam, Deo dicens: nolo Domine propriam meam, quæ peruersa est; nec carnis, quæ aduersus spiritum rebellat; nec Dæmonis, quæ iniusta est; nec mundi, quæ vana, voluntatem sequi, sed tua fiat, quæ sola bona & iusta omnisq; bonæ voluntatis est regula. O dulcis IESV, qui de
z Iean. cœlo descendisti, z *non vt tuam sed Patris voluntatem faceres*, adiuua me gratiâ tuâ, vt in rebus omnibus meâ abnegem & mortificem, eamque tuæ diuinæ subiiciam.

III. PERPENDAM tertio modum eandem Dei voluntatem exequendi, qui verbis illis: SICVT IN COELO ET IN TERRA, exprimitur, sicut videlicet Angeli & beati spiritus eam in cœlo exequuntur: integrè in primis ita, vt nihil prorsus negligatur; pura deinde intentione Deo ipsi placendi; tertiò promptè, velociter, & exactè omnino, absque mora aut repugnantia vlla. Quartò, fortiter & ad finem vsque constanter; Quintò amoris feruentis, continui, intensique intuitu, magnam animi voluptatem gaudium & exultationē in Dei voluntate exequenda constituendo. O Pater dulcissime, operæpretium omnino fuit priùs petere, vt *aduenire Regnum tuum*, & vt cœlum tuum ad intima

nostra

stra penetraret; siquidem hoc à nobis exigis, vt in terra constituti vitam nostram sicut qui in ipso cœlo sunt degamus. Vtinam cum omni ea perfectione, qua fieri potest, voluntatem tuam exequerer: nolo enim esse parcior in eo desiderando, quod adeo excellenter me iubes à te petere.

PETIMVS denique hîc, fieri Dei voluntatem à terrenis hominibus, sicut fit à viris cœlestibus; præ omnibus autẽ sicut facta fuit ab Adamo ipso cœlesti IESV Christo Domino nostro, qui de cœlo ipso descendit, vt perfectione excellentissimâ diuinam exequeretur voluntatem. IV.

O Pater cœlestis, rationi omninò consentaneum est, vt filij, quos gratiosa tua voluntate genuisti, faciant quod eis iubes, sicut fecit is, quem ex tua genuisti substantia. aa *Doce me facere voluntatem tuam: quia* DEVS *meus es tu:* cui sit honor & gloria in secula. Amen. aa Psal. 142. 10.

PANEM NOSTRVM QVOTIDIANUM da nobis hodie.

CONSIDERANDVM primùm, quemnam hac petitione panẽ à Deo petamus: non enim quemcunque, sed supersubstantialẽ & excellentissimum petimus. *Primùm*, panem illum petimus, qui spiritum nutrit atque corroborat, qui est ipsum Sanctissimum altaris Sacramentum, supplicantes vt nos eius sumendi Petitio 4. I.

dignos efficiat, talesque, qui sacramentaliter quotidie, aut spiritualiter saltem sumere possimus, eiusque fructum & gratias innumeras, quæ in illo communicantur. bb *O panis vitæ, qui de cœlo descendisti pro mundi vita,* da teipsum mihi, vt per te & in te, tibique semper coniunctus viuam. Amen.

bb *Ioan. 6. 51.*

PETIMVS deinde consuetam animæ nostræ sustentationem, quæ sunt gratiæ auxilia, quibus spiritualis eius vita conseruatur, in quibus numerantur sacramenta, inspirationes, illustrationes, diuinorum mysteriorũ intelligentia, panisq; ille, de quo ipse Christus dixit: cc *cibus meus est vt faciam voluntatem eius qui misit me.* O Pater amantissime qui iubes me vitam ducere cœlestem, ita & voluntatem tuam in terra facere, sicut fit in cœlo; impertire mihi duos istos panes cœlestes, quibus ita puram vitam conseruem, donec consequar æternam. Amen.

cc *Ioan. 4. 34.*

PETIMVS denique etiam panem ad corporalem vitam sustentandam necessarium: quia vult ipse vt eam conseruemus, & vt panem ad id ab ipso petamus, non anxiâ & superfluâ solicitudine, sed ea confidentiâ, quæ de eius prouidentia meritò est habenda. In quibus omnibus nobis insinuat, quod simus eius filij, infantesque, qui à sustentatione, quã noster Pater daturus est, depẽdeamus; sine cuius prouidentia non possemus nostris viribus eam obtinere.

II. DEINDE considerandum verbum illud

NOSTRVM: etsi enim supersubstantialis iste panis verè sit ipsius Dei, quia ab ipse ad nos prouenit, ipse eum pinsit, ac distribuit; vult tamen vt NOSTRVM eum appellemus; quia ad necessitatem nostram reparandam destinatur; & quia Redemptor noster illum pro nobis comparauit, suorumque meritorum ius nobis applicauit, vt peteremus; & quoniam promissionis etiam nomine NOSTRVM iam est. Et quoniam diuinus panis diuersis modis pinsitur pro Angelis in cęlo atq; pro hominibus in terra perfectis & imperfectis, pro omnibus, Domine, panem NOSTRVM peto, naturæ nostræ capacitatique conformē, qui saluti nostræ consequendæ sit vtilis. Non peto corporalem alienum panem, nec superfluum, quo minus carni indulgeam; sed panem nostrum, necessitati nostræ debitum, ad vitam traducendam, & in tuo obsequio expēdendam.

TERTIÒ illud etiam verbum QVOTIDIANVM expendam, quasi dicamus Deo: non extraordinariam aut insolitam aut singularem petimus portionem, quam tuis singulariter dilectis amicis impertiri soles, quia eâ indignum me iudico: sed solitam *Quotidianam*, sine qua anima mea nec viuere nec in spirituali sua vita progressum facere potest; nec ipsum corpus subsistere: extra ordinarium alium diuinorum tuorum fauorum panem, diuinæ tuæ prouidentiæ, suauique æternæ tuæ dispositionis ordinationi relinquens. III.

IV.

PERPENDAM quartò illud: DA NOBIS: quia non mihi soli sed omnibus hominibus tanquam fratribus, charitate aut naturæ (etiamsi alioqui inimici) necessitudine coniunctis petere iubet iuxta illud Christi; dd *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos* vt etiam intelligam. si contingeret me videre ee *inimicum meum esurientem, cibandum illum esse* siquidem hic à Deo panem nostrum qui ipsius etiam est, peto.

dd *Mat. 5. 44.*
Prouc 0. 25. 21.
ee *Ro. 12. 20*

V.

DENIQVE & verbum HODIE est perpendendum, neque enim dicit: Da nobis *Hodie* & cras, sed *Hodie* tantùm: quia vult Deus, vt quotidie eum petam, & orationem quotidie frequentem; ac intelligam quotidie me ab ipso pendere; vt superfluam crastinæ diei solicitudinem abijciam: quia fortè non erit mihi dies crastina, sicut constituit Deus Israelitis vt *panes de cœlo colligerent, qui sufficerent per singulos dies*, quò semper à prouidentia diuina penderent. Quàuis supersubstantialem etiam panem pro die hodierno petam, qui, Apostolo teste, gg *Hodie cognominatur* & totũ vitæ huius tempus complectitur, quod cum æternitate comparatum, non est nisi diei vnius. O Pater cœlestis da mihi abundanter panem hunc ad diem hodiernum, & in æternum; sed ita tamen vt & viuam, & eo feruore orem in hoc die, atque si nullus alius mihi superesset.

ff *Exo. 16. 4*

gg *Hab. 3. 13*

DIMIT.

DIMITTE NOBIS DEBITA NOstra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Petitio 5.

CONSIDERANDVM primùm, quænam illa sint DEBITA, quæ nobis dimitti postulamus. Nam in primis peccata sunt lethalia, aut venialia, & pœnæ quarum propter illa rei sumus: quæ omnia Deus solus dimittere potest, sed per ea media id facit, quæ ipse constituit. Petimus igitur media illa nobis applicari, gratiamque conferri, qua illis vtentes, remissionem debitorum consequamur. I.

PERPENDAM deinde; quanuis eò sanctitatis quis peruenerit, vt Deum Patrem liceat compellare; quanuis eius Regnum illi aduenerit, & eius voluntatem in terra adimplere studeat sicut in cœlo, debere tamen se peccatorẽ recognoscere, ac ita de se sentire, quod in genere venialiũ peccatorum quotidie impingat, debitaque propterea quotidie contrahat, ob quæ meritò dicere debeat; DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA. O Pater benignissime! fateor quotidie nõ vno tantũ debito, sed multis tibi obstringi, cũ sæpius cado: sed tibi Domine, vt qui fons es misericordiæ cõplaces, dũ indulges, siquidẽ iubes, vt dimitti mihi petã, & nũc ecce peto, quia ita iubes. concede ergò quod peto, qui tibi complaces concedendo. II.

TERTIÒ perpendam similiter, quæ illa sint *debita*, quæ proximis ac *debitoribus nostris* dimittimus. sunt enim iniuriæ & offensiones à III.

proxi-

proximis aliquando nobis illatæ: quas debeo illis remittere, nec iniuriãtem aut me offendentem odisse, aut vindictam authoritate propria quærere, odijve indicia aliqua, sed charitatis potius consueta signa exhibere. Plenius tamen ille debita dimittere censendus est, qui etiam acceptæ iniuriæ oblitus, singulari eum amore prosequitur & singularia in eundem beneficia confert, à quo iniuria est affectus: quamobrem copiosiorem ac liberaliorem etiam à Deo ipse propriorum debitorum remissionem obtinebit. Ex quo intelligam, quantoperè Deus cupiat, vt nobis inuicem dimittamus, quæ inuicem debemus: si quidem ea conditione nostra nobis peccata ipse vult dimittere, modò & nos DEBITORIBVS NOSTRIS dimittamus: & quàm ipse cupiat, vt statim nobis mutuò dimittamus, hh *nec sol occidat super iracundiam nostram*, qui in quotidiana nostra precatione repetere nos iubet, quod nostris debitoribus dimittamus. Quod si reipsa non præsto, ipsemet in me sententiam profero: Dicens enim Deo: dimitte mihi, sicut ego dimitto; si ego non dimittam, reipsa, quod in me est, dico: nec mihi dimitte. O liberalissime Pater, ex corde omnino debitoribus meis dimitto quod mihi debent; vt tu dimittas mihi quod tibi debeo: certus enim sum, vix mihi ii *centum denarios deberi*; cùm ego *decem millia talenta tibi debeam.*

hh *Ephes.* 4. 26.

ii *Mat.* 18. 24.

NE NOS INDVCAS IN TENtationem.

Petitio 6.

PERPENDAM primùm, non dixisse Christum vt à Patre nostro petamus, ne nos tentari permittat; aut ne tentatori facultatem tentandi faciat: præsupponit potiùs, nos tentandos, expedireque id à cœlesti nostro Patre permitti, & facultatem hosti nostro ad id dari, quam si dederit, ea erit absque omni dubio iusta, nobisque vtilis, nostris viribus commensurata: Quare paratos nos esse oportet, ad tolerandas Dœmonis, eiusque ministrorum, qui in hoc mundo viuunt, nostrique propriæ carnis, & propensionum eius tentationes & insultus, sicut supra diximus. Sed *Medit.* 5.
vult Christus, vt gratiam petamus, ne à tentatione vincamur, aut in peccatum aliquod cõsentientes, tentationi succumbamus: & simul ne idem Deus tale nobis tentationis genus insurgere, aut in tali occasione venire permittat, in qua ipse nos præuidet esse vincendos. O Pater cœlestis, aspice hunc filium tuum in loco tentationis degentem, ex omni parte à multis hostibus oppugnatum: non refugio Deus conflictum, quem tu in bonum meũ permittis, sed gratia tua assiste, vt victor euadam: Patri siquidem honori est victoria filij.

SED LIBERA NOS A MALO.

Petitio 7.

PETIMVS vltima hac petitione, ab omnibus malis liberari, præteritis, præsentibus, &

futu-

futuris; æternis, & temporalibus; animæ & corporis, quatenus id ad animæ nostræ bonum conferet. Quare à Deo petimus, à peccatis præreritis ità liberari, vt gratiâ suâ nobis illa remittat, ab ignorantijs, erroribus, animi perturbationibus, calamitatibus & miserijs quibus nunc vrgemur, eripiat, & à futuris præseruet, æterna præcipue damnatione, Dæmonisque, qui kk *Malus* est, potestate: à quo potissimûm liberari cupimus, cùm dicimus: LIBERA NOS A MALO: quo neque in hac neque in futura potestatem aliquam in nos habere permittatur, aut eius mancipia efficiamur. Quamobrem licebit in hac petitione litanias quasdam instituere eis similes, quas habet Ecclesia, exprimendo ea mala, à quibus peto liberari. Ab omni malo libera nos Domine; ab ira tua; à spiritu fornicationis; à spiritu superbiæ, &c. Libera nos Domine.

kk *Mat.* 13. 19.

AMEN.

CONCLVSIT Christus precandi formulam verbo illo AMEN, quod est *fiat*, *fiat*; quod propterea ingenti affectu desiderioque dicendum est, à Deo obtinendi quod petro. ll *Desiderium* enim *pauperum exaudit Dominus*: adiungenda est quoque magna fiducia, quod exaudiemur: vt qui ea petamus, quæ ipse Dominus petenda præscribit, iuxta ea, quæ sanctus Ioannes dicebat: mm *Hæc est fiducia quam habemus ad Deum: quia quod*

ll *Psal.* 9. 38.

mm *1 Ioan.* 5. 14.

cunque

cunque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos: & scimus quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo: ipse enim docuit nos, quæ ex ipsius voluntate petere debeamus. *Doctrina, quam in hoc sermone Christus docuit, de prouidentia, quam ad subueniendum nostris necessitatibus, nostrasque orationes exaudiendas habet, secundam habet vtilissimarum meditationum materiam, quas in sextam partem reseruamus.*

MEDITATIO XV.

DE APOSTOLORVM AC discipulorum ad prædicandum missione.

PVNCTVM I.

CONSIDERA primùm: Christum, cùm suos discipulos ad prædicandum mitteret per terram Israel, dixisse illis: a *Messis quidem multa operarij autem pauci: Rogate ergò Dominũ messis, vt mittat operarios in messẽ suam*, qui eã colligant. Qua sententia infinitam suam charitatẽ, misericordiam & desiderium, quo tenetur, nostræ salutis manifestat. I.

a *Mat. 9. 37* a *Luc. 10. 2.*

PRIMVM itaque ait: MESSIS MVLTA, quia multi sunt, quos ad cœleste regnũ destinatos

habet;

habet, multiqúe, qui prædicatorum & mysteriorum euangelicorum auxilium expectant, quo se diuino obsequio tradant omninò. Et hoc est quod Christum ad commiserationem excitat, vt eos cupiat adiutos.

II. DEINDE ait: OPERARII PAVCI: quia plurimi hominum sectantur otium, horrentes laborem: quod si aliquandò laborant, id proprij commodi potius quam aliorum gratia faciunt. Pauci sese, vt operarij sint, disponunt; multi ei, qui mittere eos velit, resistunt. Et hoc ipsum eius viscera magis mouet ad compassionem, & porrò ad desiderium, vt tot mittantur, quot messis eius necessitas & multitudo requirit.

III. DICIT tertiò: ad ipsum Dominum messis, qui est Christus, spectare, vt operarios designet, mittatque: quia nemini licet in alienam messem absque Domini facultate intrare. qui enim à Deo non vocatus in huiusmodi se opus immiscet, ostendit se non Domini obsequio palatove studere; aut messis ipsius sed proprium commodum, honorem, & vtilitatem quærere. frustra autem laborabit qui talis est, nisi enim in nomine & virtute Iesu Christi, nec piscari, nec meti potest animarum messis & captura.

IV. QVARTÒ ait: Rogandum esse Dominum messis, vt mittat operarios, qui eam colligant: vt ostendat se eius non oblitum esse, sed optare potius vt colligatur: velle se tamen rogari: eo quod oratio medium sit aptissimũ

ad exequendas diuinas disposiciones & prædestinationes; & vt simul operis huius prętiam, & valorem intelligamus, in quo tamen non de ipsius Domini, sed messis & operariorum agitur lucro & vtilitate: Ex hoc enim tũ hominum salus, quæ messis instar demeti, vt in horrea cœlestia perueniant, debet; tum operariorum merces, quibus ipsam Deus messem committit, dependet: hanc enim ob causam Apost. ait: b *Væ mihi est, si non euangelizauero: necessitas enim mihi incumbit.* b 1. Cor. 9. 16

V.

DENIQVE tanta est Christi Domini charitas, vt statim atque suum hoc messis colligendæ desiderium expressit, non expectans, vt Apostoli ac discipuli id peterent, statuerit eos mittere, vt ostendat, etsi nos in hac gratia petenda incurijsimus, charitatem suam infinitam non obliuioni tradituram messem; sed bonitate & misericordia sua sola c *operarios* electurum & missurum, *qui regiones metant*, sicut reipsa per vniuersam Ecclesiam & gentilitatẽ quotidie eum facere videmus. O Saluator dulcissime, quantas possum maximas pro solicitudine hac erga messem tuam, in operariorum, qui eam colligant missione, ago. & quandoquidem, vt id facias, rogari cupis, millies humiliter supplico, vt multos fideles, magni exempli, d *probabiles & inconfusibiles operarios* mittere non desinas: ad quos, si ego aliquid valeo; e *Ecce ego, mitto me.* Si enim tu me vocas mittisque, æquum est vt paream, conando exequi quod iubes. Hos & similes c *Iacob. 5. 4*

d *2. Ti. 2. 15.*

e *Isai. 6. 9.*

alios affectus ac proposita ex quinque his considerationibus elicere oportet: messisque ipsius necessitatibus, & operariorum penuriæ condolere.

PVNCTVM II.

CONSIDERANDVM Christum reipsa statim a *Apostolos ac discipulos suos* in terram Israel *binos & binos ad prædicandum* a *Mar. 6.7.* b *Mat. 10.8* *misisse*, ac dixisse; b *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite; gratis accepistis, gratis date.*

I. PERPENDAM primùm causas, ob quas voluerit Christus, discipulos suos binos ire, & non vnum solùm: vt videlicet alter alterũ iuuaret, consolaretur, & custodiret: & ea ratione mutuæ perfectæ charitatis legẽ implerent, exemploq; suo alios ad eandem caritatem colendam excitarent: & vt eiusdem veritatis, quam prædicarent, duo essent testes contestes. Ac demum vt eorum posteri exemplum hoc sequeremur, studentes, huiusmodi ministeria benè comitati obire: c *Frater* enim (vt Sapiens ait) *qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma*: & idem Sapiẽs: d *Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli: quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se.* & ipsemet Christus Dominus: e *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: O felix contubernium, cui tertium se Christus adiungit, eius curam habiturus.

c *Pro. 18. 19.*

d *Eccl. 4. 10*

e *Mat. 18. 20.*

DEIN-

DEINDE Christi liberalitatem, omnipotétiamque perpendam, quam ostendit in tam ingenua, & absque omni inuidiæ inditio, communicatione potestatis patrandi miracula, discipulis suis facta; addens etiam, ipsos postea etiam maiora, quàm ipsemet feciſſet, edituros; vt authoritatem maiorem ipsis & doctrinæ ipsorum conciliaret. cùm enim homines essent aliàs abiecti, nisi tali fuissent potestate ornati, facilè fuissent ab omnibus contempti. Nominatim verò duo illa memoranda verba GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE sunt expendenda. *Primò* enim ipsosmet discipulos erudit in humilitatem, vt sciant neque hanc neque alias potestates sibi ob ipsorum merita, aut aliæ iustitiæ titulo debitas esse; sed gratis omninò concessas; ne quis in seipso sed *in Domino* à quo eas accepit, *glorietur*. Ideoque *greuertentibus cum gaudio discipulis*, ac iactabundis, quod *etiam dæmonia ipsis subijcerentur in nomine eius*, vt eorum superbiam reprimeret, respondit: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*, quasi diceret exemplum hoc in dæmonibus vobis obedientibus aspicientes, discite non vobis tribuere, quod reipsa non vestrum sed Dei est: propterea enim illi è cælo sunt præcipitati, quod, quæ Dei erant sibi vsurparent. II.

Secundo verbo liberalitatem erga proximos, commendat, quam ipse discipulis exhibebat, vt sicut ipsi eam potestatem

f 1. Cor 1. 31.
g Luc. 10. 17

gratis acceperunt, gratis quoque eadem erga proximos, non lucri temporalis aut pretij alicuius intuitu vtantur: nam quo minorem ipsi ab hominibus recompensationem quæsiuerint, eo ampliorem à Deo mercedem recipient: qui suam propriam reputans iniuriam, per Prophetam conqueritur: h *Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò*: & qui gloriam meam præcipuè, non proprium quęrat commodum. O dulcis IESV, si quidem quæcunque habeo, à te accepi: omnibus illis, quia reuera sunt tua, seruire tibi cupio. solius tui amoris ergò, sensuum meorum portas occludam; & in cordis mei altari ignem affectuum incendam, offeramque bonorum operum sacrificia. Quòd si in proximorum vtilitatem aliquid mihi donaueris, illud etiam in eos distribuam; nullo alio præmio aut mercede propter te quæsita, cui sit semper gloria de omnibus, quæ à te procedunt. Amen.

PVNCTVM III.

I. CONSIDERANDA sunt illa virtutum ornamenta, quæ discipulis prædicationem aggressuris Christus commendat: *Ecce*, inquit, *ego mitto vos sicut oues* & agnos *in medio luporum: Estote ergò prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*. Quibus verbis sex eis virtutes commendat. Quiũ *mansuetudinem*, nemini, etiam à quo ipsi læ-

deren-

derentur, nocentes; *Patientiam* in tolerando quodcunque ipsis inferatur incommodum; *Charitatem*, seipsos & quæcunque habuerint, in aliorum vtilitatem tradentes, etiamsi illi sint inimici: sicut oues lac suum, lanam, & carnem in hominum vsum conferunt: simul tamen magnam in pastoris, à quo mittuntur, prouidentia fiduciam collocare necesse est: sicut Ouis totam sui custodiam in pastore positam habet, vt quæ arma nulla propria, quibus se defendere possit, habeat. & hoc verba illa indicant: *Ecce ego mitto vos tanquam oues in medio luporum*: atque si distinctius loqueretur: non dubitetis, quin lupos sitis & vestræ doctrinæ ac vitæ persecutores habituri: vos verò inter eos non vt lupi aduersus lupos, aut canes aduersus leones, vt eos mordeatis, aut laceretis, versemini; sed vt oues & agni, mansuetudinis, patientiæ, charitatis, fiduciæque armis pugnando, semper memores, quod ego sim qui misi, ego vester pastor, magister & Deus vester, qui curã vestri geram, & in periculis defendam. O supreme Pastor: siquidem tu es qui me mittis, mitte quò vis, tua enim protectione vbique securus ero. corrobora debilitatem meam virtute tua, vt etiam lupos ipsos expugnare, & in mansuetas gregis tui oues conuertere possim: vt quod per tuum Prophetam futurum prædixisti, reipsa impleatur: a *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo, & ouis simul morabantur,* a *Isai.11.6.*

sub pastoris vnius humilis obedientiâ.

II. COMMENDAT deinde, vt ea ratione sint mites, patientes, beneuoli, & confidentes; vt non sint tamen insipientes, imprudẽtes & temerarij, sed vt serpentum prudentiã semper adhibeant, quę prudentia in eo *primùm* est posita, vt munus suũ ita exequantur, vt licet corpus vulnera à lupis accipiat, nihil tamen anima patiatur: sicut serpens, etiã si corpus vulneri exponat, caput abscondens contegit, b *obturatq; aures suas ne exaudiat vocem incantantium, & veneficii incantantis sapienter*, quæ nocumentum ei posset adferre. *Deinde* eadem prudentia requirit, vt tempus expectetur, locꝰ & opportunitas quæratur, ad prędicandum, & ad doctrinam suam persuadendam: sicut etiam serpens, cùm Euam decepit, obseruauit: par est enim tantam circumspectionem & prudentiam nos in bonum adhibere, quantam serpentes, qui sunt diaboli, hostes nostri adhibent in malum. Non vult autẽ Christus hanc prudentiam esse vulpinam, quę duplicitatem fraudesve contineat, falsas sequens suspitiones & temeraria iudicia, sed vt sincera sit & verax cum vitę puritate, sine fellis malitia & amaritudine: ne ouium mansuetudini aduersetur. Ac propterea adiecit columbæ simplicitatem, vt puros oculos intentionis haberent, sponsę illius instar, cui dicitur. c *Oculi tui columbarum*, quos in Dei gloriam & animarum fructum absque rerũ terrenarum admixtione conijciant. O innocen-

b *Psal. 57. 5.*

c *Cant 1. 15. & 4. 1.*

tissime

tissime agnus. d *in quem descendit Spiritus S. corporali specie sicut columba*, coniunge, quæso in anima mea prudentiam cum simplicitate: quo ita alijs prodesse studeam, vt ijdem mihi non noceant.

d *Luc.22 3 Ioan.1.32.*

PVNCTVM IV.

CONSIDERANDVS modus in via seruandus, quem ita Christus præscripsit: a *Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neq; calceamenta, neq; virgam: dignus est enim operarius cibo suo.* b *Neminem per viam salutaueritis: in quācunq; domū intraueritis, primū dicite: pax huic domui.* Perpendendus aūt est Christi scopus in hac instructione: ad tria enim potissimum respexit.

a *Mat.10.9*

b *Luc.10.5.*

PRIMVM, vt nequid nimis, aut superfluū in temporalibus commodis admitterēt, sed necessarijs tantùm contenti essent: quare nihil pretiosum auri argentive: non superfluā pecuniā, ad sibi indulgendū, accipiāt: & si tunica vna, & calceamenta illis sufficiant; ne duplicata, quæ mutare, & modò his, modò illis vti possint, accipiant: & si vel sandalia, vel quid aliud accommodatum pauperibus sufficere possint: ne integra portent calceamenta: & qui ad iter agendū baculo non indiget, & hunc abijciat: aut si ob debilitatem baculo, cui initantur, indigent; ne virgam accipiant, qua se defendant ad vindictam. I.

SECVNDVM est, vt nimiā alimenti, vestimēti, & cōmoditatum solicitudinē etiā in neces- II.

sarijs dimittentes, diuinæ prouidentiæ confidant, quæ modò ipsi tales sint, quales oportet & munus suum fideliter exequantur de omnibus sit prouisura, quia dignus est operarius, cui Dominꝰ eius de victu prospiciat: & Deus certò prouidebit, hominibꝰ inspirando, vt eum tribuant: quem & ipse operarius non vt laboris mercedem, sed tanquam sustentationem vitæ, vt laborare amplius possit, accipere poterit. & ita reipsa Christus id impleuit exactè, sicut ipsi Apostoli fassi sunt, cùm nocte

c *Luc.22.35* Passionis suæ Christꝰ interrogauit: c *Quãdo misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, nũquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.* O

d *Psal.22.4* Pastor prouidentissime, d *Virga tua & baculus tuus* gubernationis & solicitudinis tuæ sufficiunt ad *consolandum* & sustentandum *me*: si enim te habeo, omnia habeo; & si tu mihi nõ defis, nihil deesse potest.

III. TERTIVM est, ne in profectione ipsa colloquijs, familiari conuersatione, aut rebus alijs ad rem non facientibus, & ab scopo suo alienis distineantur. hoc enim dicere voluit, cùm neminẽ in via salutandum præcepit: neq; enim honestas decentesque salutationes prohibuit qui eos in hospitijs ita humanos & placidos esse voluit, vt primò hospites suos salutarent, ac Euangelij pacem illis offerrent, eandemq; à Deo pro illis petentes, domos illorum ingrederentur. Nam pace in anima non existente, minus dispositа illa est, ad veram doctrinam recipiendam.

O Ma-

O Magister cœlestis, cui adeò curæ est nos docere, imprime cordi meo doctrinam tuam, vt opere illam exequar, nulla re admissa, quæ me ab ea retardet. Amen.

AD extremum animat illos Christus ad muneris sui executionem: e *Si*, inquit, *ibi erit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos reuertetur.* Duo his verbis illos docens. *Primum*, fore, vt eorum prædicatio effet fructuosa in aliquibus, in iis videlicet, qui pacis filij essent, à Deo ad Euãgelij doctrinam absque resistentia recipiendam electi. *Secundum*: quòd, vbi apud alios fructum non adferret, eò quod eam repellerent, ad ipsos esset reuersura: quasi diceret, ne propterea vos pacem vestrã abiiciatis, aut cõmoueamini irâ vindictæ; sed hãc Deo potius relinquite, quia nõ propterea vestro vos labore fraudabimini. e *Luc. 10. 6.*

PVNCTVM V.

CONSIDERANDVM denique præscriptum ipsius prædicationis thema & argumentum. cum dixit: a *Dicite illis: appropinquauit in vos Regnum Dei*, b *& exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent.* a *Luc. 10. 7.* b *Marc. 6. 12*

PERPENDENDA hîc sunt tria, quæ themate hoc continentur. *Primum*, media salutis, ad ingressum in cœlum necessaria, qualis erat oęnitentia peccatorum, extirpatio vitiorum, studiosorum operum exercitia, terrenarum rerum contemptus: quæ perditionis animæ causa existunt. *Secundum*, scopus & horum operum incentiuum, quod erat Regnum cœ-

lorum: non itaque ad amplectendam doctrinam permouerentur præcipuè formidine pœnæ, aut temporaliũ commodorum intuitu, sed ob promissum regnũ cœlorum. *Tertium*, quod hoc totum facilè esset ac peruiũ, & iucũdum; quia regnũ ipsum cœlorũ propè iam esset, author videlicet gratiæ, qui cœlorum esset portas reseraturus, mediaq; iucunda & efficacia ad ingrediendum collaturus, sicut reipsa iam ea offerre incipiebat. O Rex cœlestis, qui glorioſum adeo regnum in hunc mundum intulisti, adiuua me, vt illud expugnare rapereque valeam: qui dixisti. c *A diebus Ioannis Baptistæ*, qui illud prædicare cœperat, *Regnum cœlorum vim pati, & violentos illud rapere.* Da mihi, Domine, tantum roboris, quò adeo pretiosam Margaritam ego rapiam, quandoquidem tu, qui eius es Dominus, congaudes, quòd omnes illam rapiant, ac ita diteſcant.

c *Matt. 11. 12.*

MEDITATIO XVI.

DE GLORIOSO B. IOANnis Baptistæ Martyrio.

PVNCTVM I.

a *Matt. 6. 17 Matt. 14. 4.*

VM a *duxisset Herodes vxorem Philippi fratris sui, dicebat illi Ioannes: Non licet tibi habere vxorem fratris tui.*

I. CONSIDERANDA hic primùm

est

est noui huius Heliæ fortitudo & zelus, qui etsi consuetudine & familiaritate magna Herodi coniunctus esset. (b *Herodes enim*, ait S. Marcus, *metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum, & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat*) grauiter tamen publicum eius & scandalosum peccatum increpabat, quamuis non ignoraret eius se amicitiã & consuetudinem amissurum. Veri enim honorem Dei zelantes, nihili faciunt Regis terreni gratiam amittere, ne cœlestis Regis gratiam in discrimen adducant, & licet Ioanni esset nota Herodis crudelitas, multoque magis Herodiadis, quæ ob huiusmodi increpationes eum è medio tollere cupiebat, non tamen ipse propterea timuit, aut à muneris sui prosecutione destitit, sed cuiuis periculo damnoque, quod euenire sibi posset, seipsum exposuit: in quo insignem animi fortitudinẽ constantiamq; ostendit: nec c *arundinẽ* aliquã *vento agitatã* se esse, sed d *columnã ferream & murũ æreum*, quia nec proprium honorẽ nec vitam amabat, nihili eam perdere faciebat, nec minas vllas curabat: Sed e *quasi leo confidens absque terrore erat*. Ex quo exemplo firma concipiam fortitudinem & animi constantiam Sancti huius Præcursoris imitandi proposita, abiiciens à me nimium inconstantium huius mundi rerum amorem, ex quo facilè oritur, vt arundinis instar quouis tentationis vento à bene propositis dimouear.

b *Marc. 6. 20.*

c *Matt. 11. 7*
d *Hier. 1. 18.*

e *Prou. 28. 1*

PVNC-

PVNCTVM II.

a *Luc 3.20.* b *Matt.14.3* c *Marc.6.17*

HErodes *adiecit* a *& hoc super omnia, quæ fecerat, mala; &* b *tenuit Ioannem & alligauit ac* c *vinxit eum, & inclusit in carcerem.*

I. CONSIDERANDVM hîc, Christum Dominum hanc tribulationem S. Ioanni etiam amicissimo permisisse; quia eo vsq; omnia illi feliciter euenerant, honorabatur enim ab omnibus, laudabatur, obediebatur ei: oportebat autem eum reliquorum Prophetarum, iustorumque, qui futuri sunt more, per viam tribulationum & persecutionum pertransire: vt ad imitationem Iobi, sicut in prosperitate excellentes suas virtutes ostenderat; ita etiam faceret in aduersitate, & vt aurum in fornace magis magisque purificaretur, & gloriæ suæ coronam excellenti sua patientia adaugeret. Ex quo magnam persecutionum laborumque propter iustitiam exantlatorum opinionem & æstimationem hauriam: etsi enim illi hominum iudicio sint pœnæ, maliq́ue censeantur, in oculis tamen Dei prę̨mia potiùs, quibus in hac vita sibi chariſſimos ad maiorem coronam exercet, iudicantur: ideoque d *beatos eos dicit, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum cælorum.*

d *Matt.5.10*

II. DEINDE modus est perpendendus, quo ipse S. Ioannes eam tribulationem pertulit. Est enim par credere, cũ accederent ministri, qui

illum

illum caperent, nec fugâ nec latebris aliquibus sibi consuluisse: sed potiùs eis occurrisse, seque, vt caperetur, obtulisse: exultasseque, cùm se catenis ligari videret, nõ minùs quàm posteà fecit S. Paulus; eo quòd videret ab aliis se etiam iuuari ad carnis suæ, quam ipse odio Sancto prosequebatur, mortificationem. Carcerem porrò ipsum in Oratorium conuertit, noctes ipsas in oratione & contemplatione expendens, sicut in deserto antea facere consueuerat: dies verò expendebat in discipulis alijsque vinctis erudiendis: inde enim discipulos suos ad Christum misit, petens, non se à carcere, sed ipsos à crassa, qua tenebantur ignorantia, liberari.

DEMVM, qui Præcursoris Christi officio in mundo perfunctus iam esset, cupiebat dissolui, vt eodẽ munere apud Sanctos, qui in Lymbo detinebantur posset, fungi, iustis illis præ nuntians, in proximo esse redemptionem ipsorum: quamobrem hilari omnino animo ipsam mortem in dies expectabat: nam voluntatis diuinę tanquam Propheta conscius erat, & depositionem corporis sui non procul esse nouerat. O anima mea, cõgaudeas sancto huic Præcursori in hac tribulatione, d *Sciens quòd tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio verò spem: spes autem non cõfundit*, aut decipit: qui enim hac ratione patiuntur, *charitas Dei diffusa est in cordibus eorum per Spiritum S. qui datus est eis*, pignus æternæ vitæ. III. d *Rom. 5. 3.*

PVNC-

PVNCTVM III.

a Marc. 6. 21

CVM a *dies opportunus accidisset, Herodes Natalis sui cœnam fecit principibus & tribunis & primis Galilææ. Cumq; introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulq; recumbentibus: rex ait puella, Pete à me quod vis: & dabo tibi. & iurauit illi, quia quicquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei. Quæ à matre inducta, petijt caput Ioannis in disco: rex etsi contristatus, propter iusiurandum tamen & simul discumbentes noluit eam cõtristare; sed, misso speculatore præcepit afferri caput eius in disco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ.*

I. PERPENDE hîc satanæ astum & crudelitatem, quam per tyrannum Herodem exercuit, omnium vitiorũ aciem congregans, vt caput Ioãnis amputaretur, in odiũ clarissimarũ eius virtutũ. Nam ingluuiem in conuiuio, aduersus Præcursoris temperantiam armauit; Herodiadis luxuriã, aduersus eius vitæ castimoniam & puritatem; puellæ leuitatem, aduersus eius modestiã; inanem cõuiuarum gloriã, aduersus eius grauitatem; Herodis prodigalitatem, & iactantiam in promittẽdo etiam dimidio regno ob leuissimam ex saltatiõe haustam voluptatem, contra eius paupertatem & humilitatẽ: Ac deniq; crudelitas, fictio, fraus, infidelitas, falsaq; ob iuramentum religio, insurrexerunt aduersus mansuetudinẽ, sinceritatẽ, veritatem, & perfectissimam sanctissimi

huius

huius viri religionem. Ex quo aduertam, qua ratione Dœmon per vitia bellũ aduersus virtutes moueat: qui tamen nõ prę̃ualebit aduersus verè studiosos, qui solida in virtute fundamenta iecerunt. Quare magna animi fortitudine statuam b *serpentis* huius *caput conterere*, etiamsi meum ab eodẽ præcidatur: etsi enim caput à corpore secet, non me tamen à capite meo Christo, in quo totũ bonum meũ repositum habeo, separabit. O IESV dulcissime, c *caput corporis Ecclesiæ, qui in omnibus primatum tenes*, eum, quæso, mihi spiritus feruorem largire, vt neque d *tribulatio, neq; angustia, neq; periculum, nec persecutio, neque* ipsa *mors à charitate tua* vel ad momẽtum *separet*. Adiuua me, vt ita in militante Ecclesia pro seruitio & gloria tua pugnem; vt ad triumphantem perueniam, in qua tecum regnem in æternum. Amen.

b *Gen.3.15.*

c *Coll.1.18.*

d *Rom.8.35.*

LICEBIT etiam tam peccati quàm peccatoris, qui fræna sibi laxare incipit, conditionem moresq; perpẽdere: quod videlicet ruat sẽper in peius. *neque* enim mysterio vacare censendum est, quod S. Lucas huic adiecit historiæ: *Herodes* ADIECIT *& hoc super omnia, quæ fecerat mala, vt Ioannem includeret in carcerem*, & prę̃ter hoc alia sine dubio adiecit multa peccata in illo conuiuio: vt in ipso impleretur illud Dauidis: f *Superbia eorũ, qui te oderunt, ascendit semper*. Primùm enim ad Ioannis increpationẽ aures obturauit; eundem postea inclusit ac vinxit in carcerem; ac deinde

c *Luc.3.20.*

f *Psal.73.23*

astutissimæ vulpis instar, falsæ religionis prætextu, ne iusiurandum, quod malè fecerat, violare videretur, decollauit. Ad cuius imitationem ego, qui aliquando diuinæ gratiæ, quæ per Ioannem significatur, familiariter coniunctus eram, libenter diuinas inspirationes auscultans, postea paulatim eisdē resistere incepi, ac meis deinde affectibus & animi perturbationibus dans locum, in carcerem gratiam eam includo, ac denique peccatis admissis, eam iugulo, adiiciens quotidie plura peioraque prioribus, festum quasi in eis diem agens, vel etiam religionem violari fingens, nisi ea perpetrem. Ex quibus omnibus discam principiis malis obstare; & præcipuè admonitionem & increpationem humili gratoque animo suscipere: non enim hoc prædestinati à reprobis reprobis distant, quòd hi peccent, illi non peccent: sed quòd illi tandem correptionem amplectentes sicut g *Dauid* emendantur; hi verò eandem vt h *Saul* repellunt; iramque suam in corripientes ipsos conuertunt, sicut etiam Herodes, vsque ad lapsum in profundum malitiæ, & abyssum inferni.

g 2. *Reg.* 12. 13.

h 1. *Reg.* 15. 30.

PVNCTVM IV.

HERODES, misso speculatore, præcepit adferri caput Ioannis in disco; & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ.

I. HIC perpendendum primùm, quanta animi voluptate S. Ioannes sententiam mortis excepit, cùm ei fuit promulgata; exultauit enim

enim animo, quod in tali causa vitam amitteret; suamq; voluntatem diuinæ omnino, quæ id ita disponebat, subiecit. Estque fas credere, sicut Christus ipse in solenni die Paschatis mori voluit, vt vel hac ratione animi sui ad vitam pro hominibus exponendam promptitudinem ostenderet; ita voluisse, vt S. Ioannes in die solennis conuiuij moreretur, vt appareret, lauti conuiuij loco se habere, pro iustitia mori & veritate.

CREDENDVM quoque est, flexis ipsum genibus orationē fecisse, primùm pro suis persecutoribus: ac dixisse: Dimitte illis Domine, quia passione excæcati, nesciunt quid agant: & mox pro suis etiam discipulis; ac demum pro seipso, spiritum suum in Dei manus commendando: sicque forti animo caput suum obtulit præcidendum: & si quo fortè dolore afficiebatur, is nō erat propterea, quod vitam amitteret; sed quòd mors non esset acerbior, quò ampliùs in obsequium dilecti sui pateretur. II.

TERTIÒ considerare licet, quanto honore sanctissima illa anima ad Abrahæ sinum deducta fuerit: si enim ad pauperis a *Lazari* deducendam, multi *Angeli* venerunt, quot millia ad tanti Præcursoris comitandam venisse par est credere? & si b *multi in eius natiuitate* (quod Angelus Zachariæ parenti futurum prædixerat) *gauisi sunt*, quid fecisse credendi sunt illi iusti, qui in Lymbo detinebantur? quanto gaudio eos perfusos existimabimus III.

a *Luc.16.22*

b *Luc.1.14.*

ex eius præsentia, qui tam certa recentiaque illis de Messia, quem ipsi tantis desideriis tanto tempore expectabant, noua referret.

IV. HINC gradum faciam ad gloriæ magnitudinem contemplandam, qua nunc in cœlo, tanquam præmio tot præstantium obsequiorum perfruitur, quæ ab instanti suæ in vtero materno sanctificationis, ad illud quo in carcere decollatus est, Christo Domino præstitit. Nam etsi breuis eius vita fuerit, (vt quæ trigesimumtertium annum non excesserit) merita tamen ob insignem, qui in eius vitę decursu cernitur, feruorem, fuerunt ingentia: Quem propterea idem CHRISTVS Dominus, ad vnum ex altissimis in cœlo thronis inter supremos Seraphinos euexit; tribusque Laureolis & Coronis Virginis, Doctoris, ac Martyris decorauit; imò bis martyris, tum quòd paupertate, castitate, continuataque carnis suę mortificatione toto vitæ tempore martyrium sustinuerit; tum quòd vitam pro testimonio veritatis, effuso sanguine, finierit; & in die nouissimo ob relicta sua omnia Christi amore sedebit in glorioſa sede sicut Apostoli, ad duodecim Tribus Israel & totum ipsum mundum iudicandum. O Præcursor Sancte congaudeo de tanta ista tua exaltatione! Felix fuisti in natiuitate; felicior in vita; & in morte adhuc felicior; sed in gloria felicissimus, quam tali vita talique morte es consecutus. Felicia obsequia quæ Christo Domino præstitisti! felices labores, quos to-

leraſti;

lerasti; quæ felicia adeo præmia & coronas sunt sortiti, & quandoquidem tanta est felicitas tua, ora Dominum, vt mihi concedat, vitam tuam imitari, vt gloriæ etiam tuæ partem obtineam. Amen.

V. VLTIMÒ considerandum, Herodem, Herodiam, & filiam eius hodie quidem de viro sanctissimo & eius capite triumphasse: Sed non ita multò post, Dei iustitiâ superueniente, omnes tres miserè vitam finiuisse, & locum in eis sententiam illam Iob habuisse: c *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Propterea enim Dauid ait: d *Mors peccatorum pessima*, non in conspectu Dei tantùm; sed in oculis etiam hominum, superueniente illis infelici mortis genere, ob admissa in vita peccata. Quare comparatione vitæ mortisque S. Ioannis in Dei conspectu precioſæ, ad infelicem inimicorum eius vitam & mortem, præferam Ioannis morte mori, quam Herodis imperio regnare: siquidem nunc Herodes horrendis sine spe remedij tormentis cruciatur; Ioannes verò inenarrabilibus & nunquam finiendis gaudiis regnat.

c *Iob. 21. 12.*

d *Psal. 33. 22*

MEDITATIO XVII.

DE MIRACVLO A CHRISTO Domino, dùm quinque hominum millia quinque panibus pauit, patrato.

POST S. Ioannis decollationem a IESVS *secessit in locum desertum seorsum: & cum audissent Turbæ, secutæ sunt eum pedestres,* b *& misertus est super eos, quia erant sicut oues non habentes pastorem, & cœpit illos docere multa:* a *Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes, dimitte turbas, vt euntes in castella, emant sibi escas.* IESVS *autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare.*

a *Matt. 14. 15.*
b *Marc 6.35*
a *Luc. 9.12.*

I. CONSIDERANDA hîc primùm est ingens Turbæ illius, quæ Christum sequebatur pietas ac deuotio, ob duas præcipuè causas. Prima c *quia videbant signa quæ faciebat, super his qui infirmabantur*: Secunda, propterea quòd admirandâ doctrinâ eorum animas pascebat: iuxta illud Oseæ: d *In funiculis Adam trahã eos, in vinculis charitatis*, beneficiis videlicet corporalibus & spiritualibus. quibus funiculis ita eos Christus constringebat; vt etiã si tarde iam esset, & ipsi nõ comedissent, nec haberent

c *Ioan. 6.2.*
d *Oseæ 11.4.*

quod

quod comederent, nollent tamen ab eo separari: cibiq; prorsus obliti, iucundâ illius præsentiâ cõtinebantur. O IESV suauissime, trahe me ad te funiculis huiusmodi, meque ita arctè tibi cõstringe, vt omnium creaturarum oblitus te solum creatorem meum quæram.

DEINDE perpendenda est misericordia Apostolorum & Christi erga Turbam: vtramq; inter se conferendo. Nam Apostolorũ fuit exigua, vtpotè hominũ debiliũ: dum enim Turbæ defatigationẽ famemq; cernerent; se verò ad eam subleuãdam impotentes, miseratione tacti, magistro suggesserunt, vt eam dimitteret; quò sibi ipsa in locis proximis prouideret: cùm enim ipsi ad nutũ magistri sui essent promptissimi, noluerunt propria, sed eius auctoritate illam dimittere: sed ipse Christus exiguam illorũ misericordiã cernens, & maiorem aliam, quæ Dei erat, concipiens, voluit reipsa Turbæ necessitati succurrere: & ideo hortabatur discipulos, vt ipsi ei prouiderent; *Date illis vos manducare*: atque si exiguam illis misericordiam exprobrans, dilatare viscera pietatis iuberet; & ne tantam Turbam adeoque indigentem aliò mitterent, vt remedium quçrerent; sed vos, inquit, quçrite & subuenite: siquidem potestatem vobis iam dedi, etiam miracula patrãdi; aut saltem à me, vt id faciã, efflagitate; quem scitis ea facere posse. Ex quo discimus Misericordiam, Prçlatorũ prçcipuè, non angustã, sed amplam & vt loquitur Dauid e *Misericordiam Dei* esse debere, adhibitis om- e 2. *Reg.* 6. 3.7.

II.

nibus, quos possumus, modis, ad succurrendum indigentiæ proximorũ: quòd si facultas nobis desit, ad eum meritò recurrendũ est, qui eam habet; & solicitandus, vt prouideat.

III. VT altiùs adhuc misericordiam hanc Christi agnoscamus, reuocandũ in memoriam est, quod in simili occasione idem dixit. f *Misereor super Turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via; quidam enim ex eis de longe venerunt*: In quibus verbis insinuat nobis, quàm sit ipsius proprium miserias nostras intimè & in particulari cognoscere; & titulos siue causas, quæ illum ad occurrendum permouent, inuenire, periculum denique præuidere, cui, nisi occurrat ipse, expositi sumus: quos omnes causas, sibi ipsi assumit, quasi propter eas incumbat sibi nobis prouidere, atque si multum sua interesset, id facere. O benignissime Deus, quid multum faciam, si triduo te sustineam, qui omnes dies tuos in benè faciendo nobis expendis. Plus tu præstas cùm vis mecum manere; quàm ego quòd velim tecum perseuerare. & quid mirum, si de longe ego ad te quærendum veniam; qui de cœlis ipsis, vt me quæreres, descendisti? Procul à te, Deus, discessi malâ meâ vitâ; sed accessi tamen ad te per pœnitentiam. Ne, queso, me ieiunum dimittas à tuo conspectu, ne in aspera & periculosa huius vitæ via deficiam. Sustenta me continuis gratiæ tuæ subsidiis, vt robustus ad

f *Marc. 8. 2.* f *Matth. 15. 32.*

fell-

felicem meæ peregrinationis finem perueniam. Amen.

PERPENDAM quartò, Christum Dominum, tum, vt solicitudinem suam, de subueniendo illi turbæ, manifestaret, Philippum interrogasse: g *Vnde ememus panes vt manducent hi:* quod etiam dixit, vt ait Euangelista, *tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus:* tum vt appareret causa & necessitas, quæ miraculum postulabat: nolens prodigio & supernaturali medio vti, ad nos sustentandos, vbi naturalia media suppetunt, & sufficiunt. *Respondit autem Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat:* Idemque cæteri discipuli fatebantur, agnoscentes exiguas suas vires. Sed ex eadem discipulorum sententiâ ego, Magister dulcissime, immensam tuã potentiam intelligo: nam vbi tu es, nõ est opus pecuniâ: cùm solo verbo possis non solum panis bolum vnicuique largiri, sed abundantissimos panes omnibus hominibus submini-strare. Ex nunc statuo, spem meam non ponere in pecunia, etiam si h *ei obediant omnia;* sed in te liberalissimo rerum omnium largitore; qui *aperiens manum tuam imples omne animal benedictione.*

IV.

g *Ioan. 6. 5. 6.*

h *Eccl. 10. 19.*

i *Psal. 144. 16.*

PVNCTVM II.

PETENTI Christo à discipulis panes, quos habebãt, obtulerunt ei 5. *panes hordeaceos,*

& duos pisces, quos pro sua sustentatione secum acceperant.

I. TRIA in hoc sunt consideranda, mysterio plena. Primùm, Christi Domini nostri eiusq; discipulorum magna paupertas, quamq; paruam curam gererent de corporis sui commoditatibus & indulgentia, qui in loco illo deserto, pro tredecim personis, & aliis, qui vt plurimũ accedebant, nõ habebant, nisi quinque panes, eosque hordeaceos & valde insipidos, ac pauperum omninò hominũ proprios: &, cùm piscatores illi essent, nõ nisi duos pisces pro omnibus habebant. Quo exemplo erubescens meipsum, vt qui sollicitè quæram & superflua, & ea quæ delectant in cibis: meipsum conabor excitare ad ea tantùm acceptanda, quę & pauca & communia sint etiamsi alioqui insipida. O dulcis IESV, qui ingratum populum cœlesti pane in deserto satiasti, te verò tibiq; charissimos discipulos hordeaceo pane sustentas, impertire mihi gratiam, qua illud mihi eligam, quod tu tibi elegisti; & corpus meum ea tractem asperitate, quã tuum te tractasse video. Amen.

II. DEINDE Charitas & obedientia Apostolorum est perpendenda, qui absque replica vlla aut mora, statim Christo petenti panes obtulerunt, nec se illis, pro seipsis, indigere dixerunt: potiùs gratũ sibi esse insinuarunt, vel ex ipso ore sibi auferre, quò eorum, qui aderant & indigebant, necessitati subueniretur. Ex quo discã obedientiam cum charitate in pau-

perum

perum bonum coniungere, meas commoditates ex cõmiseratione, in eorũ vtilitatẽ libenter contemnendo: certus, me illas nõ amissurum, sed in meliores commutaturum, vt hic Apostolis eueniſſe cerno.

III. Ex quo etiam intelligam, etsi Christo Domino alia quoque media miraculosa præsenti necessitati occurrendi non defutura fuissent, voluisse tamen hoc medio panum, quos Apostoli pro se habebant, vti, & illos ab eis petere, vt eorum charitatem & commiserationem probaret, num solida esset; & eadem operâ, tanti miraculi participes illos faceret: simulque doceret me, si non possum totam omninò pauperis miseriam expedire, tamen saltem partem aliquam subleuare: vt Deus liberalitate sua suppleat, quod mihi defuerit, vt hac ratione consilium illud Tobiæ impleam: a *Quomodo potueris, ita esto misericors. si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libẽter impertiri stude*. Idem porrò euenit in spiritualibus necessitatibus tum proprijs tum proximorum. Vult enim Christus Dominus, vt ex parte mea offeram ego, quod possum; etiamsi parũ illud sit: ipse verò omnipotentiâ & misericordiâ suâ supplebit defectus meos. a *Tob. 4. 8.*

PVNCTVM III.

PERPENDENDVM etiã & illud est, quod huius conuiuij initio Christus præmiserit. *Primùm* enim a *præcepit* Apostolis, vt I. *accumbere facerent omnes secundum contu* a *Mar 6,39*

bernia super viride fœnum: & discubuerunt in partes per centenos & quinquagenos: tum vt hac ratione conuiuarũ numerus constaret: qui fuit b *quinq; millia virorum exceptis mulieribus & paruulis*, qui totidẽ ferè fuerunt; tũ vt ordo seruaretur & decorum inter comedendum & in panum distributione; & omnes possent miraculi magnitudinem aduertere.

b *Mat.14. 21.*

II. ACCEPTO itaq; in manibus suis pane Christus c *aspexit in cœlum*, vt doceret d *omne datũ optimum, & donum perfectũ desursum esse, & descendere à Patre luminũ*, etiam ipsam, quam ipse vt homo habebat, miracula faciendi potestatem.

c *Mat.14. 19.*
d *Iacob.*

III. TERTIÒ e *gratias de more egit*, tum ob cibum, quẽ coram se habebat; tũ ꝓpter eũ quem miraculosè turbæ largiri statuerat: Docens nos, Deo gratos esse pro quouis dono, etiã paruo; & ꝙ panẽ nobis det, etiãsi hordeaceũ: siquidẽ vel eo nomine, ꝙ ipse illũ det, meritò debet magni fieri: & eò magis, quod ei det, cui nec ipse aliquid debet, nec talẽ sit ille promeritus.

e *Ioh.6.11.*

IV. POSTEA *panẽ* ipsum vocali aliqua oratione ***benedixit***, qua virtutem illi impressit, vt tum multiplicaretur, tũ perficeretur. Christi.n. benedictio non est nobis similis, vt petat solùm aut optet: sed efficax est ad perficiendũ, quod dicit. Dicta benedictione f *panem frangens dedit discipulis, discipuli autem turbis.*

f *Mat. 14. 19*

Mod⁹ christianè comedendi.

Hoc toto suo facto docet Christus rationẽ christianè ac religiosè comedendi, quatuor prædictis circũstantiis adhibitis, *prima* vt or-

do ad-

do adsit dispositioq; quoad conuenientem cuique sedendi locũ, electo, quod in nobis est, infimo potius & g *nouissimo loco*. *Secunda* vt mẽtis oculi in cęlũ leuentur, attendentes, quod nos Deus aspiciat, vt eo quasi signo gula contineatur & lingua, seruatis tẽperantiâ & modestiâ debitis: id. n. voluit Dauid cũ dixit: h *Iusti epulentur & exultent in cõspectu Dei*. sicut etiã *Moyses & oẽs seniores Israel, post holocausta & hostias Deo oblatas, à Petro, venerũt & comederent panẽ cum eo corã Deo*. *Tertia*, vt animi gratitudo adsit, gratiæq; agantur Deo pro gratiosa eleemosyna quæ à liberali eius manu euenit: à qua diuites & pauperes panẽ, quo vescuntur, accipiunt. & hoc affectu comprimentur querelæ, quas caro sensualis eructat, cũ vel modicus vel minus ad palatũ conditus proponitur cibus, aut tardè ad vescendũ adfertur: qui enim nihil boni promeritus est, quiduis & quocunq; modo sibi offeratur, accipit cũ gratiarũ actione. *Quarta* est, vt benedictio præcedat, & oratio deuota: quæ etiam ipsius cibi sumptioni est coniũgenda: quò dũ corpus reficitur, animæ quoq; aliqua refectio præbeatur. Ex quo fiet, vt licet modicus sit ac insipidus cibus, sufficiens tñ sapidusq; videatur: solet. n. spiritus sapor insipiditatẽ, q̃ caro horret dulcẽ reddere. Hac ratione Apost. ait: i *omnem creaturam Dei bonã esse, & nihil reiiciendũ, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificari enim verbum Dei & orationem*.

g *Luc.14.10.*

h *Psal.67.4*

i *1. Ti. 4. 4.*

IN eodem facto proponitur nobis ratio,

sanctis-

sanctissimam Eucharistiam sumendi, quæ hoc ipso conuiuio præsignatur: *de qua tamen Meditatione 14. partis 4. dicetur: quia eadem seruauit Christus Dominus in eius institutione in nocte nouissimæ cœnæ.*

PVNCTVM IV.

CONSIDERANDA præterea est excellentis huius miraculi præstantia: miraculo enim panis multiplicabatur in manibus Christi, & Apostolorum, & ipsorum qui eo vescebantur. Nam etsi parum acciperent, & ex eo comederent, non tamen consumebatur, sed multiplicabatur, donec omnes saturarentur: quia panis erat sapidissimus, sicut panis Dei, & ab eius manu donatum.

1. PRIMVM itaque omnipotentiam Christi perpendam, qui panes quoque in tot millia & insipidos aliàs in sapidissimos, adeò facilè conuertere potuit: & similiter pisces: hauriamque ex hac consideratione magnum animum ad seruiendum adeò potenti Domino. O Rex cœli, quis non sibi honori ducet, quòd tibi seruire possit! qui possis etiam in deserto a *parare mensam populo tuo?* Verè vbi tua est omnipotentia, non est quod locus desertus timeatur: Illâ enim b *educis riuos de petra durissima*, efficisque vt populus tuus c *sugere possit mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* d *Pluis illis manna ad manducandum, panem cœli das eis. Panem Angelorum manducat homo, & cibaria mittis ei in abundantia: Transfers Au-*

a *Psal. 77. 20.*

b *Deut. 8. 15*

c *& c. 32. 13*

d *Psal 77. 24. &c.*

strum de cœlo, & inducens in virtute tua Africum; pluis carnes, & sicut arenum maris volatilia, & coturnices, quibus saturentur: & in manibus esurientis, panes piscesque multiplicas, e *vt scirent filij tui, quos dilexisti Domine, quoniam non natiuitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderunt, conseruat.*

e Sap. 16. 26

HINC ad paternam, magni huius Dei prouidentiam contemplandã conscendam, quã in eos, qui illi inseruiunt, nutriendos liberalissimè & prodigiosis his medijs quando humana desunt ostendit: modò fiducia nostra, quam de se nos habere vult, non desit, illi innixa promissioni, quam nobis fecit, cùm dixit: f *Nolite soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur; hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis: quærite ergò primum Regnum Dei & iustitiam eius; & hæc omnia adijcientur vobis,* sicut huius Turbæ docet exemplum, quæ ipsum Christum studio eius doctrinam audiendi, quærens (ita enim S. Lucas, quod g *loquebatur illis de regno Dei*) cibum ab ipso etiam corporis liberalem accepit sibi & vxoribus ac filiis suis, vt hic locum habeat, quod Regius Propheta dixit: h *Non vidi iustum derelictum, nec semẽ eius quærens panem.* O Pater amantissime, gratias tibi ago pro paterna hac tua in eos, qui tibi seruiunt, & in te spem suam collocant, prouidentiâ: concede mihi hanc gratiam, vt mihi

II.

f *Mat. 6. 31.*

g *Luc. 9. 10.*

h *Ps. 36. 25.*

ſicut vero filio curæ ſit obſequi tibi, ſicut experior, tibi optimo Patri, curæ eſſe, omnia mihi largiri, quæ ſunt mihi neceſſaria.

III. MODVS etiã eiuſdem prouidentiæ conſiderandus eſt, qui in hoc apparet miraculo: Nam etſi, qui comedebant, plurimi eſſent, variarũ ætatum & complexionum iuuenes, ſenes, robuſti, debiles, fœminæ, pueri; eiuſdemq; panis ea tantùm, quã Apoſtoli volebant, menſura daretur, ita illa ſufficiebat omnibus, vt omnes ſatiãs contentos redderet: vt idem hic locum habere videatur quod eſt ſcriptum de Manna: i *Nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus parauerat, reperit minus: ſed ſinguli iuxta id quod edere poterant congregauerunt:* & quod adiecit Apoſt. l *Qui multũ habuit, non abundauit: & qui modicum, non minorauit*: quamuis hoc fuit hic ſingulare quòd poſtquam ſaturati ſunt oẽs, multum ſuperfuerit: quò Dantis magnificentia magis eluceret: in quo etiã prouidentiæ diuinæ ſuauitas cernitur, quæ dans vnicuiq; iuſtorum quod vult: his plus, illis minus; omnibus ſatisfacit, oẽs ſatiat, ita contentum vnum iuſtum modico reddens, ſicut alterum multo.

i *Exo. 16. 18*

l *2. Cor. 8. 15*

IV. VERVM multò amplius hic emicat Sacratiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti magnitudo; quod cùm ſit vnus idemque cœleſtis panis, etiam ſi manibus ſacerdotis in hominum millia diſtribuatur, nunquam tamen minuitur: & quamuis vnica hoſtia in plurimas partes diuidatur, tantundem quælibet continet par-

particula, quantum tota simul hostia continebat, quia & in tota & in quauis eius parte totus est Christus: quare tantum sumit, qui minimam, sicut qui maximam partem accipit: itaque mentem illa atque hæc saturare potest. Omnes denique satiat, omnibus abundè satisfacit, oblata cuique portione gratiæ, quam necessitas eius dispositioque requirit. O DEVS omnipotens, quàm sunt miranda opera tua! quàm tua prouidentia diues! quàm larga! quàm suauis! quàm iucunda! Laudent Angeli te omnes propter illam; eademq; cum gratiarum actione, homines omnes fruantur; & anima mea oēsque facultates eius tui amore liquescant; omnesque in obsequij tui rebus occupentur, qui in mihi indulgendo, tam amanter occuparis.

PVNCTVM V.

DENIQVE considerandum, quid post hoc miraculum euenerit. Nam primū iussit Christus Apostolis: a *Colligite quæ superauerunt fragmenta ne pereant: collegerunt ergò & impleuerunt* 12. *cophinos fragmētorū quæ superfuerunt his, qui manducauerant:* ostendens eo facto liberalitatem suam in rependenda promptitudine Apostolorum, qua 5. hordeaceos panes obtulerant; pro quibus duodecim optimi panis cophinos plenos reddidit; vt quoniam ipsi duodecim erant, singuli singulos cophinos, pro frustulo crassioris illius panis, quem fuissent aliàs habi- I.

a *Ioan. 6. 12*

habituri reciperent: sicuti Viduæ illi, quæ
b 3. Reg. 17. 14. *pugillum farinæ*, quem habebat, liberaliter obtulit Heliæ, ita farinam multiplicauit, vt *hydria farinæ non defecerit, nec lecythus olei fuerit per multos dies imminuta.*

II. Ex eodem autẽ cognoscere licet, quam copiosis Deus præmijs afficiat eos, qui eleemosynas libenter elargiũtur, & aliquid ipsius obsequij intuitu præstant, dum multiplicatum adeò eis reddit quod dederunt. Deo enim aliquid offerre, non est illud proijcere; sed, Sa-
c Pro. 19. 17. piente teste, c *feneratur Domino, qui miseretur pauperis: & vicissitudinem suam reddet ei:* vtpote qui centum pro vno reddere consueuerit.

III. LICET etiam conijcere, quid sit Deus in futura vita redditurus, qui tãta reddit in præ-
d Luc. 6. 38. senti! d *Mensuram*, inquit, *bonam, & confertam, & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*, pro ijs, quæ diuini amoris intuitu præstantur. O Deus immense, quid tibi reddemus pro his, quæ nobis confers. Optò mensuram omni ex parte bonam offerre, sanctis operibus plenam, strictis pœnitentiis cõfertam, feruentibus affectibus supereffluentem, quæ vltra ea, quæ iubes, etiam quæ tantùm consulis supereffluenter complectatur. & quoniam gratiâ tuâ hæc mihi desideria contulisti; ad ea explenda vires etiam adiunge.

IV. DEMVM lætitiam Turbæ admirationemque perpendam, quam ex insigni illo miraculo

culo hausit: quæ tanta reipsa fuit, vt statuerent in cordibus suis e *eum rapere & facere Regem*: felices se existimantes, adeò potenti liberalique Regi inseruire. Sed cognitis IESVS eorum cogitationibus, *fugit in montem ipse solus*, quò hominum illorum conatus auerteret, dignitatesque & honores temporarias declinaret: exemplo hoc me docens, temporalia hominum præmia aut dignitates bonis meis actionibus non quærere; sed quod in me sit, eas & earum occasiones studiosè effugere. O Rex æterne, qui regnum tẽporale adeò es auersatus, quia f *Regnum tuum de hoc mundo non erat*: concede & mihi, vt æternis excellentijs contentus, temporales omninò calcem.

e Ioan. 6. 15.

f Ioan.

MEDITATIO XVIII.

DE SEDATA A CHRISTO Domino maris tempestate.

POST miraculum de quinque panibus, alterum successit famosum, quo ingens maris tempestas fuit sedata, sed quia simile aliud præcessit, de eo præsens instituitur meditatio, eò quòd multum sit ad sequentem cõductura.

PVNCTVM I.

POST concionem prolixam plurimæ multitudini à Christo habitam: a *cùm sero esset*

a Mar. 4. 35.

factum, b *ascendente eo in nauiculam, secuti sũt eum discipuli eius, & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus; & erat ipse in puppi super ceruical dormiens.*

b *Mat.8.23*

I. CIRCA hunc Christi Domini somnũ, considerabo primùm tres, quę in eo erant circunstantias. *Prima* quod fuerit post longum laborem, vt se ostenderet hominem tali subsidio indigentem. *Secunda*, quod fuerit modicus: non enim c *ad interiora nauis*, vt Ionas, *descendit*; sed in puppi dormiebat, quo in oculis omnium esset, ac excitari facilè posset. *Tertia*, quod etsi corpore d *dormiret, cor eius* tamen *vigilaret*, non minus omnia quæ ageretur, circumspiciens; quã si omninò vigilaret. Has tres circũstantias decet me somno meo adhibere, ne sit ex indulgentia aut otiositate; sed à necessitate coactus, cum moderatione & modestia; &, si possibile fuerit, etiam piis adiunctis somnijs, vt illud Psalmi liceat vsurpare. e *Nox illuminatio mea in delitijs meis*: & licet ego dormiam, cor tamen meum vigilet.

c *Ion.1.5.*

d *Cant 5.2.*

e *Ps.138.11.*

II. PERPENDAM deinde somni huius mysteriũ: quo, inquam, pacto Christus Dominus in Ecclesiæ suæ imò & cuiusuis animæ naui fingat interdum se dormire, atq; si nostri curam non gereret, dum feras adeò tempestates exurgere sinit, persecutionum & tẽtationum, vt mergi propè videatur: non enim exteriùs modo fluctus eam impellunt, sed, vt S. Marcus addit, etiam f *fluctus mittebat in* ipsam *nauim, ita vt impleretur nauis*, ipsas enim internas animæ

f *Mar.4.37*

facul-

facultates implent interdum tristitiæ, timores, scrupuli & variæ aliæ turbatiões. ob quas tamen existimandum non est, Christum Dominum naui esse absentem, aut quæ in ea geruntur, & electorũ suorum pericúla non respicere: propterea enim per os Dauid dixit: g *cum ipso sum in tribulatione, eripiam eũ & glorificabo eum*: & iterum: h *Ecce non dormitabit: neq; dormiet qui custodit Israel*. O Saluator dulcissime, qui nauis instar in procelloso huius mundi mari horrendis fluctibus adeò fuisti iactatus, vt amarissimæ tristitiarũ ac timorum i *aquæ intrarent vsq; ad animam tuam*, exemplo illo tuo me corrobora, ne tribulatio interna aut externa, quæ me iactauerit, etiam submergat.

g *Psal. 90. 15*

h *Ps. 120. 4.*

i *Psal. 68. 2.*

III.

PERPENDAM deniq; huiusmodi tẽpestates à Christo, vt hic insinuatur permitti, ad nostrę fidei probationẽ, ad fiduciã excitandã, humilitatis profectũ, & purgationẽ vitiorum, & vt ad orationis variarumq; virtutũ exercitiũ prouocemur: propterea. n. vulgò dicitur, *q intrat in mare, discit orare*: nam intrantibus in animam tribulationibus, exire solent fluctus vitiorum: & intrante humiliatione, egreditur ventus superbiæ; & angustiâ intrante, tepiditas expellitur. O Gubernator peritissime, guberna pro libitu tuo nauẽ animæ meæ, modò ne ab ea discedas: etsi. n. plurimũ iactetur, te præsente, non submergetur, sed perficietur; ipsis tribulationũ fluctibus eam, ad omniũ virtutum præclaram exercitationẽ, subleuantib.

PVNCTVM II.

ET *accedentes ad Iesum* discipuli *suscitauerunt eum dicentes: Domine salua nos, perimus. & dicit eis: quid timidi estis modicæ fidei?*

I. Dvo hic perpendenda: alterũ ex parte discipulorũ, qui in his angustijs media oratione ad eũ recurrerunt, qui vnicum est laborũ omnium leuamen, DEVS videl. ipse: aliqui enim breuibus quidem sed efficacibus vsi verbis, periculũ, & necessitatem suam aptissimè explicantibus, dixerunt: a *Domine salua nos perimus:* alij suauis cuiusdam quærelæ, insinuatione dixerunt: b *Magister, non ad te pertinet, quia perimus?* atq; si dixissent: Magister, ad te omninò pertinet nostri curã habere; quia noster es Magister, & fiduciã omnem nostram in te vno collocatã habemus: cur ergò in tanto nos periculo deseris? Ad horum ergò discipulorum imitationem, in meis calamitatibus ad Christũ Dominum recurrere statuã, vtraque hac vtẽs oratione; Domine, salua me: ecce pereo: &: Magister, ad te pertinet animã meã liberare, vtpote quæ tua sit magis, quã mea. Ego discipulus tu' sum, & sub tua viuo protectione. c *Tuus sum ego, saluũ me fac:* d *Exurge, quare obdormis Domine: exurge & ne me repellas in finẽ: quare faciẽ tuam auertis, obliuisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ.*

a *Mat. 8. 25*
b *Mar. 4. 38*
c *Ps. 118. 94*
d *Ps. 43. 23.*

II. ALTERVM perpendendũ est ex parte Christi Domini nostri, qui statim excitatus est, vt qui ad auxiliũ discipulis ferendũ esset propẽ-

sissimus, quos tñ de modica fide, & in eius omnipotentia exigua fiducia reprehendit. *Quid, inquit, timidi estis modicæ fidei?* atq; si distinctiº eis diceret. Licet quidē ad exiguas vestras vires, & pręsens periculū aspicientes, timendi occasionē habeatis: at, si fidei oculos in me cōijcientes, credatis quis ego sim, & attēdatis in meo vos comitatu, ac tutela esse, omnē vos timorē deponere par est. O dulcissime Saluator ingenue fateor, nihil esse debere, si te aspiciā, in quo meritò dubitare debeā de tua potētia, aut sapientia, aut propensione ad mihi auxiliū ferendū: quia tu es infinitè potens, sapiēs, bonus: ideoq; totum me & ex toto corde in tuas conijcio manus; & quò tribulatio maior fuerit, erit etiā fiducia maior, vt tuam in me liberando omnipotentiam ostendas.

PVNCTVM III.

TVNC *surgens Iesus, imperauit ventis & mari, &* b *cominatus est vento, & dixit mari, Tace, obmutesce: & cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna.* a *Mat. 8. 26* b *Mar. 4. 39*

PERPENDENDA hoc loco est Christi Domini omnipotentia, & imperiū in creaturas; earumq; exactam & ad nutū obedientiam, ad omnia, quæ ille imperat: exultabo itaq; de his, propter gloriā, quę Redemptori meo inde accedit; simul verò confundar ob exiguā meam obedientiā, magnamq; in eius mandata rebellionē. Sed latet in illis verbis: *Tace, obmutesce*, mysterium. Quia .n. Dei opera sunt perfecta, cùm suā vult omnipotentiam manifestare, nō

solùm *tacere* imperat; sed etiam *obmutescere*, quod amplius est: vt turbationẽ ipsam à radice sedans, perfectã efficiat pacẽ. Quamobrem, si varijs cogitationibus & passionibus turbari me sensero, orabo ipsum Dominũ, vt non tacere solum ad tẽpus, sed eas etiam mutescere imperet: ne vnquam amplius me in ea re perturbent, in qua turbarunt hactenus. Quodsi me interdũ turbari expediat, id ita moderetur, vt magna eorũ, quæ in me experior, admiratione, id dicã, quod *homines* in naui illa *mirati dixerunt. Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* O Saluator omnipotens, cor meũ est c *quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius* mille diuagationibus & contrariarũ passionũ ventis cõmouetur: impera illi vt quiescat, dicens, *tace & obmutesce*: quia ipsum dicere tuũ est omnipotens, & ideò ei è vestigio parebitur.

c Isa. 57. 20.

MEDITATIO XIX.

CHRISTVS DOMINVS SV. per mare ambulans, Phantasma à discipulis existimatur.

IN hac Medit. per modum doctrinæ inseram aliqua documenta ad discernendũ Christi verum spiritũ à phantastico siue imaginario; veruque & solidum spiritus feruorem, & affectus, quos Deus, dum pias animas visitat in oratione iucundâ suâ præsentiâ in eis efficit,

PVN-

PVNCTVM I.

COMPVLIT a *Iesus discipulos ascendere in nauiculã, & præcedere eũ trans fretũ, donec dimitteret turbas, & dimissa turba, ascendit in montẽ solus orare: vespere aũt facto, nauicula in medio mari iactabatur fluctibus, erat enim eis contrarius ventus.* a *Mat. 14. 22.*

PERPENDAM hic primũ, quantoperè Christus orationem amaret, cui vt vacaret & separatũ locum, & quietũ noctis tempus eligebat; dimissis à se discipulis, ad quartam vsque vigiliam noctis magno eam feruore producebat: (quod in tertiæ huius partis Introduct. §. 8. notauimus) ex quo discam quàm solicitè me pro salute mea oporteat orare; cùm videam Christum studiosè adeò pro aliorum salute in oratione pernoctare. I.

DEINDE perpendam, graue fuisse Apostolis â Magistro suo charissimo discedere; siquidem S. Mar. ait: b *coegit eos:* voluissent enim potius ipsi in montẽ cum ipso ascendere, & orare, vt in eius semper essent societate, vt qui conijcerent, sibi periculosum fore, mare sine Magistro suo ingredi. sed vicit tamen obediendi studium: in omnibus enim par est, Deo vt pareatur, etiam cùm periculum aliquod graue videtur imminere; etiam cùm secreta oratio esset intermittenda, id enim est Deum pro Deo relinquere. II. b *Mar. 6. 45.*

DENIQVE mysterium huius tempestatis, qua nauis Apostolorum iactabatur est ex- III.

pendendum. Aliàs quidem ipso Christo in naui manente sed dormiente tamen exorta tempestas fuit: nunc, absente eo, tempestas exoritur, tum quo discipulorum fides magis magisque probetur, videntiũ magistrum absentem esse, tum vt intelligatur, solere eundẽ Christum suis, quoad sensibile gratiæ subsidium, abesse, & grauibus interdũ tempestatibus agitari permittere, quò eorũ fidelitas magis probetur: Et quò illi maiores in virtute progressus faciunt, eò solent huiusmodi probationes, eâ absentiæ ratione, magis crescere, ob innumera bona, quæ inde solent prouenire.

PVNCTVM II.

TAMETSI Christus esset in monte, & nocte: a *vidit eos laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius eis:* & miseratione motus: *circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans super mare: & volebat præterire eos. At illi, vt viderunt eum ambulantem super mare, putauerunt phantasma esse; & conturbati præ timore clamauerunt dicentes, quia phantasma est.*

a Mar. 6. 48

I. PERPENDENDVM hic primũ, discipulos, etsi tempestate agitatos, non tamen animũ abiecisse, aut otiosos fuisse; sed cõtra ventum & grauẽ tempestatẽ remigando strenuè laborasse: quo nauiculã suã & seipsos saluos ad portũ deducerent: vt ex eo discã animũ non abijcere instante tribulatione, aut cõplicatis manibus otio me tradere, & in solũ Deum totum eius remediũ cõijcere; sed manũ admouere, &

quid

quidquid in me erit, etiamsi sudandum sit, apponere, illius instar, qui solus remigat; orationem & alia pœnitentiæ opera sedulò & optimo, quo licebit, modo exercendo: quò Deus auxilium ferre non differat.

CHARITATEM deinde Christi expendam, qui etsi absens esse videatur, non tamen suorum obliuiscitur; sed eorum laborem, diligẽtiamque respiciens, hinc sibi complacet ex eorum conatu; inde commiseratione mouetur ob ea, quę patiuntur. O anima mea, quamuis in huius mundi mari, & in seculi huius tenebrosa nocte constitutam, & tentationibus agitatam te conspicias, magnam habe fiduciã, quia Saluator tuus in cœlorũ montibus orans b *ad dexterã Dei est*, *&* c *aduocatum habemus apud Patrem qui interpellat pro nobis*, & labores tuos ex throno illo suo aspiciens commiseratione tactus, misericordiâ suâ infinita aderit, teque sicut Stephanum iuuabit; quò possis ad coronam peruenire. II.

b *Rom. 8. 34*
c *1. Ioã. 2. 1.*

TERTIÒ causas expendam, cur voluerit Christus ad suos discipulos veniens, super aquas ambulare. *Prima* enim causa fuit, quò suam omnipotentiam manifestaret, & potestatem, quam in maris aquas, & mundi huius tribulationes & tempestates haberet, quas dum pedibus suis nullo timore calcaret; eisdem se superiorem ostenderet: ac porrò & si passionis suæ tempore d *aquæ tempestas eum demergeret, aut absorberet profundum, vt infigi videretur in luto:* non id ex debilitate sua, sed III.

d *Psal. 68. 16. 30. 32.*

ex charitate, desiderioque pro bono nostro patiendi, prouenirer: nam Deus videlicet eum exaudiens, & ab ea tempestate liberans eum susceptit, & victor ac superior euadens, *placuit Deo super vitulum nouellum cornua producentem & vngulas.*

ALTERA causa fuit, vt Orationis efficacitatem ostenderet, quam solus in monte habuerat: ex qua solent iusti adeo robusti prodire, vt nec tẽpestates ingruentes pertimescant, nec ab eis submergantur: potiùs intrepido corde eas aggrediuntur, & superiores euadunt. & licet ij, qui sunt in naui vehementer timeant; ipsi tamen nec in mediis fluctibus timent, oratione & fiducia in Deum maiorem illis securitatẽ adferente, quàm humana omnia remedia iis adferre possent, qui spem suã in eis ponunt. Nam in mediis in numeris tempestatibus, tanquam e *in ventre piscis sicut Ionas* constituti, oratione sua impetrant, ne tribulationis cetus ipsis noceat, sed ad tutissimum potiùs portum deducat. O IESV dulcissime, concede mihi ad altum orationis montem ascendere tecum, supra meipsum eleuando, quò eius virtute, adiuuante gratiâ tuâ, super tribulationum & tentationum aquas exurgam, nec ab eis mergar.

c Iona 2.1.

IV. PERPENDENDVS demum discipulorum inanis timor, ex conspecto Christo Dño super aquas ambulante, quòd phantasma esse crederent: nam qui ob tempestatis furorem quassabantur, nõ dicuntur clamasse; iidẽ ob metũ

inanis aspectus f *exclamauerunt omnes & conturbati sunt:* vt ex hoc discamus quanta nostra sit imbecilitas & miseria, qui sæpè Dei virtute muniti, magna etiã pericula obimus, & difficultatibus nos opponimus; & mox ingenti ignauia & pusillanimitate terremur à minimis & phantasticis: vt intelligamus reuera non nostram esse illam virtutem & fortitudinem, quam in rebus adeo exiguis nobis deesse experimur.

f *Marc. 6. 49.*

PVNCTVM III.

CIRCA verbum illud Apostolorũ: *quia Phantasma est* considerandæ sunt tria hominũ genera, qui cum Christo Domino agentes, alios atque alios de ipso, eiusque rebus cõceptus habent. Alij. n. quod reipsa phantasma est, & vmbra phantastica, Christum verum esse existimant; somnia enim sua & imaginarias apprehensiones pro certis verisque habent reuelationibus; affectus & animi sui perturbationes veras iudicant esse virtutes; nam impotentem iram suam zelum existimant; turpem amorem dicunt esse spiritualem. Hi vt plurimùm sunt superbi, præsumentes, & proprio iudicio nimium tribuentes. Quamobrem sæpè a *Satanas se transfigurans in Angelum lucis,* eis persuadet, propriam ipsorum sententiam, verissimam esse lucem; cum verè sint tenebræ: & aliàs proprium ipsorum iudicium, Satanæ fungens officio, facit eos credere omnes internos suos motus & instinctus esse ab Spiritu S. cùm reipsa à proprio

a *2. Cor. 11. 14.*

suo,

suo, carnali, seculari, superbo, cœcoque dictentur. Aliàs propria imaginatio, cum capitis præsertim imbecillitate, eos decipit, dum adeo viuam Christi imaginem sibi illa effingit, vt Christum ipsum verum existiment, & fictitio hoc fauore inaniter euanescunt, sibi persuadentes ea verba, quæ paulò antè ipsi fortè cogitauerant, aut quæ libenter audirent ab ipso Christo esse prolata. Ac denique etiam ipsi valde spirituales, qui veras Dei inspirationes habere consueuerunt, iudicant interdum tales esse, proprias ipsorum ratiocinationes, sicut Nathan Prophetæ accidit, cùm dixit Dauidi, cogitanti domum Domino ædificare: b *Omne*, inquit, *quod est in corde tuo, vade & fac: quia Dominus tecum est.* Adnotauit autem c S. Gregor. non ex reuelatione id dixisse Nathan, sed ex proprio iudicio, siquidem eadem nocte dixit Dominus eidem Nathan, vt diceret Dauidi, non ipsum, sed filium eius *domum nomine Domini ædificaturum.* Eodem etiam modo decepti, de aliorum spiritualibus motionibus iudicium faciunt; fidem facilè ijs, quæ ipsis dicuntur, adhibentes, seque signis externis apparentijsque deduci patientes. Ex quo fit, vt approbent ea, quæ verè sunt phantasmata; illamque viam teneant, de qua Spiritus sanctus; d *Est via, quæ videtur homini iusta: nouissima autem eius deducunt ad mortem.*

b 2. Re. 7. 3. 13.

c 2. Dialog. 21. & Homil. 2. in Ezech.

d Pro. 14. 21

II. ALII contrà omninò, quod verè Christus est, Phantasma existimant, & solidā virtutem

appel-

appellant passionem; veram inspirationem, proprij spiritus impulsum iudicant. Tales solent esse nimis timidi, scrupulosi, & ignari, e *qui ob suam ignorantiam, aut timidam & melancholicam complexionem illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Quod interdum etiam iis accidit, qui in via spiritus aliquos progressus fecerunt: cùm graues aliquæ tentationes & tempestates exurgunt; sicut in hac occasione Apostolis accidit, ipso Christo Domino has tenebras, dubiaque permittente: sitne Deus an Phantasma, quod ipsis oculis cernunt, & experientia nouerunt: quò sic exerceantur, & probentur; crescantque in humilitate, & aliis virtutibus. tunc enim terribilior censenda tentatio est, cùm illud ipsum, quod Deus tanquam remedium mihi offert nouam interpretor deceptionem. Et similiter decepti aliqui increduli & inexperti de aliorum spiritualibus motionibus sentiunt; de ijs, quę ignorant, blasphemantes; existimantes, visiones omnes ac reuelatioues, & opera, quæ vident audiuntve admiranda, phantasmata esse, atque deliria. Idque perinde asserunt, atque si hisce temporibus nemini se Deus, sicut olim Sanctis communicaret. Vtrunque hoc extremum est pernicioſum: neque enim minus malum censeri debet, si Christum existimes esse phantasma; quàm si contrà, habeas phantasma pro Christo; aut repellas quod est Deus existimans esse dœmonem; quàm admittere quod reuera est dœmon, existimans esse Deum: Et

e *Psal.* 52. 6.

Ex S. Greg. hom. 5. in Ezech.

æquè

æquè noxium est, si carnis impetum sequaris,
f *1. Thes. 5. 19.* credens esse Spiritus S. atque f *Spiritus* impulsum *extinguere*, credens esse carnis impetum.

III. TERTIVM hominum genus mediam tenet
g *1. Ioã. 4. 1.* viam, quæ est iuxta S. Ioan. consilium. g *Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus, si ex Deo sunt*: quo examine præmisso, gratiâ Dei assistente iudicium quale oportet de rebus omnibus faciunt, ac distinguunt id, quod est verè Christus, ab eo quod est phantasma, & mera apprehensio, tam in rebus proprijs, quàm alienis, quas examinant: soletq; Deus ad
h *1. Cor. 12. 10.* id conferre donum illud, quod Apostolus h *Spirituum discretionẽ* appellat, quod præcipuè Magistris Ecclesiæ communicat, quos propterea Examinatores & spiritus metallorum
i *Hiere. 6. 27. Probatorem dedi te.* i *Probatores* appellat. Ad quos propterea par est eos recurrere, qui sunt minus experti; ne decepti aut falsum aurum pro vero recipiant, aut verum tanquam falsum reiiciant. Debemusque omnes hanc cœlestem lucem à Chisto Domino nostro ne aberremus, petere dicen-
k *Prou. 16. 2* tes: O cœlestis Magister, verè k *Spirituum ponderator*: ne quæso me patiaris eam tibi iniuriam inferre, vt phantasma appellem quod verè Deus est; aut Deum, quod est merum phantasma. Illustra me potiùs diuina luce, vt alterum horum ab altero discernere valeam: adiuua me etiam, quò boni spiritus impetum sequar; fugiam verò mali. Amen.

PVNC-

PVNCTVM IV.

CVM a *prætimore* discipuli *clamauissent, statim* IESVS *locutus est eis, dicens: habete fiduciam, ego sum, nolite timere.* a *Matt. 14. 27.*

PERPENDENDA hîc primùm est clementia Saluatoris IESV Christi, qua voluit tam cito turbatos & afflictos discipulorũ animos consolari se ipsum eis manifestans, & tribus tantum verbis falsam eis apprehensionem expellens. Est enim spiritus Christi proprium, falso timore reiecto ad solidam fiduciam animos permouere, talesq; in eis effectus ingenerare, vt verbi illius *Ego sum* capiãt veritatem. neq; enim satis eis fuisset idem verbũ quomodocunq; propositũ, nisi voce propria ipse locutus fuisset, quam ipsi reuera agnouissent, aut certa eisdem indicia exhiberentur, quę ostenderent, ipsum verè esse, qui loqueretur. I.

HINC vlterius pergens cõsiderabo, quid in cordibus nostris agatur, cùm Christus illa visitans loquitur, & signis aliquibus aperit, se esse qui loquatur, Vt enim quisque hominum proprium habet modum loquendi, ex quo, qui cum ipso versantur, eum agnoscunt, & ab aliis discernunt; ita viri spirituales, qui valde familiariter cum Christo agunt, dicunt eum sic & sic solere ad cor loqui, tanta dulcedine, pace, & virtutum plenitudine, quę ipsius diuinitatem referant, & manifestent, ꝙ qui loquitur, sit spiritus bonus: quia malus II. *S. Greg. 4. Dialo. c. 48. S. August. 6. Confess. c. 13. id dicit de S. Monica.*

non

S. Diodocus de Perfectione c. 30.

non quidem potest talem saporis dulcedinem effingere. Hoc autem Christus verbi sui omnipotentia ostendit: quia vel vnico momẽto transmutat cor timidum in valde confidens, ex tristi in lætissimum, ex perturbato in tranquillissimum, ex duro in mollissimũ, ex arido in deuotũ, ex afflicto variis carnis vanitatis, cõcupiscentiæ tentationib⁹, in quietũ & contrariis affectibus ornatum. Itaq; tempestatum & perturbationum tempore, Dœmonis spiritus adfert pusillanimitatẽ, animi defectionem, diffidentiam, desperationem; at Christi spiritus contrà, adfert magnanimitatẽ, excitationem, & in Deo fiduciam, ac in eius seruitio constantiam. Tempore autem prosperitatis, & consolationis siue sensualis, siue spiritualis, Dœmonis spiritus superbiam adfert, vanitatem, præsumptionem, propriam fiduciam, suiipsius complacentiam, rerum propriarum, maximè verò iudicij proprij æstimationem, rerum verò aliorum cõtemptum: at spiritus Christi, humilitatem suggerit, suiipsius contemptum, de seipso diffidentiam, sanctum timorem ne recidat, subiectionem Deo, & omnibus propter eum.

III. Et vt idem homo alio tono in eodem verbo offerendo vtitur, cùm ad terrendum vultum iram ostendere, quàm cùm ad indulgendum ostendit lenitatem; ita Christus eodem illo verbo. *Ego sum* contrarios in diuersis hominibus effectus producit. Nam hic Discipulos à concepto timore liberauit, paciq; reddidit eos

eos verò qui, vt eum comprehenderent, in hortum venerant, ita terruit, vt verbo illo b *Ego sum* audito *abierint retrorsum, & in terrā ceciderint, vt in 4. Par. dicetur.* Eodem etiā modo prę sētiæ suę testimonia interna peccatoribus reddit & iustis, illos reprehēsionibus, minis, terroribusq; conterrendo, vt peccata sua deserant; his verò indulgēdo blandioribus affectibus gaudij, pacisque spiritualis, vt in suo animet obsequio. & si initio timorem interdum incutit, vt excitet reuerentiam; mox tamen pacem adfert cum lętitia, & conscientiæ securitate.

b Ioan. 18. 6.

S. Thom. 3. p. q. 30. a. 3. ad. 3.

B. P. Ignat. in Regul. de hoc.

His benè perpensis supplex à Christo Domino petam, vt me visitans, ita ad cor loquatur, vt verè ipsum loquentem agnoscens, reuerear, amem, seruiam, & illi omninò confidam. O Deus omnipotens, qui es ille *qui est*, dic quæso animæ meæ *Ego sum, noli timere*, dulcem tuam & iucundam ei manifestando præsentiam, qua inanes eius omnes timores euanescant; feruentia verò desideria inflamentur, opere ipso illa ad tuam gloriam exequendo. Amen.

Punctvm V.

Audits Christi Domini verbis, a *Respondens Petrus, dixit: Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas.*

a Matt. 14. 28.

In his verbis, quinque feruentis charitatis proprietates indicantur, quibus verus fer-

Feruentis charitatis proprietates.

uor à falso discernitur. *Prima* proprietas est ingens *Lux*, & Christi Domini, ac excellentiarum, quæ in verbo illo *Ego sum* latent, æstimatio, quam diuino lumine illustratus Petrus ita est assecutus, vt non dubitantis, sed omninò asseuerantis illa fuerint verba eius, *si tu es*, quasi dixerit, *quandoquidem tu es*, qui est ipsum esse, ipsum posse; ipsa bonitas, ipsa charitas, ostende mihi reipsa te esse, qui sis, testimonium præbens eius, quod es. I.

II. *Secunda* proprietas est, vehementer desiderare, aliquid sibi à Deo iniungi, quò suum erga eum amorem vicissim ostendat: ideò enim ait: *Si tu es: Iube me.* Seruus enim tuus sum, & promptus ad tibi parendum: magnæ gloriæ mihi duco, si mihi aliquid mandes: manda itaque quod vis, & ego parebo.

III. *Tertia* proprietas est, ingens desiderium apud dilectum manendi, quâcunque moram, quæ ab eo impediat, longâ & molestam sibi existimans; desiderans nó lento sed festino passu progredi: ac propterea adiecit S. Petrus: Domine si tu es, iube me *venire ad te super aquas*: idque non vanitate ductus, aut miraculum expetens dixit; sed feruenti desiderio, propè Magistrum suum manendi, impulsus. Perpendam verò, eundem S. Petrum, cùm in sua naui, ingentis piscationis miraculum vidit, voluisse à Christo ipso recedere, dixit enim: b *Exi à me, quia homo peccator sum Domine*: Nunc autem videns ipsum Christum super aquas ambulantem, accedere potiùs cupit: & vterque hic spiritus, bonus erat.

b *Luc. 5. 8.*

nam

nam primus ab humilitate proficiſcebatur: coniiciens enim in ſeipſum oculos, aduertit ſe peccatorem & indignũ eſſe, qui propè tantam maieſtatem conſiſteret: ſecundus verò ex amore proceſſit, quia non in ſeipſum, ſed in Chriſtum eiuſq; omnipotentiam reſpiciens, illi volebat adhærere. Vtrunq; ergo affectum diuerſis temporibus meritò eliciam: quia vt primus ſecundum facit tutiorem; ita viciſſim ſecundus primum reddit perfectiorem.

Quarta proprietas, quòd ſe confidentiſſimè offerat etiam ad ea, quæ & proprias vires excedũt, & imbecillitati ſuæ impoſſibilia videntur: quia nõ viribus propriis, ſua deſideria metitur, ſed virtute Dei. Ideoque S. Petrus ſe obtulit, vt in mare ſe ſe proijceret, perſuaſus ſe Magiſtri ſui virtute poſſe ſuper aquas ambulare nec mergi, ſicut ipsũ videbat ambulantẽ, nec tamen mergi, feruentem .n. c *charitatẽ* nec *multa* tribulationũ *aquæ extinguere*, nec flumina *illã obruere poterunt*. *Deniq;* charitas etſi feruens ſit, non eſt tamen præceps aut temeraria, ſed prudens & cauta, quæ nõ ſe proijcit vltra quã poſſit, niſi Dei licentia, mandatum adſit aut inſpiratio, in quo fiduciã ſuam ponit: Sic enim S. Petrus non priùs ſe coniecit in mare, quàm CHRISTVS id iuberet, dicens *Veni*. O Magiſter dulciſſime, d *Introduc me in cellam vinariam, & ordina in me charitatem*, pretioſoſque eius affectus iis proprietatibus exorna, quibus ſancti huius Apoſtoli tui caritatẽ exornaſti: ne feruor, aut qa inordinatus,

IV.

c *Cant. 8. 7.*

V.

d *Can. 2. 4.*

me præcipitet; aut quia timidior, aliquid de perfectione sua amittat.

PVNCTVM VI.

RESPONDENTE Christo, *Veni descendens a Petrus de nauiculo ambulabat super aquam, vt veniret ad* IESVM. a *Matt. 14. 29.*

I. PERPENDENDVM hic primùm, licet Christus aliàs S. Petri feruorem repressérit, non tamen nunc repressisse, sed in eo potius sibi complacuisse; petitioniq; eius annuisse, quam videbat à verò, amore profluxisse, & resignationis, fiduciæq; spiritu non in se sed in Christi virtute factam fuisse. Petitiones autem, quæ tales habent comites, quia ab Spiritu sancto procedunt, facilè Christus exaudit. Libenter enim b *Voluntatem timentium se facit, & deprecationem amantium exaudit*, quas ad amoris eorum manifestationē dirigi cernit. Contrà verò, cùm idem S. Petrus in nocte Passionis diceret: c *Etiam si omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor:* & d *paratus sum tecum & in carcerem & in mortem ire:* non illi respondit: *Veni* sciens illam promptitudinem à superbia & præsumptione de seipso procedere, etiam cum aliquo reliquorum cōdiscipulorum contemptu, quibus sese præferebat: quæ quod in hac petitione defuerint, illi annuit. Ex quo intelligam, qua ratione, quæ à Christo Domino impetrare cupio, petere me oporteat.

b *Psal. 144. 19.*

c *Matt. 26. 33.*

d *Luc. 13, 33*

ANNVIT

ANNVIT etiam Christus illi petitioni, vt ipsi discipuli experientiâ discerent, ipsum iure meritò illis dixisse *Confidite, habete fiduciam, ego sum, nolite timere*, siquidem adeò se potentem ostẽdebat, vt vel illo verbulo *Veni*, tantum prodigium perficere posset, vt purus homo æquè super aquas, atque supra firmam terram ambularet. Ex quo spiritum suum eleuarent ad credendum, & confidendum, ipsum esse adeo potentem, vt efficeret ipsos e *super aspidem & basiliscum ambulare, & conculcare leonem & draconem*, nulla ab eisdem acepta læsione: & vt maris huius mundi fluctus non horrescerent: eò quòd efficere ipse posset, vt illi supra eos ambularent, nec solum non mergerentur, sed nec madefierent quidem, nisi ad summum, pedum plantæ, hoc est leuiores aliquas culpas contraherent, aut imperfectionis incuriam aliquam. II.

e *Psal. 90. 13.*

O IESV potentissime, anxia est & solicita anima mea, vt te vitamque tuam sequatur; vt ad te gloriamque tuam perueniat. Dic ei verbum illud: *Veni*, eius enim virtute, omnia illi facilia fient; Nam f *credenti* & fiduciam in te habenti *omnia sunt possibilia.*

f *Marc. 9. 23.*

DENIQVE perpendendam, S. Petrum mox, atque verbum illud Christi *Veni* audiuit, & absque vlla mora aut timore ex naui exiliuisse, & ambulare super aquas incœpisse versus ipsum IESVM, cupientem illi approximare. vt ex hoc discam quanta velocitate fiduciaq; III.

oporteat me exequi quicquid ipsius Christi erit voluntatis, & quicquid eius obsequij intuitu proposuerim aut obtulerim, neq; hærere aut dubitare quibusvis periculis me committere, in virtute verbi ipsius; siquidem
g *Phil. 4. 13.* g *omnia potero in eo, qui me confortat.*

PVNCTVM VII.

a *Matt. 14. 31.* VIDENS a *Petrus ventum validum, timuit: & cùm cœpisset mergi, clamauit, dicens, Domine saluũ me fac. Et continuò* IESVS *extendens manum apprehendit eum; & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? & cùm*
b *Ioan. 6. 21.* *ascendissent nauiculam, cessauit ventus,* b *& statim nauis fuit ad terram, in quam ibant.*

I. PRIMVM hic perpendendum, permisisse Christum illum timorem in Petro, ne inaniter se extolleret; & agnosceret, se necdum habere perfectã fidem: vt qui imperterrito quidem animo se se in mare perturbatum proiecisset; sed validum tamen in eo ventum pertimuisset: quia oculos ab ipso Christo, in quem initio eos coniecerat, auertit, & respexit ad ventum: deficiente autem Petri in Christum fiducia, defecit etiam eius in aqua cõsistentia, cœpitque mergi. O Deus omnipotens adiuua debilem fidem meam, nec patiaris me auertere oculos à te in tribulationibus occurrentibus, ne absorbear ab eis.

II. DEINDE perpendam, eum, qui, vt Christi Domini voci obediat, eius verbo cõfidens, aliqua adit pericula, nõ periturum: nam statim,

atque

atque in auxilium ipse vocabitur, aderit, manum porriget, ac à periculo eruet: sin sponte propria, ob vanitatem, aut iactantiam illa adiero, deseret me Deus in tantæ temeritatis pœnam; atq; vt Machabæos illos Sacerdotes, qui ob c *nomen mane sine consilio pugnam aggressi sunt, perire permittet.* c 1. Mach. 5. 60.

TERTIÒ perpendam, Christo nauiculam ingrediente, *Ventũ cessasse:* vt intelligamus, tentationes, quæ ipso exurgunt absente, eo præsente euanescere: eiusdemq; auxilio appellit nauis cito & feliciter magnaq; tranquillitate ad terram viuentiũ, & æternæ salutis portum. III.

DENIQVE in tota hac historia docuit nos Christus familiarem suam nobiscum agendi rationem, dum vel ad religiosum statum, & ad aliquod magni momenti negotiũ vocat. Nam initio omnia nobis reddit facilia & expedita, quò omni metu deposito, cõfidenter nos ad ea coniiciamus: sed paulò pòst, tempestates exurgere permittit & timores, non vt deserat, sed vt in virtutibus progressum faciamus: ac demùm plenam cum ingenti lætitia pacem impertit, ob noua experimenta, quæ nos docent, quàm multa possimus ex eius gratiâ. Et in hunc sensum dixit per Prophetam: d *Ego lactabo eam,* hoc est consolationum mearum lacte eam decipiã, vt me sequatur, & *ducam eam in solitudinem; & loquar ad cor eius,* & colloca bo eam in *valle Achor & tribulationum ad aperiendam spem,* vt ex eis nouam concipiat spem, *& canet ibi iuxta dies iuuentutis suæ,* & d *Osee 2. 14.* IV.

exultabit sicut in principio cum affluerent cõsolationibus. O dilecte mi, lacta ac decipe me sanctâ hac deceptione, vt à mundi fraudibus me eripias, & ad æternam cœlestem requiem perueniam. Amen.

MEDITATIO XX.

DE ILLVSTRI DIVINItatis Christi Confessione, quam S. Petrus professus est.

PVNCTVM I.

a *Matt 16. 13.*
a *Marc. 8. 27.*

INTERROGABAT IESVS a *discipulos suos: Quem dicunt homines esse filium hominis?*

I.

PERPENDENDVM primùm Christum Dominum hanc interrogationem proposuisse, vt ait S. Lucas, b *cùm solus esset orans:* vt intelligeretur, non curiositate, sed necessitate; nec proprij sui, sed nostri commodi causa propositam esse, & doceret, orationis suæ virtute Petro reuelatâ esse veritatem, quam suo responso professus est. & si hoc lumen ego habere cupio, oratione illud me obtenturum, iuxta illud Iacobi: c *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & dabitur ei: postulet autem in fide nihil hæsitans.*

b *Luc. 9. 18.*

c *Iacob. 1. 5.*

II.

DEINDE perpendam, eam interrogationem à Christo fuisse propositam, *primò* vt clario-

rem

rem suis discipulis sui notitiam communicandi occasionem acciperet: ex qua cognitione & notitia tanquam ex radice & semine nostra salus dependet, vti ipsemet fassus est, cùm dixit: d *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti* IESVM *Christum. Deinde* etiam fuit proposita, vt nos doceret ex hominum dictis & sermonibus fructum capere. velle enim hominum de nobis opinionem scire, vt salutis nostræ securitatem in ea constituamus, magnus esset error: cùm Apostolo teste, e *Qui iudicat nos, Dominus sit*: Non nocet autem imò expedit sæpè eam velle cognoscere; vt scientes, quid ipsi de nobis sentiant, tũ defectus emẽdemus, quos illi in nobis aduertũt; aut eos euitemꝰ, ne verè de nobis dicãtur, tũ bona, quæ dixerint, si fortè non habemus, acquirere studeamus; aut si habemus, eadem perficere contendamus. hac enim ratione hominum de nobis opiniones & iudicia in commodum nostrum conuertemus.

d *Ioan. 17.3*

e *1. Cor. 4.4*

III.

CONSIDERANDA demum est insignis illa Christi humilitas, quæ in eo elucet, quod seipsum semper *Filium hominis* appellet, quod nomen tum vniuersis hominibus est commune, tum ita vile & abiectum iudicatur: vt nullus eo facilè vtatur: cùm absque vlla iactantia potuisset speciosiora & gloriosiora nomina vsurpare: sed nimirum docere nos voluit humilitatem; & abiectiores viliores(que) titulos, quos iuxta status nostri rationem iudicabit,

cebit, eligere: quia etiã in hoc est verũ; f *qui se humiliauerit exaltabitur*: vt etiã in hoc loco apparet. Nã statim atq; ipse Christ⁹ filiũ se hominis appellauit, Petro reuelauit Pater, esse *filiũ Dei viui*, idq; omniũ Apost. nomine palã cõfess⁹ est. O fili Dei viui: impertire mihi eã humilitatẽ, q̃ dũ hominis filius fieres & humilia filiorũ hominũ amplectereris ostendisti; vt ex hac humiliatione ad filij Dei dignitatẽ p̃ te peruenies gloria illa fruar, qua ei⁹ filij gaudẽt. Amẽ.

f *Mat. 23. 12*

PVNCTVM II.

DISCIPVLI *dixerunt: Alij Ioh. Bapt. alij aũt Eliã, alij verò Ieremiã aut vnũ ex Prophetis.*

I. PERPENDENDA hic primũ Apost. prudẽtia in hac respõsione. Scientes. n. Scribas & Phariszeos de Christo dicere, q̃ a *Samaritanus esset*, b *vorax & potator vini, publicanorũ, & peccatorũ amicus*, & alia huiusmodi mala, nihil tñ horũ retulerũt, sed q̃ magistro suo honorificũ videbatur. hoc nos exẽplo docẽtes, nõ debere iustos aut prudẽtes alijs referre, q̃ eorũ inimici de eis referũt: quia vt plurimũ illa sũt falsa; nec aliũ fructũ adferũt narrata, q̃ q̃ eos, quib. referũtur, ad irã & cõtra inimicos indignationẽ prouocãt: Est itaq; prudẽtiæ talia illos celare, nec nugas serere, q̃ lædunt fraternã charitatẽ. & fortasse propterea Christ⁹ nõ quæsiuit, quem Scribæ & Pharisæi dicerẽt esse filiũ hominis: sed quem dicerẽt homines, hoc est, turbę & populus. & S. Luc. ait dixisse Christũ:

a *Ioh. 8. 48.*
b *Mat. 11. 19.*
c *Luc. 9. 18.*

II. DEINDE perpendendũ, q̃ sit familiare hominibus

nib. imbecilli ſuæ naturæ relictis circa Dei & Chriſti Ieſu cognitionẽ errare, ſiue ob intelligẽtiæ ſtuporẽ, ſiue ob aliquã pturbationẽ, quę mentis lumen obtũdit, aut ob dęmonis fraudes, qverã Dei cognitionẽ illis auferre ſtudet, vt ſub tyrãnide ſua innumeris peccatis teneat captiuos, iuxta illud Proph. d *Propterea captiuus ductus eſt popul⁹ meus qa nõ habuit ſcientiã.* hoc eſt verã fidẽ & cognitionẽ Dei, rerũq; ad eius obſequiũ pertinentiũ. Ex quo magnam hauriã infideliũ cõmiſerationẽ, & ignorãtiâ hac laborantiũ. de qb⁹ Apoſt. ait: e *Ignorantiã Dei quidã habent, ſed qui ignorat, ignorabitur:* qa eũ Deus nõ agnoſcet vt ſuũ, nec ad æternã vitã approbabit. *O g ſcientiarũ Deus,* miſerere ignorantiarũ noſtrarum, impleq; quod promiſiſti, h *replendo terram ſcientia Domini.*

Perpendã 3. homines, cùm circa res Dei & Chriſti Dñi errãt, plerunq; aliq d illi, qꝑ habet auferre; dũ Dei magnalia ſui ingenij anguſtijs aut iudicio ſuo perturbatiõi alicui ſuccũbenti metiri conãtur. Et ita hic apparet, turbã & plebẽ Chriſto abſtuliſſe diuin. dicentẽ, eũ eſſe vel Ioh. Bapt. vel Eliã. Alij aũt perturbationi maiori locũ dãtes, ſapientiã illi auferebãt, dicẽtes i *quoniã in furorẽ verſus eſt*; aut ſanctitatẽ, k *Samaritanũ* eũ appellãtes: aut potentiã, eius miracula calũniantes, ac dicẽtes: l *In Belzebub principe dæmoniorũ eiȳcit dæmonia*; aut Prudentiã, dũ aliquem defectũ in eius operibus, ac rerũ diſpoſitionib⁹ carpebãt, ſicut illi qui in morte Lazari dicebãt: m *Nõ poterat hic*

qui

Errores circa Dei & Chriſti cognitionem.

d *Iſai. 5. 13.*

c *1. Cor. 15. 34.*

f *c. 14. 38.*

g *1. Reg. 2. 3*

h *Iſai. 11. 9.*

i *Mar. 3. 21.*

k *Ioh. 8. 48*

l *Luc. 11. 15.*

m *Ioh. 11. 37*

qui aperuit oculos cæci nati, facere vt & hic non moreretur? & in hodiernum diem fert Christus a Gentilibus & ab hæreticis & ignaris huiusmodi calumnias: vt dum aliquas ego patior, quia iniuriâ mihi honor aufertur, aut quid simile, Christi exemplo meipsum consoler.

IV. QVARTÒ perpendam etiam aliquos Christianos ob malam suam conscientiam, suis operibus testimonium facere, quod falsas habeant de Deo & Christo apprehensiones, & practicè errent in eius cognitione, dum Deũ quendam vel seuerum & implacabilem, qui

n *Mat. 25. 24.* n *metere velit vbi non seminauit*; vt piger ille seruus dicebat; vel ita nimium misericordẽ, vt viuãt, licet pro libitu homines, omnia tamen ipse dissimulet: & o *Mentita est iniquitas sibi.*

o *Ps. 26. 12. Ser. 38. in Cant.* *Formans* (vt ait S. Bernardus) *sibi idolum pro eo, quod non est Deus*, adeò enim à veritate quæ est in Deo alienum sibi format conceptum, vt non sit conceptus Dei veri, sed falsi & idoli,

p *1. Cor. 8. 4* quod p *nihil est in mundo*: quia in mundo talis Deus non est, qui sit crudelis, obliuiosus, inexorabilis, personarum acceptor, aut peccata dissimulans, sicut ipsi sibi fingunt.

V. DENIQVE etiam aliqui spirituales, quà homines sunt, errant interdum practicè in Dei & spiritus Christi cognitione, aliquid eorũ quæ ipse habet, illi auferendo: dum Christum sibi aliquem apprehendunt tenacem & certis terminis limitatum, & angustæ suæ apprehensioni optatum. Quidam enim, Christi spiritũ

putant

putant esse solum spiritum Ioannis Baptistæ severum, asperum, valdeque pœnitentem; alij solùm Eliæ spiritum existimant, zelantẽ, terribilẽ aduersꝰ peccata & ipsos peccatores; alij contra, solum Ieremiæ spiritum iudicant, cõpatientẽ, flebilem, ob peccata & huius mũdi miserias; alij, quod solùm sit spiritus Prophetarum, qui in desertum secedebant, aut qui populo prædicabãt, aut qui miracula faciebãt ea, &c. Et hi oẽs valdè sunt angusti, multumq; spiritui Christi detrahũt, dũ angustũ adeò illũ limitatumque sibi proponũt, cùm tamen ille à Sapiente q *vnicus & multiplex* esse prædicetur, vt qui magnam spirituum varietatem, variosque Deo seruiendi modos complectatur: qui tamen omnes in vno amoris & charitatis spiritu fundantur, & ad finem vnum, qui est Dei gloria, diriguntur. Ex quo intelligam, grauem esse errorem, si Christum & eius spiritum ei spiritui, quẽ in me ego sentio limitare & accommodare velim, desiderans omnes eandem, quam ego sequor, tenere viam: hoc enim est limitate & auguste de Deo, & de Christi redemptione sentire, qui aliquibus quidem est vt S. Ioannes Baptista, alijs vt Elias alijs vt Ieremias: his est solitarius, & contẽplationi deditus; illis affabilis & actiuus. O æterni Sapientia, in quo sunt omnes spiritus, quibus sancti omnes tibi placuerunt; illum quæso mihi spiritum elargire, quo tibi magis placeam; & vnicuique tuorum electorum eũ etiam concede, qui illis magis expedit. Pur-

q *Sap. 7. 22*

ga in-

ga intelligentiam meam ab omni errore, vt talem te cognoscam, qualis tu verè es; & in medio cordis mei in ea te forma habeam, qua verè dignus est.

PVNCTVM III.

a *Mat. 16. 15.* DICIT a *illis Iesus, vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus filius Dei viui.*

I. PERPENDENDVM hic *primùm* Christum Dominum nostrum cùm audiuisset quid homines de seipso sentirent, voluisse etiam cognoscere, quid ipsi discipuli sentirent, dicens, *vos* qui pluſquam homines estis, ob cœlestē quam audiuistis doctrinam, & vitæ quā estis professi altitudinem, *quē me esse dicitis?* hoc dixit, non quod ignoraret quid ipsi sentirent, sed vt hac occasione accepta, illos excitaret, & in fide suæ diuinitatis cōfirmaret. Ad Christi ergò imitationē, ingressus in cor meū ab anima mea percunctabor, tu quē dicis esse Christū? quid de eo sentis? quid de eius bonitate ac misericordia? de eius sapientia & omnipotentia? quid sentis de eius humilitate & obedientia? de virtutibus, quas exercuit, in ea abiectione, quam vt tibi subueniret accepit? hæc autem mihi ipsi dicam, vt me ad altè sentiendum de Christo, eiusque virtutibus prouocem, magna de his opinione & æstimatione concepta, me ipsum simul reprehendendo, ob defectum quem in hac re animaduerto.

II. *Secundò* perpendam, quamuis hæc interro-

gatio

gatio omnibus esset proposita, solum tamen Petrum respõdisse, ob duas causas. Altera fuit quod in Christi amore & obsequio feruẽtior esset; in omnibus. n. quę magistri sui honorem concernebant, diligentissimus erat ac prim⁹. Cuius imitatione, conabor inter bonos excellere, & primus esse, in ijs quæ spectant obsequiũ diuinũ, quamuis simul etiam studere debeo in meis oculis esse vltimus, propter humilitatẽ, vt si in feruore sũ primus, id fiat absque meo detrimento. Altera causa fuit, quod Deus Dominus noster, cũ illum tã benè dispositum ad sua dona suscipienda videret, singulari & extraordinaria luce illum illustrauit, vt Christi magnalia cognosceret, quare à lumine illo abreptus, reliquos discipulos præueniens, omnium illorum nomine respondit, *tu es Christus filius Dei viui*. Præpara te anima mea, feruore magno, ad seruiendum tuo dilecto, qui dicit, b *qui habet dabitur ei & abundabit*. Tene quod accepisti, eoque magnâ vtere diligentiâ, quò gratiæ suæ dona Deus in te multiplicet.

b *Mat. 13. 12. & 25. 29*

III.

Tertiò perpendam singula, illustris huius confessionis verba seorsim. *Primum* fuit, *tu es*, atq; si diceret, tu qui Filium hominis te appellas, tu de quo homines dicunt esse Ioannem Baptistam, aut vnum ex Prophetis, tu qui noster es magister, & qui nos in tuos discipulos elegisti, tu es qui es, & es ipsum esse per essentiam, à quo, quidquid esse habet dependet. *Secundum* verbum fuit, c *Christus*

c *Luc. 9. 20.*

Dei

Dei, atque si diceret, tu es Christus, & *Christus Dei* hoc est, tu es ille Messias Iudæis promissus, & d *desideratus cunctis Gentibus* tu es Rex Israel, Rex regum & Dominus dominantium. e *Tu es* summus *sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Tu summus ille es f *Propheta, quem omnes audire debent*. Tu es g *vnctus sanctus sanctorum*, h *Quem Deus vnxit oleo lætitiæ, præ consortibus tuis*. Hæc omnia complectitur nomen Christi, quod vnctũ significat, & eminenter conuenit nostro Saluatori, in quo simul dignitates eorum inueniuntur, qui vngebantur, quæ sunt prædictæ.

d *Ag.2 8.*
e *Ps.109. 4.*
f *Deut.18.15*
g *Dã. 9. 24*
h *Ps.44.8.*

Tertium fuit, *Filius Dei viui*, atque si diceret, non tu es quicunq; Christus, sicut sunt puri homines, sed es Filius Dei, nõ adoptiu⁹, sed naturalis Filius Dei viui, qui quod minus sit, habet nobilissimam viuentium operationem, quæ est sibi simile generare, & ita te Deum viuum sicut ipse est genuit, & porrò infinitum, immensum, æternum, omnipotentem, sapientem, & bonum, immò sapientiam ipsam & bonitatem. Ad hæc omnia & multò plura S. Petrus cœlesti lumine penetrauit, & ore confessus est, quando hæc verba est prolocutus, & licet, S. Ioannes Baptista & Nathanael, & alij hanc confessionem fecissent, eisdem ferè verbis, excelluit tamen S. Petrus, eadem, insigni feruore, magna reuerentia, ac deuotione dicendo. Et eodem spiritu studebo ego illa proferre, & exultans ob redemptoris mei excellentias supplicabo lumen illud mihi concedi,

cedi, quod S. huic Apostolo fuit communicatum, vt viua fide, eoque modo dicam, qui illi placeat.

PVNCTVM IV.

RESPONDENS *autem* a *Iesus dixit ei, beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* a Mat. 16. 17

PERPENDENDVM hic est, quam fuerit grata Christo Domino, hæc adeò illustris S. Petri confessio, & qua ratione, eandem ipse confirmauit, approbauit, & hunc S. Apostolũ propter illam exaltauit. *Primùm* enim beatũ illum appellat, quia ex hac cognitione & cõfessione, cœpit eius felicitas, & nostra incœpit, quia initium est, vt aliàs diximus, b *æternæ & beatæ vitæ. Secundò* vocauit illũ *Simonẽ*, quod obedientem significat, & filium c *Ioannis*, quod significat gratiam, aut Iona, quod Columbam significat, vt ostenderetur hac confessione adeò nobili, se Deo obedientem ostendisse, à quo fuerat ipsi reuelata, & filium ipsius gratiæ, & Spiritus sancti qui illam inspirauit, & in eius virtute, futurum se obedientem legi gratiæ, & plenum Spiritu sancto, cum magna diuinorum donorum plenitudine. *Tertiò*, dixit, *quia non reuelauit tibi caro & sanguis*, quia neque fides hæc, nec supernaturalia dona, quæ ab illa procedunt, cognosci possunt, aut hæreditate, siue donatione carnalium parentum haberi; neque propria industria aut instructione hominum carnalium,

I.

b Ioan. 17. 3

II.

c Ioan. 21. 15

III.

nalium, nec viribus humanæ nostræ naturæ,
d 2. Cor. 3. 5 siquidem d *non sumus sufficientes cogitare aliquid huiusmodi à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

IV. *Quartò* dixit, *sed reuelauit Pater meus qui in cœlis est*, quibus verbis confirmat, se esse Filiũ Dei viui, cuius Pater in cęlis est, & huiusmodi veritates ex mera gratia reuelat, ad gloriã Filij sui, & ad ipsorum hominum vtilitatẽ. Qui
c Iac. 1. 17. propterea e *Pater luminũ* appellatur. ab eo. n. oẽs veræ illustrationes procedunt, quibus ipse Filiusq; eius cognoscũtur. O Pater cęlestis, ob amorẽ illum, quo Filium tuum vnigenitũ prosequeris, supplex oro, vt illustres animã meam, vt assequar, quod caro & sanguis asse-
f Ioh. 6 44. qui non possunt, *Et quandoquidẽ nemo ad Filiũ tuum venire potest, nisi tu qui eum misisti, eum*
g Osea. 11. 4 *traxeris*, g *Trahe me in vinculis caritatis*, vt ei obediã sicut debeo, & Fili⁹ existẽs obediẽtię, filius quoque sim tuæ gratię, per Spiritũ S. quẽ illis communicas, qui tecum sunt in caritate.

PVNCTVM V.

MOx Christus adiunxit: *& ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis.*

PERPENDENDA hic sunt splendida illa & glorioſa promissa, quæ Christus Dominus

noster,

noſter, fecit S. Petro, vt appareat quã liberali prẽmio Deꝰ afficiat etiã in hac vita obſequia quæ illi præſtantur, & quam illi ſint felices, qui feruenter illi ſeruiunt, primiq; eſſe contendunt, in ijs quæ ad ipſius obſequium pertinent, propterea beatus hic Apoſtolus, quatuor ſingulares fauores præ ſuis condiſcipulis obtinuit.

PRIMVS fauor fuit, quòd nomen valdè glorioſum illi impoſuit, dicens *tu es* PETRVS, quaſi dicere vellet, tu de me dixiſti, quod ſim Filius Dei viui, ego verò implere nunc volo verbum, quo aliquandò tibi dixi, a *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, quare ex nunc volo te in poſterum Petrum appellari. Et quoniam nomina à Chriſto Domino impoſita, non ſunt inania, ſed plena veritate, quam ſignificant, ideò hoc nomine Apoſtolo huic impoſito, participem eum fecit, virtutum, quas nomen Petrus à petra (b *qui eſt Chriſtus*) deductum ſignificat, ſibiq́ue ipſi in hoc ſimilem, quod eſt eſſe Petram fundamentalem Eccleſiæ, & in fortitudine & conſtantia, & reliquis precioſi fortiſque lapidis virtutibus. I.

a *Ioan. 1. 42*

b *1. Cor. 10. 4.*

IDEOQVE adiungit *ſecundam* excellentiam dicens, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, quaſi diceret, ego qui per excellentiam ſum *ſapiens ille homo, qui domum ſuam ædificat ſuper petram, ne deſcendens pluuia & venientia flumina, aut flantes venti eam ſubruant* ædificabo Eccleſiam meã II.

vniuersalem super me, qui lapis sum fun-
c *Cor.3.11.* damentalis, & fundamentorum omnium c *fundamentum* & simul etiam eandem super te tanquam super firmam petram fundabo, tribuens tibi dignitatem capitis, omnium fidelium vniuersalis, qui in te, & confessione viuaque fide tua innitentes superædificabunt domos suarum conscientiarum, quos tu in fide, religione sanctæque legis meæ obedientia confirmabis atque stabilies.

III. *Tertius* fauor siue excellentia fuit securum eum reddidisse de perseuerantia & inuicta huius petræ, & huius ædificij fortitudine, dicens, etiamsi portæ *inferi* omninò pateant, exeantque omnes inferni potestates ad eam oppugnandam, d *non prævalebunt aduersus eam, & quãuis pluuiæ descendant & flumina, & venti* tribulationum huius mundi & carnis *irruant in domum illam, non cadet, quia fundata est super petram*, omnipotentiam .s. sapientiam, & protectionem ipsius Christi, qui est viua petra, qui domum illam defendet, & firmitatem dabit illi petræ, qui est Petrus, & eius successoribus, quà ipsius sunt vicarij, ne in hac fide deficiant,
d *Mat.16. 18.*

IV. *Quartus* fauor fuit, quo dixit *& tibi dabo claues Regni cælorum* quo eius portas hominibus aperire & claudere possit, hoc est, dabit illi clauem Scientiæ, vt veritates quæ in sacris literis latent, hominibus declaret & aperiat, clauem etiam potestatis ad remittenda peccata, quæ ingressum in cælum impediunt.

Quæ

Quæ omnia Christus impleuit, vt medit. 9. & 13. part. 5. apparebit, vbi etiam harum promissionum præstantia expendetur, propter quas, maximas agam gratias, tanquam mea iudicãs beneficia Apostolo huic sancto collata. Non enim hæc priuilegia tam in ipsius vtilitatem, quam totius Ecclesiæ, sunt illi collata, & mei ipsius, qui fructum ex eis ita capio, atque si pro me solo fuissent concessa. Gaudebo quoque ob huius sancti excellentias, cupiens illum quantum licebit imitari. O glorioſe Apostole, gaudeo de nouo hoc nomine, hodie tibi impositio & noua dignitate quæ tibi promittitur, sit ergò faustum & felix, quod factus sis Petra fundamentalis Ecclesiæ, terribilis dœmonibus, & clauiger æthereus, Angelis & hominibus amabilis, ora supplex eum Dominum qui fundamentalem te petram cõstituit, vt me iuuet ad vitam meam, super eam petram extruendam, ita vt portæ inferi aduersum me non præualeant. Aperi mihi tuis istis clauibus Cœli portas quas ipse mihi clausi, claude verò portas inferi, quas ego aperui, quo ab omni culpa expeditus, ingrediar tecum regnum Cœlorum, in quo fruar Dei gloria. Amen.

MEDITATIO XXI.

DE CHRISTI DOMINI Transfiguratione.

a *Mat.17.1. Marc. 9.2 Luc.9.28. S.Tho. 3.p. q.45.*

ET *post dies sex, assumit Iesus Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit eos in montem excelsum seorsum, & dum oraret transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.*

CIRCA hæc verba 6, sunt in subiectis punctis expendenda.

PVNCTVM I.

PRIMVM considerabo quibus rationibus Christus Dominus adductus transfiguraverit se ac glorificatum ostenderit suis Apostolis, ad testimonium videlicet aliquod adferendum gloriæ, quam sub mortali & passibili humanitate opertam tenebat, & quam habituri essent qui illi seruirent, quando cum ipso regnarent, & vt illos ad portandam crucem magis animaret, & vt intelligerent, etiam in hac vita præbere Deum interdum delibanda æternæ gloriæ gaudia, quamuis obiter. Et hoc est quod paulò ante dixerat, b *Amen dico vobis, sunt quidam de hic*

b *Mat.16. 18.*

stanti-

stantibus qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno suo & ipsum regnum Dei. His similia sunt quæ supra diximus, vitam eius qui sequitur Christi, ita esse crucem, vt spiritus delitijs sit dulcorata, quibus fit iugum eius suaue & onus leue. Ex quibus omnibus magna concipiam desideria, glorioso adeò huic Domino deseruiendi ea spe, quod eo fruar in futura gloria, & fortè aliquid eius, etiam in hac vita delibandum dabit.

PVNCTVM II.

I.

DEINDE perpendam, tempus & locum, quem ad hoc mysterium Christus elegit. Tempus fuit in medio suæ Prædicationis, & 6. dies postquam omnes hortatus est, vt tollerent crucem suã, subiungens quod nunc dicebamus, aliquos visuros ipsos in regno suo, quod vt alius Euangelista dicit, impleuit octauo die (computatis eo in quo facta est promissio & in quo fuit impleta) vt nos doceret Deum non diu differre quæ promittit, quando opus est statim implere, ad nos magis animandos. Item perfectam glorificationem futuram post sex dies vitæ huius mortalis, quæ erit octaua generalis resurrectionis, quamuis totum tempus est modicum respectu æternitatis, nam vt ait Dauid a *mille anni ante oculos Dei*, b *tanquam dies hesterna quæ præterijt*, siue vt Apostolus

a Ps 89. 4.
b 2. Cor. 4. 17.

ait, totum est tanquam momentum quod vix percipi potest.

II. *Locus* fuit mons excelsus & separatus, aptus ad orationem, vt intelligamus huiusmodi fauores, & prærogatiuas, non fieri à Deo animabus in loco publico, & in strepitu & tumultu huius mundi, sed in solitudine & secreto recollectionis, & quando valdè illæ sunt remotæ ab affectibus curisque terrenis, & ad vitam magnæ perfectionis eleuatæ, sicut Moyses & Elias non peruenerunt ad contemplationem, cùm inter homines versabantur, sed in monte valdè ab eis remoto, ex quo meipsum excitabo ad solitudinem & altitudinem vitæ, dicens cum Dauide, c *quis dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo & requiescam, ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine* sperans quod ibi d *loquetur Deus ad cor meum,* vbi desideratam requiem inueniam.

c *Psal.* 54. 7.

d *Ose.* 2. 14.

O anima mea te super teipsam eleua & contende, vt cor tuum sit sicut mons altus & separatus, mons propter actionum tuarum perfectionem, altus propter contemplationem rerum æternarum, separatus propter mortificationem rerum transeuntium, vt complaceat sibi Christus ad te venire, teque per amorem in se transfigurare.

(:·)

PVNCTVM III.

CONSIDERABO tertiò, quos socios sécum duxit Christus ad montem; & orationis exercitium cui vacabat. Socij fuerunt tres feruentissimi ac dilectissimi eius Apostoli, quamuis enim DEVS Dominus noster, omnes iustos diligat, feruentioribus tamen plus indulget, quod verò non omnes 12. duxerit, ostendit non omnibus extraordinarios hos fauores fieri, ac forte quod inter duodecim esset Iudas impius ac peruersus homo. Nec expediebat talem deducere, vt tantæ voluptatis particeps fieret, nec solum relinquere ne infamaretur, ex quo discam quantum referat esse aliquem in Christi amore feruentem, quam verò noceat, nequam aliquem esse in communitate bonorum. I.

EST tamen & hoc aduertendum Christum Dominum nostrum huiusmodi extraordinaria priuilegia conferre quibus vult, & sicut vult, & interdũ, alicui minus sancto illa communicat sanctiore prætermisso, ob sua secreta iudicia, differens huius præmium ad futuram vitam, quare licet S. Andreas non fuerit ad montem deductus, non propterea efficitur, non fuisse æquè feruentem atq; alios, qui fuerunt deducti. Et hoc me debet consolari, cum videro amplioribus fauoribus Deum alios prosequi, me verò pręteriri, ne propterea animum abiiciam, aut in pusillanimitatem, aut II.

desperationem deueniam, summam potius felicitatem existimabo Dei Domini nostri dispositionem, & vt suas ipse dispositiones exequatur, quandoquidem illæ & magis aptæ sunt, & mihi magis expediunt.

III. TERTIÒ perpendam mysterium horum trium sociorum, qui referunt 3. præcipuas virtutes eleuatæ orationis comites, in qua fit animę transfiguratio, Fides videlicet viua ac feruens, per Petrum indicata; Spes firma fortiter aduersus hostes orationis pugnando, quæ per S. Iacobum exprimitur; & accensa atque affectuosa charitas, per S. Ioannem insinuata, necesse tamen est, Christum Dominum præire, & inspirationibus suis illos ducere ac dirigere, vt possint ad perfectissimorum affectuũ, altitudinem conscendere, quibus trãsfiguratio in Deum per vnionem amoris obtinetur.

2 *Psal. 42. 3.* O dulcissime Magister 2 *emitte* de cęlo *lucem tuam & veritatem tuam, quæ me deducant & adducant in montem sanctum tuum*, trahendo eo omnes affectus meos, quibus tibi coniungar.

IV. HINC apparet exercitium quo Christus in monte occupatur fuisse (vt ait S. Luc.) orationem, vt discamus in ea delicias & fauores cęlestes communicari, eamque animæ transfigurationem impetrare, vtque terrenam viram in cœlestem commuret, & ex humana diuinam faciat, nam in oratione anima eleuat se supra seipsam, eius facies, resplẽdet ob lucem veritatum & splendorem virtutum, quæ in ea

ipsi

ipsi communicantur, emittit enim radios dilectorum affectuum dealbatque vestes opera videlicet purissimis intentionibus. Denique ibi manet transformata in Deum & Deificata, iuxta id quod S. Apostolus de ea dicit, quod *reuelata facie gloriâ Domini speculans in eandem imaginem transformetur à claritate in claritatem*. O Dulcissime IESV, concede mihi ita tuarum virtutum gloriam, meditari ac contemplari, vt in eas transformer, & me doce, tanto spiritu orare, vt in tuæ gloriæ imaginem transfigurer. Amen.

PVNCTVM IV.

QVARTÒ Considerandus est modus, quo se CHRISTVS transfigurauit, id enim fecit permittendo, vt animæ gloria, quæ in ea detinebatur, ne deriuaretur in corpus, exiret extra & ei communicaretur, ex quo effectum est, vt illud splenderet sicut sol, & multo adhuc plus, sed sol est expressus, quia nihil fuit splendidius cum quo conferretur. Ex eo etiam factum est, vt vestimenta fierent alba sicut nix, ac diuina illius facies, ineffabili pulchritudine plena, maiori inquam, vt ait Dauid, quam vnquam fuerit aut futura sit a *in filijs hominum*. Ex quo valdè illi exultans congratulabor ac dicam, ô IESV Nazaræne Nazaræorum omnium Princeps, gaudeo me videre te b *candidiorem* ipsa *niue, nitidiorem lacte, rubicundiorem ebore*

a *Psal. 44. 8*

b *Tren. 4. 7.*

anti-

antiquo, & Sapphiro pulchriorem, ô quàm glorioſus apparuiſti in conſpectu Domini, illa pulchritudine, quam ipſe te induit? ô anima mea aſpice dilectũ tuũ luna pulchriorẽ, ſole ſplendidiorẽ, c *Candidum & rubicundum, electum ex millibus*, & lætare de eius gloria, ama eius pulchritudinem, & requieſce in ea. Hauriam etiam magnos affectus laudis & gratitudinis Chriſti Domini noſtri; quod tot annis corpus ſuum tanta gloria noſtri cauſa priuauerit, & quod nunc illam ei dederit deliberandam, quamuis ad modicum tempus & animo iterum eam ſubtrahendi, vt redemptionis noſtræ negotium commodius proſequeretur. O bone IESV quantas poſſum gratias tibi ago ob leuamen, quod afflicto & rigidè tractato corpori tuo hodie attuliſti concedendo, vt gloriæ dulcedinem quam pòſt reſurrectionẽ eſt habiturum, hodie delibet priuſquam dolores & paſſionis ignominias experiatur; ex hoc Domine aduerto, quantum tibi debeam, qui ſanctiſſimum tuum corpus per tot annos tanta gloria priuaſti quo poſſet in cruce tanta ignominia ſacrificari. O vtinam poſſem omnibus delitiis & perituris huius miſeræ vitæ voluptatibus renunciare, vt aliquid liceret pati ob tuum infinitum amorem! mallem Saluator mi tecum nunc eſſe in monte Caluariæ patiens, quam in monte Thabor gaudens; nunc præeligo pati, & quando tu dignaberis veniet etiam vt fruar.

c Cant. 5 10.

MEDI-

MEDITATIO XXII.

DE IIS QVAE IN IPSA Transfiguratione Christi euenerunt.

PVNCTVM I.

ET *ecce duo viri loquebantur cum illo, erant aũt Moyses & Elias, visi in maiestate: & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem.* a *Luc. 9. 30.*

IN hoc puncto *primum* est considerandum, cur Christus Dominus noster ex omnibus testamenti Veteris Prophetis, hos duos elegerit? *Prima* huius causa fuit, quod hi & notiores & excellẽtiores fuerint ob sanctitatis magnitudinẽ. *Deinde*, quod vterque fuerit valde zelans obseruationem legis, & vtilitatem populi sui, quo nomine plurimos labores pertulerunt. *Tertia*, quod vterque b *quadraginta dies ieiunauerit*, sicut ipse Christus Dominus. Et vterque in alio monte contemplatus fuerit Dei magnitudinem eiusque incarnationis mysterium, ideoque voluit Christus ab illis honorari, & honorare illos. Ex quo concipiam ingens desiderium virtutum, quę in eisdem sanctis resplenduerunt, ieiunij præcipuè, orationis, & zeli, I.

b *Exod. 34. 28.* 3. *Reg. 19. 8.*

vt

vt apud eundem Dominum bono sim loco, sicut illi fuerunt.

II. SECVNDÒ perpendam, duos istos S. Prophetas, *visos esse in* magno splendore & *maiestate*. Tum quod ita expediret honori Christi; quem veniebãt recogniturí suum Redemptorem, tum vt intelligeretur, sanctos debere esse Christo similes, in gloria & maiestate, sicut sunt in laboribus & ignominiis huius vitæ. O quàm fuerunt læti hi sancti eum videntes, quem à tot annis desideraverant & expectauerant, quo modo recognouerunt & tanquam Deum suum & Saluatorem adorauerunt! quas gratias eidem egerunt, quod ad eos redimendos venisset. Perpendens autem hos eorum affectus, excitabo, & ego in me eosdem simul cum illis.

III. TERTIÒ perpendam, de qua re cum CHRISTO Domino colloquerentur, *Dicebant* enim *excessum eius quem completurus erat in Hierusalem*, de Passione videlicet & morte ipsius, quæ plena fuit excelluitque in doloribus & ignominiis, sicut etiam in satisfactione pro nostris peccatis, quidquid enim in eo fuit, excellens, & plurimum fuit, vltra quam nos merebamur, & quam esset necessarium ad nostrum remedium.

O Dulcis IESV qualia hæc sunt colloquia inter tot gaudia? colloquia de passione & morte, cum tanta gloria & exultatione cohærent? c *si musica in luctu est impor-*

c Eccl. 22. 6.

tuna

tuna narratio, etiam luctus erit in ipsa musica; verum ex hoc coniicio, tuas musicas esse colloquia de passione, quia amor illa reddit iucunda. Hinc intelligam CHRISTVM Dominum nostrum, quamdiu vixit nec ad breue quidem tempus, requiem habere voluisse, sed miscuisse semper laborem, vt nos doceret gaudium in hac vita ad passionem esse dirigendum, & vt intelligamus eum qui in amando excedit libenter colloqui de eo quod amat, & quoniam impense amabat ipse passionem, in gratiam sui patris & nostræ vtilitatis, delectabatur valde colloquia de ea audire.

O excellens amator, concede mihi te amare sicut me amasti, quo pati delecter & de passione sermones miscere sicut tu fuisti delectatus. O vtinam omnes consolationes meæ ad ignominias & dolores cum excessu tolerandos dirigantur, quamuis verè non erit exeessus, siquidem quidquid pati potero, modicum censebitur, si cum eo conferatur, quod meis peccatis sum promeritus, aut cum eo, quod tu Domine pro eisdem pertulisti.

PVNCTVM II.

PETRVS *verò & qui cum illo erant, grauati erant somno, & euigilantes viderunt maiestatem eius & duos viros qui stabant cum illo. Et factum est, cum discederent ab illo, ait Petrus ad* IESVM, *Præceptor bonum est nos* [2] *Luc. 9. 32.*

hic

hic esse, faciamus hic tria tabernacula, vnum tibi, vnum Moysi, & vnum Eliæ nesciens quid diceret.

I. HIC inprimis perpendenda est, miseria & imbecillitas nostra, quod cùm Christus Dominus noster, orat ac vigilat, & in sua oratione transfiguratur, Apostoli dormiunt. Fas quidem est credere incepisse illos orare cum suo Magistro, sed quia oratio protrahebatur, præ lassitudine obdormiuerunt, in quo appareret, discrimen inter orationem feruentium & tepidorum, nam illorum *orationis*, vt Sapiens ait, b *melior est finis quam principium*, in fine enim obtinetur transfiguratio, sicut ostendit Christus in sua oratione, sed tepidorum orationis contra principium est melius quam finis, strenue enim inchoantes mox defatigantur, ideoque perfectam transfigurationem ad quam oratio dirigitur non assequuntur. Et si supra meipsum me reflectam reprehendam sæpè me in hac impingere, & iacturam facere fauorum quos mihi Deus concederet, si feruens in oratione vigilarem, vult tamen interdum Christus Dominus infinitam suam misericordiam nobis ostendere, & dormientem excitare extemporaneis suis illustrationibus, gloriam suam aperiendo, & consolationem quam meritus non fuerat communicando, sicut his Apostolis hîc accidisse videmus.

b *Eccl. 7. 9.*

II. DEINDE perpendam c gaudij illius immensitatem quod erit in æterna gloria, cuius vel vna guttula, quam S. Petrus degustauit dum

c S. *Aug. in Solilo. c. 21.*

Christi

Christi Domini corpus vidit glorificatum, ita illum satiauit vt voluerit æternùm ibi manere, ac doluerit, quod Moyses & Elias abierint, ideoque obtulerit tria ibi tabernacula facere, in quibus habitarent, nihil de se aut suis sociis cogitans, atque si in mundo non essent, aut talibus tabernaculis ad habitandum non indigerent. Rerum enim Cœlestium pulchritudo & suauitas, si gustetur, facilè efficit, vt rerum terrenarũ obliuiscamur, & cum Apostolo dicamus d *existimo omnia detrimentum esse & arbitror vt stercora, vt Christũ lucrifaciã*, & sim cum illo in gloria. e *O Deus meus quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te!* fac me vel vnicam guttam eius delibare, vt rerum omnium terrenarum fastidium concipiam solaq; cęlestia quæram.

d *Philip. 3. 8*

e *Psal. 30. 20*

TERTIÒ perpendam S. Petrum non sciuisse quid diceret, tum quod suauitate quâ in anima afficiebatur ebrius esset; tum propter horrorem quem habebat ad passionem & mortem Christi, de cuius sermone nihil delectabatur, potiùs optabat illam impedire, sicut re. ipsa tentauit 6. dies ante transfigurationem dicens Christo f *absit à te Domine non erit tibi hoc* quem CHRISTVS Dominus repulit dicens, *vade post me, satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Et cùm nunc audiret Moysen & Eliam confirmantes, ea quæ Christus de morte sua ante paucos dies dixerat, voluisset ipse hoc impedire & in eo feruore dixit, vt in eo loco

III.

f *Matth. 16. 22.*

perpetuò manerent. Sed neque hic sciebat quid diceret, quia Deus statuerat Christum mori, & quia hæc vita non est ad fruendum, sed ad patiendum, & orationis consolationes, non dantur vt in eis sistamus, sed vt, eisdem excitemur ad labores passionis. Et quia insignis est ignorantiæ non delectari ijs colloquiis quibus CHRISTVS delectatur, & cum in ipsius sis comitatu velle effugere ne eiusdem amplectaris voluntatem. O dulcis IESV, hoc mihi concede, vt amem quod tu amas, & ijs delecter quibus tu delectaris, atque delecter ea iucunditate, quam mihi in monte Tabor dabis, qua animer, vt libenter sim tecum etiam in monte Caluariæ. Amen.

PVNCTVM III.

Matt.17.5. 2.Petr.1.17 ADHVC *Petro loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos, & ecce vox de nube dicens, hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite.*

I. PERPENDENDVM hic *primùm* Patrem æternum & Spiritum sanctum, voluisse etiam hac occasione CHRISTVM Dominum nostrum honorare, eiusque authoritatem manifestare, quò ipsius personæ authoritas, dignitas & doctrina agnosceretur, quod etiam in ipsius Baptismo præstiterunt. Spiritus sanctus in nube, quæ significat copiosam doctrinam & scientiam & gratiarum ac donorum cœlestium abundantiam, quæ essent hominibus per Christum communicanda, & hęc nubes, non obscura fuit, sicut olim Deus ma-

nife-

nifestabatur in nube & nebula, sed lucida & splendens, vt significaret, cessasse iam figuras, ac peruenisse veritatē per illas significatam. Ipse quoq; Pater æternus authoritatem Filio suo voluit afferre voce illa quę prodiit ex nube, quæ ipsius Christi Domini etiam diuinitatem referebat, iuxta illud Ioannis, b *tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres vnum sunt* in diuinitate, & omninò conformes in testimonio quod de illa reddunt. b *1. Ioan. 5. 7.*

II.

DEINDE perpendam illa Patris ęterni verba: *hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Quibus ea confirmauit, quæ in eius baptismo dixerat, simul nos monens, statum filiorum Dei incipere in hac vita à Baptismo, perfici verò in gloria vbi accipiunt hæreditatem. *Hæc verba expensa sunt supra Medit. 3.* Hic verò adiecit *Pater ipsum audite* quasi diceret, audite quæ docet & præcipit, credite & exequimini quia Magister est vester, nō Moyses neq; Elias, estq; mea voluntas vt ipsum audiatis. O supreme Pater gratias tibi ob testimonium quod tribuis Filio tuo, placet mihi Dñe, eius doctrinam audire & amplecti, ipse enim dixit, c *mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me, & quæcunque à te audiuit hæc loquitur in mundo,* & cum illum audimus te audimus, ô dulcissime IESV, congratulor tibi, nouā hanc officij tibi commissi & magisterij muneris approbationē, & quandoquidē Pater tuus iubet te audiri, d *loquere Domine* ad cor meum, c *Ioan. 7. 16 & c. 8. 26.* d *1. Reg. 3. 10.*

meum, *quia audit seruus tuus*, cupiens id implere quod audierit.

PVNCTVM IV.

a *Matt.17. 7.*

ET a *audientes discipuli ceciderunt in faciem suam & timuerunt valde, & accessit IESVS & tetigit eos, dixit q; eis surgite & nolite timere.*

I. HOC facto docemur boni spiritus proprium esse initio cũ loquitur hominẽ turbare, postmodũ verò quietum cor & tranquillũ reddere, quod etiã b Danieli contigit. Sed tu anima mea perpende, si iucunda suauisq; Dei vox ita electos turbauit quid factura sit terribilis ac tremenda eiusdem vox, cum in auribus reproborum sonuerit? audi itaque nunc dulcis Magistri vocem, ne postea seueri iudicis vox te perterrefaciat.

b *Daniel. 10.12.*

II. *Leuantes autem oculos suos neminem viderunt nisi solum IESVM*, vt intelligerent de ipso solum vocem illã esse intelligendam, ipsumq; solũ ipsis sufficere absq; Moyse, & Elia. O mi amantissime discedant licet oẽs meq; deserãt, modo tu mecũ permaneas nihil mihi supereſt desiderandum: Moyses discedat, discedat Elias, abeant creaturæ omnes modo tu Deus meus non discedas, nec me deseras, securus maneo, contentus & satiatus.

III. DENIQVE *descendentibus illis de monte, præcepit eis Iesus dicens, nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Cupiés hanc gloriam latere ne esset impedimentum

passio-

passionis, & mortis eius. O profunda humilitas, ô ardens charitas redemptoris! vt gloriã suam manifestet, eligit montem & locum secretum, paucosque testes, quibus perpetuum imponit silentium quam diu ipse vixerit, vt verò mortem & ignominiam subeat mortem eligit & locum publicum, his adeo raris humilitatis exemplis superbiam meam confundere volens, meque ad laborum tolerantiam insignibus adeo charitatis operibus permouere. Concede mihi Domine te in his virtutibus imitari, siquidem in eum finem earum explum mihi præstitisti.

MEDITATIO XXIII.

DE IIS QVAE CHRISTO Domino cum filiis Zebedæi euenerunt, cùm ab eo peterent, ad dextram, & sinistram eius sedere in Regno eius.

SEQVEMVR *in hac Meditatione historiam prout refert S. Marcus, quod ita sit magis ad nostrum institutum, ad iungemus autem aliquid ex S. Matthæo. Et aduertendum est quod referre aut perpendere Apostolorũ defectus in ea occasione non est cum iniuria ipsorũ,*

sed cu exaltatione bonitatis & potestatis Christi Domini nostri, qui tunc illos sustinebat & docebat, sed postmodũ adeo illos mutauit, tantam eis sanctitatem & perfectionem communicans, quod ipsum habebit locum in aliquot meditationibus subsequentibus.

PVNCTVM I.

POSTQVAM Christus passionem & resurrectionem suam Apostolis prædixisset, a *accedunt* (ait S. Marcus) *ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi dicentes, Magister volumus vt quodcunque petierimus facias nobis.*

a *Marc. 10. 35.*

Ambitionis proprietates.

Circa hoc punctum perpendendæ sunt in his duobus fratribus proprietates ambitiosorum modusque & ratio, qua vtuntur ad orandum & impetrandum, quod ambiunt.

I.

PERPENDAM ergo *primùm* hos duos Apostolos, cum à Christo Dño audiuissent, quam b *multa esset passurus*, quia tamen etiã audiuerũt ipsum *resurrecturum*, ac regnaturum, oblitos prioris, posterius arripuisse, & optima loca in eius regno desiderasse, cum aliqua ambitionis & honoris concupiscentia. Ex quo apparet, qua ratione affectus ille ambitiosus, qui sensus obtundit, ne intelligãt quid sit ignominia ad eam appetendam nos inclinet, eosdem tamen aperit, vt capiant quid sit honor & vrgeant desiderium illum procurandi.

b *Matt. 16. 21.*

II.

DEINDE perpendam eosdem Apostolos, qui tunc valde erant imperfecti ambitionẽ & im-

per-

perfectionē ſuam in ipſo modo orandi & petendi aperuiſſe, dicentes, *Magiſter volumus vt quodcunque petierimus facias nobis* in quibus verbis, tres fuerūt imperfectiōes, prima quod ſe oſtēderint ſuę voluntati addictiſſimos tanquam regulam eam adhibentes, eorū quæ petebant, & quæ Chriſtus deberet illis cōcedere. Ex qua imperfectione altera illa proceſsit, hoc eſt defectus reſignationis proprię voluntatis in ipſius Chriſti voluntatem, quia nō dixerunt, Magiſter ſi vis, aut ſi poſſibile eſt, aut ſi nobis ita expedit, ſed abſolute inquiunt *volumus*, conantes Chriſti voluntatem ad ſuam pertrahere, non vero ſuam Chriſti voluntati cōformare. Et hinc tertia imperfectio manauit, præſumptio videlicet in petendo à Chriſto Domino noſtro adeo generaliter, vt illis faceret quidquid ipſi peterent, atque ſi certi, ac ſecuri eſſent, ſe quod iuſtum eſſet petituros, aut Chriſtum non debere illis denegare, quod ipſi petere auderent, abutentes ipſius Chriſti promiſſione qua dixerat, c *petite & dabitur vobis, omnis enim qui petit accipit*, & d *dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis credite, quia accipietis, & euenient vobis*. In quo toto tanquam imperfecti errabant, nam oratio quæ Chriſto Domino noſtro placet, non ab amore proprio, ſed ab amore Dei, non à propria voluntate, ſed à deſiderio diuinam exequendi procedere debet, nec gloriam noſtrā, ſed Chriſti quęrere debet. O ſupreme Magiſter, hoc mihi tribue, ne petā vnq̄, quod

c *Matt. 7. 7.*
d *Marc. 11. 24.*

propria appetit volũtas, sed quod sit tuæ consentaneum: nec permittas me temere dicere, da mihi quod ego volo: sed supplex petam: da mihi quod tibi placet.

III. TERTIÒ perpendam, qua ratione duo isti fratres in vnam petitionem tam facilè conuenerunt, solet enim caro & sanguis facilè in honoris ambitionem conuenire, qui tamen vt ambitionem celarent & negotium facilius expedirent, noluerunt ipsi per seipsos petitionem proponere, sed matrem solicitarunt, vt peteret quod ipsi desiderabant, & ita Sanctus Matthæus ait, *Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis adorans* exteriori reuerentia *& magni aliquid ab eo petens*. Et quoniam illa veluti interpres erat voluntatis filiorum, Sanctus Marcus ipsos dicit accessisse, vt peterent quod mater pro illis petiit, vt hinc constet, ambitionem etiam ipsis qui ea laborant in specie displicere, ac propterea, eam occultare, & honorem vel dignitatem ita quærere vt alij non aduertant eos tale quid ambire. Ex altera verò parte valde sunt soliciti in mediis omnibus carnis, sanguinis & mundi huius adhibendis, quæ ipsis ambitio tanquam apta & opportuna ad finem suum consequendum suggerit. Et propterea Dauid tentationem huius vitij appellat *negotium perambulans in tenebris*, ambitio enim est subtile malum, venenũ secretum, pestis occulta, fraudum textrix, mater hypocrisis, fons inuidiæ,

Mat. 20.20

D. Bernar. Serm 0. in Psal. 96.

origo

origo vitiorum, tinea virtutum, vt vermis omnem destruens sanctitatem. quare supplex Dominum orabo, vt g *scuto circundet me veritas eius* & ab hac ambitiosa negotiatione defendat, quæ tantum ipsis negotiantibus detrimentum adfert. g *Psal 90.5.*

PVNCTVM II.

DIXIT *eis Iesus quid vultis, vt faciam vobis? & dixerũt, da nobis vt vnus ad dextram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria & regno tuo.* a *Marc. 10. 36.*

HIC primùm perpendam prudentiam & sapientiam Christi Domini nostri, qui etsi nouerat occulta cordis vtriusque Apostoli, non tamen illos statim reprehendit; nec dixit nolite petere quod vultis, quia non expedit; sed expectarunt vt ipsi ambitionis suæ vulnus aperirent, & ore venenum exspuerent, nec tamen dixit eis daturum se quidquid peterent, vt nos doceret, non esse prudentis in genere offerre quidquid alij à nobis petierint, præcipuè cùm illi sunt imperfecti, continget enim tales aliquid mali petere, aut imperfectum quid, sicut accidit Herodi quando filiæ Herodiadis dixit, b *quidquid petieris dabo tibi* quæ instinctu matris petiuit caput Ioannis Baptistæ. I. b *Marc. 6. 23.*

DEINDE perpendam hos duos fratres etiamsi scirent se simul cum Petro, cæteris omnibus Apostolis à Christo præferri, grauiter tamen tulisse, Petrum ipsis prælatum, ac pro- II.

pterea petiuisse vtrumque locum Christo proximum, vnum ad dextram, alterum ad sinistram, vt nec ipse Petrus ipsis præferretur. Estque fas credere ambitionem illam, si fuisset vlterius progressa, etiam ipsosmet fratres ab inuicem disiuncturam fuisse, vterque enim manum dextram quæsiuisset, vt alteri præferretur. Ex quo intelligam huius vitij inquietudinem, quod nec socijs, nec proprijs fratribus parcat, & quantò securius sit eligere, (sicut Christus ipse docuit) c *nouissimum locum*, infra quem nullus sit alius, & nolle vel vni soli præferri, alioqui hoc ipsum d cordis mei pacem turbabit, & fructum humilitatis auferet. O humilitatis magister Christe IESV, qui nec Barrabæ præferri voluisti; sed vltimum locum in hominum opinione tibi elegisti, supplex oro adiuua me, vt eundem mihi etiam eligam, rationi enim est consentaneum, discipulum id sibi eligere quod videt talem magistrum sibi elegisse.

c *Luc. 14. 10*

d *D Bern. serm. 37. in Cant.*

III. TERTIÒ considerabo, ambitionem adres omnes se effundere, corporeas & spirituales, primatum in omnibus inordinatè quærés, sic enim hi Apostoli, aut desiderarunt maximam excellentiam in regno & gloria Christi, existimantes statim post resurrectionem, regnum ipsius futurum temporale, sicut Iudæi existimabant, aut si credebant fore regnum spirituale, ambiebant maximam in eo excellentiam, non vt sanctiores essent, sed

vta

vt alijs in maiori veneratione essent. Et hinc proueniebat, vt medijs valdè inordinatis, eam ambirent. Vterque autem hic superbiæ & ambitionis modus displicet valdè Christo Domino nostro, vt mox apparebit.

PVNCTVM III.

AIT *illis Iesus, nescitis quid petatis*. circa hæc verba considerandi sunt errores orationis ex parte nostra, quia non scimus quid petamus, ex eo enim prouenit, (ait S. Iacobus) a *vt petentes non accipiamus, eò quod malè petamus.* a *Iac. 4. 3.*

PRIMVS error est, excellentiam aliquam aut temporalem dignitatem, aut quid terrenum petere, absque resignatione in Dei voluntatem, & non adhibita conditione, si ad nostram salutem expediat illud obtinere. I.

SECVNDVS error est excellentiam aliquam spiritualem petere etiam in virtutibus, non adhibita puritate intentionis necessaria, eam prætendentes non tam ob Dei gloriam, quam nostram. II.

TERTIVS est aliquam in his excellentiis petere, quæ nostra merita valdè excedit, & singularis est, aut extraordinaria, altiorque quàm existimemus, sed petimus tamen illam ex ignorantia & humilitatis defectu, sicut qui peteret extases, reuelationes, alioſve huiusmodi fauores, sicut sponsa III.

quæ

b *Cant.1.7.* quæ dixit, b *indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie,* & responsum accepit, *si ignoras te egredere & abi.* quasi illi dictum esset, plus petis quam sis promerita quia teipsam ignoras. IV. *Quartus* error est easdem spirituales excellentias petere, solis precibus aut aliorum intercessionibus, non habita ratione propriorum meritorum aut operum. Etsi enim orationes sint necessariæ, non tamen illæ sufficiunt, nisi opera accedant & labores, quibus ad eas recipiendas disponamur, multoque minus sufficiunt, quando ad impetrandas adfertur prætextus carnis & sanguinis, aut solius cogitationis, quæ apud Deum parui fiunt, vt res adeò excelsa propterea tribuatur. V. *Quintus* error est huiusmodi excellentias quæ in præmium & coronam vincentibus dari solent, petere ante pugnam & commeritum præmium.

His omnibus de causis, iuxta variorum doctorum expositionem, dixit Christus Dominus noster, duobus his Apostolis, *nescitis quid petatis*. Quare in alieno capite experimentum accipiens, diligenter attendam quid petam, qua intentione, quo medio & modo, illud petam, ne & ego illud à Christo audiam, nescis quid petas. O bone Iesu qui Apostolis tuis dixisti, c *quodcunque petieritis in nomine meo hoc faciam*, concede mihi id solum petere quod in nomine tuo petere deceat, vt petēs quod tibi placet, des mihi quod petiero. O Spiritus sapientissime, cū sim ego adeò igna-

c *Ioh.14.13.*

rus, vt

rus, vt d *quid orem sicut oportet nesciam* nec modum quo petere expedit, vtrumque me doce, vt petenti quod me docebis & inspirabis non dicatur nescis quid petas.

d *Ro.8 26.*

PVNCTVM IV.

ADIECIT Christus: a *potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo quo ego baptizor baptizari?* quasi diceret, sufficientesne in vobis vires ad hoc experimini & paratine estis ad hæc toleranda?

a *Mar.10. 38.*

HIC perpendendum est primùm, magnum esse Christi Domini nostri beneficium, cùm aliquid petendo aut in modo petendi erramus illud nobis negare, nosque è vestigio in vtroque dirigere, ob oculos nobis proponendo quod par est ab ipso petere, sicut fecit cum his duobus dilectis Apostolis, nunc & aliàs cum ipsi interrogarent b *ius dicimus vt ignis descendat de cœlo & consumat illos!* Samaritanos. *Et conuersus increpauit illos dicens, nescitis cuius spiritus estis. Filius enim hominis non venit animas perdere sed saluare.* I.

b *Luc. 9.55.*

Ex quo discam gratias Deo agere, non solùm ob ea quæ mihi tribuit, sed ob ea etiam quæ vt Pater negat quando nescio quid petam, meque instruit vt petam quæ petere debeo.

DEINDE charitatem & suauitatem Christi Domini in hac sua interrogatione perpendam, qua suos Apostolos ad labores suæ pas- II.

sionis

sionis verbis, exemplis, & efficacibus rationibus allatis inuitauit, eos docens, medium ad dextram vel siniſtram quam ambiebant obtinendam, illud erat aptiſſimum, ſi calicem quem ipſe bibebat, & illi biberent, & eo baptizarentur baptiſmo, quo ipſe erat baptizandus, ad quod eos exemplo ſuo prouocabat.

NAM ſi ſupremus cœli terræque monarcha, ad thronum ſuæ gloriæ occupandum peruenit hauriendo iſtum calicem, quãtò magis eſt rationi conſentaneum eiuſdem ſubditos non peruenire eò, vt c *ſedeant cum ipſo in thronis* ab ipſo promiſſis, niſi eundem calicem bibant, & quid mirum eſt diſcipulos eum bibere, quem bibit ipſe Magiſter? ô dilecte mi, ſatis mihi eſt, quod eum calicem tu biberis, & gratum ſit tibi me eundem bibere, vt ad id præſtandum me offeram.

c *Luc.* 22. 30

ET quamuis nec ad dextram tuam aut siniſtram in regno tuo ſedes mihi eſſet, felicem & fortunatum me iudico, quod poſſim illum bibere, quia præcipuum mihi præmium eſt multa facere & pati pro te, vt gratus ſim, ob plurima quæ tu feciſti, & paſſus es pro me.

III.

TERTIÒ perpendam Spiritum latentem, in eo quod Chriſtus Dominus noſter paſſionem & mortem ſuam d *calicem & baptiſmum* appellauerit, alludit enim ad antiquam conſuetudinem occidendi malefa-

d *Luc.* 12. 50

ctores oblato illis venenato hauſtu, aut in aquis ſuffocando, ad ſignificandum, ſicut calix mortis ingrediente veneno in hominem eum occidit, & baptiſmus ſuffocat totum hominem in aquas ſubmergendo, ita ad Chriſti Domini paſſionem & mortem, conueperunt duo genera cruciatuum (ſicut in quarta parte dicetur) alij enim fuerunt interni, qui ſanctiſſimam eius animam penetrarunt; alij externi, qui etiam corpus afflixerunt. Et quamuis ſanctus Matthæus dicat interrogaſſe Chriſtum, poteſtis bibere calicem *quem ego bibiturus ſum*. Sanctus Marcus tamen dicit, *quem ego bibo* quia reuerà deſiderio & repræſentatione interna continuè illum bibebat, eratque propè, vt exterius quoque in ſua paſſione biberet. Et vtrumque magnum continet myſterium, quia dirigebatur ob reprimendam internam & externam diſcipulorum ambitionem, eos inuitans, ad eam reprimendam eo calice & baptiſmo tot laborum & contemptuum, eos corde deſiderando & aggrediendo re ipſa.

e *Pſal. 68. 2. &c.*

In eius Introduct. §. 1. & in Medi. fundamēt. punct. 2.

IV.

VLTIMÒ conſideranda & alia cauſa myſterio plena, ob quam dixit, *poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* ſit enim in ſacra ſcriptura mentio multorum calicum, quos tamen Chriſtus Dominus non omnes exhauſit. Vnus eſt enim calix paſſionis & laborum, alius eſt calix gloriæ & præmij, qui eſt ſors beatorum, alius eſt calix iræ Dei & eius pœnarum quæ ſunt ſors

f *Pſal. 115. 13 15. 5 25. 5. 74 9. Iſai 51. 17.*

damna-

damnatorum. Primum bibit Christus Dominus noster & ad eũ bibendum nos exhortatur, & qui eum biberit, bibet etiam secundum quem Christus bibit, & non gustabit vltimum, sicut nec Christus gustauit. Sed qui laborum calicem bibere recusat, ac propterea legem Dei cõculcat, non gustabit secundum, & eueniet illi sorte tertius. Quare anima mea accipe libenter tuæ salutis calicem licet amarissimum, nam temporali hac amaritudine expedies te ab æterno, bibesque excellentem calicem, qui inebriat, videns & summo gaudio Deum amans.

V. HAC consideratione fingam mihi Christum Dominum nostrum idem me, quod suos Apostolos interrogare dicens, tantumne animi tibi est & paratus es bibere calicem quem ego bibi, & eo baptismo baptizari, quo ego baptizatus fui? & mox cor meum ingressus, meipsum examinabo, num vere tantus mihi sit animus, & ea mihi adsit promptitudo, vt respondere annuendo possim, sicut mox dicemus, & si eum non habere deprehendo, contendam assequi prædictis considerationibus.

PVNCTVM V.

AT *illi* Iacobus & Ioannes *dixerunt ei: possumus*. IESVS *autem ait eis: calicem quidem quem ego bibo bibetis, & baptismo; quo ego baptizor baptizabimini sedere autem ad dextram meam, vel ad sinistram, non est*

meum

meum dare vobis, sed quibus paratum est Patre meo.

PERPENDENDVM hic *primùm* ex triplici capite prouenire posse, quòd quis ad calicem hunc bibendum se offerat, dicatq; absolutè: *Possum*. 1. ex ambitionis spiritu: qui vt ad magna instigat, ita etiam ad ipsa media, quæ ad ea consequenda iudicantur apta, etiam cùm aliquam humiliationem coniunctam habent: quia per ea sperat se ad altiora peruenire. 2. ex spiritu feruenti, sed cæco, ignaro, & inexperto, qui in cumulo vt dicitur, & in genere pati vult. quod quidem multis facilè videri solet: quia & pugna siue bellum est iucundum ei, qui nunquam in eo fuit: ideoq; facilè existimat esse, calicẽ hunc bibere, qui nunquam illũ gustauit. 3. ex Christi spiritu, qui huiusmodi desideria suis electis inspiret, vt etiã in particulari sese offerant ad eos labores tolerandos, quos Christus ipse sustinuit. Et hoc spiritu excitatos fuisse hos duos fratres ad dicendũ verbum illud: *Possumus*, credible est: si non tũc cum illud dixerunt, at certè cum reipsa desideriũ illud opere compleuerunt. Ex eodẽ spiritu debeo ego me ad idem offerre, non meis viribus confidẽs, sed Christi virtuti & gratię, dicens cum Apostolo: a *omnia possum in eo qui me confortat*: qua gratia confortatus potero, & volo bibere calicem, quem ipse bibit. I.

a *Phil. 4. 13*

DEINDE perpendam, magnã esse Christi Domini gratiã & fauorem, quod nobis calicem suæ passionis bibendum propinet, sic e- II.

nim duobus his dilectis Apostolis, illum obtulit. Sed non caret mysterio, quod alter illorum reipsa pro Christo mortuus fuerit, alter verò etsi plurima pro eodem passus, mortem tamen obierit naturalem, vt ostendatur, calicem passionis Christi non solùm mortem ipsam sicut martyres mortẽ obeundo, bibi, sed etiam patiendo sicut confessores. O dulcissime magister, eum mihi feruorem concede, vt ex ore tuo audiam & reipsa experiar, calicem meum bibes & baptismo meo baptizaberis, vt patiens tecum, ad regnandum etiam tecum perueniam, Amen.

III. TERTIÒ consideranda est infinita sapientia, bonitas & charitas Christi Domini nostri, quæ in vltimis ad hos duos Apostolos verbis elucet. Nam etsi sessionem ad dextrã & sinistram suam eo prætextu quem ipsi proponebant, negauerit, alio tamen id ipsum illis concessit. Atque si distinctiùs illis dixisset, nó ex officio mihi incumbit, nec decet vt vobis quia mihi cognati estis, neque ob solam intercessionem & preces absque merito & labore vestro ad dextram vel siniſtram meam, vos assidere faciam, meũ est tamen idipsum illis concedere, quibus est à Patre meo constitutum, quales illi sunt qui calicem meum biberint, & in mei obsequiũm, explentes quæ illis mãdauero, laborauerint. At porrò quoniam vos calicem meum bibetis, id hoc nomine vobis præstabo postquã illum exhauseritis, Pater. n. meus, cuius est homines ad cœlum prædesti-

nare

nare ita statuit, vt prędestinati ad magna prę-
mia non perueniant, nisi per magnos labores.
O dulcissime Iesu, Deus vere, cui æque atque
Patri tuo competit, sedes & loca in tuo regno
disponere, vehementer exulto, de ea rectitu-
dine, quã adhibes, tantæ suauitati coniunctã.
Et siquidẽ tuum non est indignis sed dignis se-
des huiusmodi conferre, b *& regnum disponere, sicut pater tuus disposuit*. fac me quæso dig-
num gratiâ tuâ, vt aliquam illarũ obtineam in
gloria Amen.

b *Lu.22.30.*

PVNCTVM VI.

ET *audiẽtes decẽ* Apostoli, *indignati sunt Iesus autem vocauit eos ad se, & ait, scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicunq; voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus, sicut Filius hominis, non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.*

a *Mat.24. Mar.10.46.*

PRIMVM perpendenda est magna imbecil-
litas & miseria hominum, nisi à diuina gratia
perficiantur, nam etiam cum 10. Apostoli au-
diuissent Christi Domini nostri responsum
adeò efficax, vt stultam filiorum Zebedæi am-
bitionem reprimere posset, nihil tamen apud
illos effecerit, potius in idẽ vitiũ impegerunt
indignati contra illos duos, quod quæsiuissẽt,
ipsis præferri. Ex quo apparet quantum detri-
mentum adferat malum exemplum, quamq;

I.

sit ambitio pernicioſa in cõmunitatibus, adferens illis diſcordias, inuidias & indignationes.

II. DEINDE conſideranda Chriſti Domini noſtri manſuetudo, quæ non eſt indignata, aut in ambitioſos, aut in eos, qui contra illos fuere indignati, ſed ſpiritu amoris omnes congregans, omnes ſui erroris admonuit, ambitionemque duobus exemplis repreſſit, altero quod fugere debent, altero quod ſequi. Quod fugere debent, eſt exemplum principis huius mundi, qui in eo ſuam excellentiam ponunt, vt ſubditis imperent cum imperio & tyrannide eosque ſub pedibus ſuis collocent: vos autem inquit totam veſtram excellentiam in eo ponite, vt omnibus ſeruiatis, ſitisque potius omnium ſerui Et hac via ad altitudinem Regni mei peruenitur, quam qui obtinuerit, in eundem finem tenere debet. Exemplum quod ſequi debent eſt ipſius vita, nã ego inquit etiamſi veſter ſim magiſter, vobisque maior ac primus in Regno Patris mei, veni tamen in mundum, non vt mihi miniſtraretur, ſed vt ego alijs miniſtrarem, eſſemque omnium vltimus, ſicut eſt ſeruus, in eamque vitam grauiſſimis tormentis ac deſpectibus pro hominum ſalute traderem. Quare ſi mei eſtis diſcipuli attendite ſicut ego ad hoc veni in mundum, ita vos ad idem in meam ſcholã peruenisſe. O dulciſſime magiſter, audiui excellentem lectionem, quam mihi prælegiſti, ex nunc non amplius mundi exempla diſcere volo,

volo, quæ in meam vergunt damnationem sed tua quę mihi sunt ad salutem & perfectionem. Et quandoquidem gratia tua ad tuam me scholam deduxisti; adiuua me vt in praxim deducam lectionem quam in ea audiui, ad gloriam sanctissimi nominis tui. Amen.

MEDITATIO XXIV.

DE MENDICO LAZARO & diuite Epulone.

Luc. 16. 20.

HAEC historia quam Christus Dominus noster retulit, ad exemplum & experimentū nostrum, est viua quædam effigies, felicis mortis iustorū, qui passionis eius calicem bibunt, & contra infelicissimæ mortis, ac supplicij peccatorum, qui illum abiicientes babilonicum a *poculum* bibunt, quod S. Ioannes *aureum* esse commemorat, quia honoribus & diuitijs confidit, *quod* tamen *abominatione & immunditia plenum est.*

a *Apoc. 17. 4*

PVNCTVM I.

CONSIDERANDA imprimis est mendici Lazari vita, quę fuit continuū quoddam patientiæ exercitium, in tribus aut quatuor præcipuis circumstantiis, quibus ad magnam peruenit sanctitatem, & vt in se

Lazari patientia.

exprimeret, quod Christus postea est passus.

I. PRIMVM ergò fuit singularis in tolerandis grauissimis vulnerum doloribus, erat enim à planta pedis vsque ad verticem capitis sicut alter Iob plenus, non potens ab vna in alterâ partem se mouere, sed iacebat ad portâ auari diuitis, hoc ipsũ tolerans magna conformitate cum Dei voluntate, absque rancore, murmuratione aut querelis.

II. DEINDE excelluit in extrema paupertate, inopia & fame toleranda, quam tanto silentio sustinebat, vt nec verbis quidẽ eleemosynam petiuisse dicatur, sed ostensis tantummodo vulneribus.

III. TERTIÒ hæc ipsa sustinebat omninò derelictus & in hominũ contemptu, nam cũ tanta fame premeretur, vt *cuperet saturari de micis quæ cadebant de mensa Diuitis, & cùm nemo illi daret*, non de diuitis crudelitate aut seruorum eius conquerebatur. Accedit etiã quod hæc omnia pateretur, ipsis oculis cernens quãta abundantia & copia alijs suppeteret quod solet propriæ inopiæ dolorem augere.

IV. QVARTÒ ad eam peruenit miseriam *vt canes ad eũ venirent & lingerent vlcera eius*, adeoq; manc us & inutilis erat, vt neque eos ipse abigere posset, neque qui illos remoueret inueniretur. Quod si existimemus hanc fuisse ingenitam canibus pietatẽ, hoc ipsius mendici pœnam auxisset, cùm in canibus inueniret pietatẽ, quã non experiebatur ab hominibus. Ex quo apparet quod perfecta patientia, omne

genus

genus calamitatum amplectitur, siue illæ ex propria natura proueniant, quales sunt morbi; siue per manus hominũ, quales sunt deprędationes & similes iniurię; siue à creaturis ratione non vtentibus, quales sunt feræ, vespæ, Cyniphes; siue à frigore, glacie alijsq; temporũ iniurijs, siue deniq; quas dęmones procurant & inferunt: quibus id impletur quod S. Iac. Apost. dixit, *patiẽtia opus perfectũ habeat, vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes.* a *Iac.1.4.*

His gradibus peruenit Lazarus ad tantã sanctitatem, vt eius vitæ & laborũ Christus Dominus voluerit esse historicus, & eam in exemplũ sanctitatis proponere. Et in ea videtur passionem propriam delineasse, in qua & ipse fuit vulneribus plenus in extrema paupertate & tanta ab omnibus desertione, vt cùm in in cruce pendens aquæ guttã desideraſſet, nec qui illã daret repertus est, nec qui ei compateretur, suis itaque Christus Dominus cruciatibus Lazari vulnera confirmauit, nosque docuit breuem & expeditam ad sanctitatem viam, esse pati dolores, rerũ indigentiã, deseri ab alijs & contemni, amplectentes in omnib⁹ diuinam ipsius voluntatẽ, in omnibus inquã, nã in aliquo horũ, quando solũ est diuinæ nos volũtati conformare, nõ est res magnã, sed qñ oẽs sunt simul, heroicæ virtutis est æquanimiter oẽs tolerare, non.n. heroicũ est morbũ ferre, qñ adsũt diuitię, & homines qui adsunt, indulgent & cõpatiuntur, nec magnũ est, inopiã ferre, quando adest qui illã subleuet, sed oẽs

hasce calamitates ferre & neminem esse qui subueniat, heroicæ virtutis est, & illi quam Christus habuit simillima. O IESV vulnerate, pauper ac deserte, adesto mihi gratia tua vt sanctissimam tuam patientiam, & Lazari huius mendici possim imitari, voluntatem meam, cum tua in meis calamitatibus conformando, siquidem in eum finem hæc mihi proponis exempla.

PVNCTVM II.

Felix Lazari mors.

I.

GLORIOSAM Lazari mortem deinde considerabo, de qua Christus Dominus dixit, *factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* In quo *primùm* perpendam, Lazari mortem fuisse finem dolorum paupertatum, ac temporalium desertionum, principium verò quietis, diuitiarum, & æternorum honorum. Et quamuis mors eius quoad corpus fuerit vilis, & apud homines contemptibilis, quoad animam tamen pretiosa fuit in oculis Dei, qui angelos suos misit, vt illam ad Abrahæ sinum vt cum iustis requiesceret deferrent; & quamuis ad hoc vel solus angelus eius custos sufficisset, voluit tamẽ Deus plurimos angelos, & angelorũ exercitũ ad illam honorandam & comitandam venire. O quam læta exiuit anima illa ex corpore suo! quam exultans cum tam illustri comitatu, quot congratulationes de sua victoria ab Angelis accepit,

quam

quam verò contra Dœmones confusi erubuerunt. Vere DEVS meus iam video, a *quàm pretiosa sit in conspectu Domini mors Sanctorum eius*, quamuis vlcerosi, pauperes & contempti fuerint in mundo. O vtinam b *moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.*

a *Psal.115.3.*

b *Num. 23. 10.*

EXPENDAM *Deinde* quanta gloria mendici huius anima in cœlo fruatur, quando ex Lymbo translata fuit, & qua etiam corpus afficietur in resurrectione, nam ob eius vlcera immenso nunc afficitur gaudio, ob paupertatem æternas possidet diuitias, ob nuditatem gloriæ habet vestem, ob famem, satietatem æternam, ob desertionem & hominem contemptum, protectionem & honorem à Deo & angelis eius. O quàm bene collocatos nunc iudicat labores omnes quos in hac vita sustinuit, iudicans nimirum, c *quod in præsenti fuit illi momentaneum & lene tribulationis, supra modum, in sublimitate æternum gloriæ pondus in se fuisse operatum.* Excitare anima mea ad patiendum aduersa in hac vita, quandoquidem tanta requies & gloria te expectat in futura.

II.

c *2. Cor. 4. 17.*

PVNCTVM III.

CONSIDERANDVM tertio quantum honorem Christus Dominus etiam in hac vita huic mendico tribuerit præcipuè in duobus. *Primùm* fuit quod eius nomen cuius in mundo nulla erat memoria, voluit nobis reuelare, & quidem vt in suo Euangelio

I.

perpetuò ſcriptum maneret, vt omnes eius memoriam retinerent, diuitem verò illum auarum nec nominauit, nec in ore ſuo accepit, vt pauperes & contempti intelligant ſe non eſſe in obliuione apud Deum, & quod de nomine illos agnoſcat, & eorum curam gerat, & ſuo tempore illos promulgaturum & honore affecturum, & vult eos in Eccleſia ſua in honore eſſe, ſicut S. Paulum primum Eremitam, S. Franciſcum & alios quorum nomina dudum fuiſſent obliuione ſepulta, niſi fuiſſent ſancti, & vt appetitum retundamus, quo noti & in mundo nominati eſſe cupimus, & vt nomen noſtrum operaque noſtra ſciantur, Deo potius hanc curam relinquentes.

II. SECVNDVM fuit quod eundem canonizauerit tanquam ſanctum, gloriamque reuelauerit, quam ab angelis in morte ſua accepit, vt omnes eum pro tali habeant, & in Eccleſiæ templa illi ædificentur & imagines exponantur, cuius ſi reliquię haberentur, eas etiam veneraremur, iuxta illud Dauidis d *nimis honorati ſunt amici tui Deus*, nominatim verò hæc fecit Chriſtus, vt oſtenderet excellentiã patientiæ in calamitatibus & miſerijs, ſola ſiquidem ſufficit ad teſtimonium ſanctitatis, vt qui eas ſuſtinet, vt ſanctus cannonizetur, qui enim Dei voluntati ſe in patiendo ſubijcit facilius ſubijciet in obediẽdo, vt autem aliquis fiat ſanctus inſignis, ſufficit ſi Deo in omnibus obediat, & æquanimiter toleret quæ ipſi ordinat aut permittit, modo prædicto. O

d *Pſ.138.17.*

Deus

Deus æterne gratias maximas tibi ago pro honore quem tuis exhibes seruis, erigens de stercore pauperem, vt eum colloces cum cœli Principibus: Concede mihi, eius patientiã & obedientiam imitari, vt tua cum eo fruar gloria. Amen.

AD hæc tria puncta reduci potest, quidquid de vnoquoq; sancto meditamur; *Primum* est ipsius vita & virtutum gradus, quibus ad tantam sanctitatem imitatione Christi peruenit; *Secundum* est, eius felix mors & præmium, quod in illa Deus illi contulit; *Tertium* est honor, quo Deus illum etiam in hac vita affecit, dum etiam inter homines præmium tribuit meritorum.

PVNCTVM IV.

QVARTÒ consideranda est execranda auari diuitis vita è diametro contraria vitæ iusti Lazari. Nam vniuersa eius vita fuit continuũ quoddam superbiæ & auaritiæ exercitiũ, indulgentię in seipsũ, duritiei verò cordis in reliquos. Superbiã & sensualitatẽ ostendit in vestitu, *induebatur .n. purpura & byſſo*, purpura propter vanitatẽ; byssо propter indulgentiã: quę etiã in victu erat, *quia epulabatur quotidie ſplẽdidè*, ob iactantiã, delicatis verò cibis vescebatur, ob gulositatem, & quotidie vsq; ad satietatem comedebat ac bibebat. Auaritiam ostendit, quia diuitiis in propriam tantum vtilitatẽ vtebatur, magnam

Auari diuitis vita.
1.

cordis

cordis duritiem & crudelitatem in pauperes ostẽdens, quibus adeo misericordiam & eleemosynam denegabat, vt nec micas quidem quæ ex mensa ipsius cadebant illis largiretur, nec vlla commiseratione tangebatur, vlcerosi & esurientis pauperis, qui ad ianuam eius iacebat, in quo propriis canibus crudeliorem se ostendit, quibus tamen aliquid comedendum proiciebat, nihil vero pauperibus. Hinc proueniebat, vt eius domestici similes ipsi essent, discẽtes facilè exemplo Domini sui non misereri pauperum, siquidem nemo fuit domesticorum qui pauperis illius misereretur. His gressibus in grauissima incidit peccata, exhauriens totum maligni huius mundi spiritum, qui innititur a *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ*, tale enim est, quidquid est in mundo, contrarium prorsus spiritui Christi.

a 1. Ioan. 2. 16.

II. QVAM ob causam adeo illum Christus est detestatus, vt etiam eius vitam enarrans, nec nominare voluerit, vt ostenderet quantoperè illum detestaretur & sperneret, & quod nec agnoscceret, nec approbaret, cuius nomen ex libro vitæ esset deletum, velletque nullam ipsius apud homines esse memoriam. Et eodem modo cæteris paribus omnes eos detestatur qui illo ducuntur spiritu, vel omninò, vel ex parte, quærentes vanitatem, sensualitatem & propria commoda, quamuis cum detrimento proximorũ. ex quo licet coniicere quam sint repugnantia Christi Domini, & mundi huius

iudicia,

iudicia. Lazarus enim in oculis mundi huius erat infelix, in oculis Christi felicissimus. Contra dives, in mundi oculis erat felicissimus, apud Christum verò infelicissimus, Christus enim humilis fuit, & in seipsum rigidus, mollis verò in reliquos, & tales vult ipse habere seruos. O dulcis IESV, ex toto corde detestor purpuræ superbiam, & byssi delitias, cum tu purpura quidem vestitus fueris, sed ad irrisionem, nudus verò in cruce pependeris; nolo conuiuia, nec delitias in cibis, cum tu hordeaceos comederis panes, tibique in cibum & potum fel & acetum porrexerint. Nolo nomen meũ inaniter per mundum promulgari, ne tu illud deleas è libro vitæ, aut mei oblitus è regno tuo repellas.

PVNCTVM V.

CONSIDERANDA quintò est infelix huius diuitis mors, & cruciatus, quibus afficitur in inferno. Statim enim ac *mortuus est dives, sepultus est*, (vt Christus dixit) *in inferno*. Mors itaque eius, finis fuit eius diuitiarum, deliciarum & vanitatũ; initium verò miseriarum, cruciatuum & contemptuũ, quibus afficietur in æternum. Ex hac vita nihil eorum, quæ habebat, secum abstulit, præter vitia & peccata, quæ illius tormentorum essent alimentũ: in quo propterea locum habuit illud Iob, a *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. Nam etsi primo aspectu mors eius suauis appareret; sed

I. Infelix diuitis mors.

a *Iob. 21. 13.*

vlti-

vltimus tamen vitæ terminus, fuit principium eius pœnæ. O punctum horrendum, finis vitæ delectabilis, quæ breui finitur; & initium vitæ miserrimæ, quæ nunquam finietur. Si in hoc puncto ad inferna descendero, b *quid mihi profuit superbia? & diuitiarū iactantia, quid mihi contulit?* præstat ergo in laboribus ducere dies vitæ huius, & in puncto in cœlum ascendere, vt illorum fructu præmioque fruar.

b Sap. 5. 8.

II. Mox Christus Dominus, vt infelicis huius diuitis pœnas aperiat, de illo ait; *eleuans autem oculos suos cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit; pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguā meam, quia crucior in hac flammā.* In his monemur, damnatos affici tormentis, culpis suis proportionatis, ideoque infelix hic diues quatuor atrocia sustinebat. *Primum* flammarum, quæ totum eum à pedibus ad caput cooperiebant, ob vanitatem & delitias purpuræ & byssi, quibus inducbatur. *Secundum* fuit in lingua, quę, vt fuit instrumentum gulę & garrulitatis, ita comburebatur ab igne; horrendaque fame & rabida siti cruciabatur. *Tertium* fuit inuidiæ, cùm videret per reuelationem, felicem Lazari sortem: vt propterea ausus nō sit quicquam ab eo petere; sed ipsum Abrahamū accesit. *Quartum* fuit desertionis & contemptus omnium, in pœnam suæ

crude-

crudelitatis: neque enim apud Abrahamum misericordiam inuenit, nec gutta aquæ, quam petebat, est illi cõcessa: quia ipse micas panis negauerat pauperi, & ideo non meruit misericordiam obtinere: quia non fecit ipse misericordiam. O DEVS iustissime, quàm sunt iusta iudicia tua; & quàm proportionatæ pœnæ tuæ peccatis nostris; quomodo non timeo rigorem iustitiæ tuæ; quomodo non tremo ad pœnas illas inferni! Libera me Deus à tui offensione, ne veniant super me iræ tuæ: aperi oculos diuitum, vt experimentum capiant in hoc diuite; oculos etiam aperi pauperum, vt non inuideant diuitibus.

PVNCTVM VI.

PERPENDAM sexto, responsum Abrahami diuiti datum, quo promulgauit illi immutabilem diuinæ iustitiæ sententiam, a *Fili* inquit *recordare, quia recepisti bona in vita tua & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris; & in his omnibus inter nos & vos chaos* hiatus *magnum firmatum est; vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint; neque inde huc transmeare.* a Luc. 16. 25.

DVAS partes complectitur hæc sententia, *Prima* est, quod dives receperit in hac vita bona temporalia, hoc est, magna sua voluptate illa est cõplexus, collocans in illis suam felicitatem; & acceptans eadem in præmium aliquorum operum bonorum; mutata autem sorte, in pœnã malorũ, nunc habet cruciatus & I.

tormen-

tormenta. Contra verò Lazarus in hac vita recepit mala & calamitates, quas patienter complectens, eis purgauit culpas, in quas fortè inciderat: in præmium verò bonorum operum, quæ fecerat, mutata sorte, magna nunc accipit bona & inæstimabiles delitias. Quare vtramque horum hominum sortem cõferens, eligam mihi illam, quæ est Lazari: neque enim possibile est, in hac vita sortem habere diuitis; & in altera mendici: si autem mendici sortem hîc habuero; ea mihi erit consolatio, quòd in futura nõ mihi cõtinget sors diuitis. O anima mea, attente considera, quam in hac vita sortem eligas: ex ea enim dependet, qualis in altera tibi continget. tremas ad prosperitates temporales; quia fortè præmium erit operum tuorũ; & postea commutabuntur in aduersitates æternas. Contra verò lætum te ostende ad huius vitæ aduersitates; quia Deus illas tibi mittit, in pignus & arrham prosperitatum, quas tibi conferet in futura. *Secunda* pars est, quòd non sit transitus ex inferno ad cœlum; nec ex cœlo ad infernum. nullus itaque beatorum vnquam è cœlo exibit ad condemnationem: decretum enim Dei in hoc est absolutum, firmum, & immutabile: vt suo loco dicetur.

Meditat. 51. 6. Part.

II. VLTIMÒ expendam aliam petitionem, quam miserrimus iste proposuit Abrahamo; quam tamen ille similiter denegauit: cùm Lazarus (ait) ad me venire non possit, b *Rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domũ Patris mei:*

b *Luc. 16. 27.*

habeo

habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Quod non dicebat ex charitate, sed quòd fratrum in infernum aduentus, ipsius pœnam esset aucturus ob culpam, quam malo suo exemplo illis dato contraxit. O miseria horrenda damnati, cuius pœna crescit aspectu bonorum, quos priùs despexerat; & societate malorum, quos operâ sua iuuit; quare & boni & impij, ipsi sunt carnifices; & omnia illi conuertuntur in damnum, sicut c *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Et ait illi Abraham: habent Moysen & Prophetas: audiant illos*, hoc enim illis est satis. cui diues dixit, *nō* credo Pater Abraham id̄ sufficere illis, sicut nec mihi suffecit. *Sed, siquis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent: Ait autem illi Abraham, si Moysen & Prophetas non audiunt; neq; siquis ex mortuis resurrexerit credent.* Facilè enim dicent, esse aliquod phantasma, aut subesse fraudem: & multò est certiùs testimonium sacræ Scripturæ, quæ à Deo est reuelata; quàm testimonium mortuorum. Ex quo concludam, quantum mea referat intelligere, & fide viua credere, quod Deus de vita futura in scriptura Sacra & Euangelio reuelauit; meamque vitam huic fidei conformem instituere; experimentum in alieno capite accipiens. Si enim cæcus fiam, & indurescam, ne audiam quod fides me docet; etiam excæcabor, & indurescam, ne credam quod mortui dixerint, si ad me venirent. Quòd si id credere

c Rom. 8. 28

dere nolo, quod mortui dicerent; præstat audire, quod scriptura Sacra de eisdem refert: atque si eosdem ipsos audirem, illud Ecclesiastici semper nobis occinentes, d *memor esto iudicij mei; sic enim erit & tuum; mihi heri & tibi hodie* sicut Meditatione II. primæ partis expendimus.

d *Eccl. 38. 23*

MEDITATIONES DE ALIQVOT MIRACVLIS A CHRISTO in conuersione peccatorum, & ægrotorum sanatione patratis.

VO miraculorum genera Christus Dominus erga homines fecit præter illa quæ circa insensatas creaturas vinum, panem, & Mare patrasse diximus: Quædam fuerunt spiritualia, peccatores, qui in peccatis suis consenuerant, conuertendo; alia corporalia, ægrotantibus morbis incurabilibus sanitatem reddendo, aut mortuos suscitando. Et, teste S. Thoma, plerumque secundum primo coniungebat, animæ simul & corpori sanitatem restituendo; & sanando, vt ipse CHRISTVS dixit, a *totum hominem*, tàm exteriorem quàm interiorem, priùs tamen illum ad perfectam hanc sanitatem recipiendam disponendo. Quare dum corporale

3. p. q. 44. a. 3.

a *Ioan. 7. 23*
1 *Luc. 5. 20. 24. de Paralitico.*

mira-

miraculũ meditamur, perpendẽdus est spiritualis effectus, quem in infirmo efficiebat; & quem, in vtilitatem nostram, idem significabat. Nam, vt corporis morbi animæ morbos indicant; ita horum curatio occultam illorum curationem referebat. Quæ omnia in subsequentibus meditationibus apparebunt, incipiemus autem à conuersionibus peccatorum, quarum Euangelistæ mentionem faciunt. *Ioan.5.14.*

MEDITATIO XXV.

DE CONVERSIONE B. Magdalenæ.

ROGABAT IESVM a *quidam de Pharisæis*, nomine Simon *vt manducaret cum illo, & ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quòd accubuisset in domo Pharisæi*, venit ad illum, & *attulit Alabastrum vnguenti.* a *Luc.7.36.*

PERPENDENDAE hîc sunt primùm huius peccatricis qualitates: cùm enim hoc nomine appellatur, insinuatur eius peccata fuisse carnalia, profunde radicata, & scandalosa, ob huiusmodi enim peccata, peccatrices solent mulieres nominari. Sed Euangelista non expressit horũ peccatorum speciem, nam vt Apost. ait, b *nec nomen* quidẽ *huiusmodi peccatorum* decet *in vobis nominari.* Sed quoniã postea I. b *Ephes.5.3.*

c *Luc. 8. 2.* c *Marc. 16. 9* S. Lucas, & Marcus dicunt Christum ab ea *septem dæmonia eiecisse* colligitur eam innumeris peccatis obnoxiã fuisse, quæ septinario illo numero intelligũtur; & quòd septem Lethalia peccata, & dęmones, qui illa suggerũt, hospitiũ, & mansionẽ in eius anima inuenissent. Ex quo duos affectꝰ eliciam, alterũ timoris, de imbecillitate mea; experimentũ in ipsa Magdalena accipiens; quæ, ob leuia nõ vitata, in multa & grauissima peccata prolapsa est; & quod illi euenit, cõtingere & mihi potest. Alter affectus est confidentiæ, de misericordia Dei: apud quem enim peccatrix hæc remedium inuenit, confidam me etiã illud inuenturum; si, vt secutus sum peccantem, sequar etiam pœnitentem.

II. DEINDE perpendam occasionem, quam hęc mulier habuit ad Christum Dominũ nostrum accedendi; quæ fortè fuit, quòd aliquam eius concionem audiuerit; & quòd eius mansuetudinem sciret, qua recipiebat peccatores; & super omnia, cęlestis inspiratio, quæ illã magno lumine illustrauit; non graues illi pœnas propter peccata minando; sed obligationes aperiendo, propter quas teneretur, omnium Creatorẽ præ creaturis diligere, totumq; amorem suum in eo collocare, quẽ collocabat in creaturis. O pater Cœlestis de quo Christus dixit: d *Ioan. 6. 65.* d *quia nemo posset ad ipsum venire, nisi fuerit ei datum à te,* e *Trahe* me ad eius seruitiũ *in vinculis charitatis,* dolentẽ, quod eũ offenderim, e *Osee 11. 4.* qui tot nominibus meretur ab omnib. diligi.

TER

TERTIÒ perpendam promptam illam obedientiam, qua peccatrix hæc diuinæ inspirationi & impulsui paruit: non enim exspectauit, donec CHRISTVS ad hospitium suum rediret, in quo manere consueuerat; sed statim atque cognouit, vbi Christus manducaret, etiam in domo aliena, tempore conuiuij, & inter alios inuitatos accessit, vt eum quæreret. Vt ex eo discam ego, bona proposita non differre; ac diuinis inspirationibus respondere, præcipuè circa meam conuersionem, memor illius dicti Sapientis, f *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* III.

f *Eccl.5.8.*

PVNCTVM II.

ET a *stans* hæc peccatrix *retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat*, quod secum in Alabastro attulerat. In hoc adeò insigni opere perpendenda est perfectæ huius mulieris pœnitentia, & excellentes virtutes, quas hic ostendit. a *Luc.7.38.*

PRIMA fuit magna FIDES ac diuinitatis & Christi misericordiæ æstimatio: credidit enim, ipsum esse Deum, cui soli cõpetit condonare peccata; credidit etiam, se nullo verbo prolato, sicut reuera nullũ protulit, intelligi; & quidquid in corde haberet, ab ipso cognosci; eumq; scire, ad quid illa veniret, quidque I.

peteret. Alij ad Christũ accedebãt, vt morborũ corporis remediũ peterẽt; de hac sola muliere peccatrice legimus, quod venerit, vt spiritualium morborum tantùm remedium impetraret, & veniam peccatorum.

II. SECVNDA virtus fuit heroica HVMILITAS, qua suum honorem contempsit; nihil curans, quid conuiuæ eam videntes de illa dicerent.

b *Ioan. 3. 2.* b *Nicodemus* venit ad Christum, vt eum de suis dubiis consuleret, sed *venit nocte* & humano timore plenus. At Magdalena venit ad Christum, vt animæ salutem impetraret: sed venit de die, & amoris diuini plena; humanos omnes timores calcans, & quidquid homines dicerent contemnens, quia totum cor suum in eo collocauerat, vt Deum placaret? Nec solum insignem humilitatis gradum habuit dum in conspectu hominũ promptam sese obtulit, vt ab illis contemneretur; sed alterum etiam humilitatis gradum apud Deum obtinuit, dum non ausa ante eius faciem comparere, præ pudore suorum peccatorum, *stetit retro*, seque ad pedes Christi proiecit. O anima mea, humilia te corã Deo, & hominibus; c *qui* enim *se* in omnibus rebus, & coram omnibus hominibus *humiliat*, c *coram Deo inueniet gratiam*, eritque postea venerationi angelis, & ipsis etiam hominibus.

c *Eccl. 3. 20.*

III. TERTIA virtus fuit DOLORIS interni amore pleniſſimi, cui magnos orationis & deuotionis affectus coniunxit, quos illis externis signis manifestabat, nam lacrymis

pedes

pedes Christi rigabat, malos suos gressus deplorans, & ipsius Christi gratia lauari supplicans; eosdem pedes capillis suis tergebat, petens à culpis mundari; eosdem osculabatur, petens cum ipso reconciliari, & pacis osculum veniamque sibi concedi; vnguento illos vngebat, petens se ipsius Christi virtutibus vngi, sublato à se peccatorum fœtore, d *& in corde tantum suo loquens, vox penitus non audiebatur, e tacensque delictum suum illi cognitum faciebat plusque f orationem suam*, quàm ipsum vnguentum *in conspectu* Christi *effundens*, miserias suas, & insignem earum sensum aperiebat. Ex his discam excellentissimum quendam orandi modum, non verbis sed affectibus; quos externis actionibus signisque ex igne cordis procedentibus manifestabo, quales sunt gemitus, suspiria, pectoris tunsiones, manuum eleuationes, genuum flexiones vsque ad terram, cum humilitate eam osculando, & similes, quibus sancti, vt seipsos ad deuotionem excitarent, vti consueuerunt, ignis enim qui intus in sinu ardet, statim apparet in vestibus, & spiritus deuotio statim erumpit in corpus.

d 1. Reg. 1. 13
e Psal. 31. 3 5.
f & 141. 3.

QVARTA virtus fuit, EXTERIOR POENITENTIA, qua quæ ipsi perditionis causa fuerant, ea fecit instrumenta satisfactionis: dum oculos suos, capillos, labia odores pretiosos, & seipsam totam in Christi seruitio expendit, oblita sui, & omnium quæ non faciebant ad placandum Dominũ suum. IV.

Opere ipso explens, quod postea Sanctus Apostolus faciendum consuluit, Rom. 6. 19. g *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiei & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* O feruentem pœnitentem! ô diuinæ inspirationis efficacitatem! Tange me Domine tanta efficacitate, vt viscera mea omnia contremiscant, omnesque facultates ac sensus, in te placando occupentur, h *vt sicut fuit sensus meus vt errarem à te, decies tantum iterum conuersus requiram te.*

h *Bar. 4. 28*

PVNCTVM III.

a *Luc. 7. 39.* VIDENS *autem Pharisæus, qui vocauerat* IESVM, *ait intra se dicens: hic, si esset Propheta, sciret vtiq; quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est.* Cõsidera hîc duo grauia iudicia temeraria huius Pharisæi, alterum in Christum, alterũ in Magdalenam, vtrumque ortum ex eo, quòd ipse superbus esset ac præsumptuosus.

PRIMVM iudicium fuit, quo iudicauit, Christum non nouisse, quæ illa esset mulier, ac propterea ipsum non esse prophetam; aut si illam nouit, ipsum non esse sanctum, quòd se ab ea tangi, & eo contactu se maculari permitteret. In vtroque autem grauiter errauit, secutus cæterorum Pharisæorum, qui etiam superbi erant, dictamen, quorum illa est apud Isaiam sententia, b *qui di-*

b *Isai. 65. 5.*

cunt

cunt recede à me, non appropinques mihi: quia immundus es: quorum pœnam subijcit Propheta dicens: *Isti fumus erunt in furore meo; ignis ardens tota die*, pœnas reddentes erroris quidem sui, fumo, superbiæ verò, igne. O bone Iesu, propheta sancte, sapiens & humilis, nouisti bene Domine, quæ illa sit, quæ tangit te, ac propterea tangi te permittis: vt hoc contactu illa sanctificetur, te impolluto manente; non enim refugis à peccatoribus tangi; quò à suis illi peccatis mundentur.

II. SECVNDVM iudicium temerarium fuit, quo de illa muliere iudicaris, quòd quæ antea peccatrix fuisset, etiamnum talis esset; cùm tamen sufficientia haberet indicia, quibus eã talem nunc non esse, posset iudicare, quam ad Christi pedes adeò largiter flere videret. Intelligam ex hoc quàm errent superborum hominum iudicia, qui audent adeò temerè aliorum corda & intentiones quæ soli Deo reseruantur, iudicare: malum ex bono ita haurientes, vt ex quo commiserationem & ædificationem sumere deberent, inde occasionem arripiant, proximum contemnendi. Nominatim verò aduertam in hoc Pharisęo, deceptionem quandam valdè pernitiosam aliquorum, imprimis suis appræhensionibus adeò pertinaciũ, vt quẽ semel improbitatis nota signauerint, nunquã amplius sibi persuadere possint eundem esse probum; adeoque semper illum suspectum habent, vt quamuis aperta videant signa eius in melius mutationis, fidem nullam

adhibent, & difficiliùs ipsi proprium iudicium mutent, quàm malam alij vitam. Quod si tales sint superiores, occasionem subditis adferunt desperationis, quia non credunt eorum pœnitentiæ, sicut crediderunt culpæ; In quo etiam infinitæ Dei bonitati iniuriam faciunt, cuius est proprium, obliuisci peccatorum, si quem illorum pœnitet, & honore ac fauore prosequi eum, qui, etsi peccauit aliquandò, emendauit se tamen.

PVNCTVM IV.

2 *Luc.* 7. 40.

INTELLIGENS [a] Iesus Pharisæi cogitationes *dixit ad illum, Simon habeo tibi aliquid dicere, at ille ait, Magister, dic.* in hoc perpendam diuinam Christi sapientiam, qui, vt iudex est vniuersalis, aspiciens peccatricem, & pharisæum, vtriusque tacentis cogitationes cognouit, tam bonas illius pœnitentis, quam peruersas & temerarias pharisæi: de quibus ipse admirabile, iustissimum, ac misericordia plenissimum iudicium fecit, illas approbando & has condemnando, vtrumque in vtilitatem vtriusque. Cœlesti enim prudentiâ respondit pro illa muliere, vt illam honorans, pharisæo præponeret; repressit verò pharisæi temeritatem vt eam curaret: ostendens se esse Prophetam, & agnoscere, quæ illa esset mu-

lier,

lier, cuius cognosceret cogitationes.

SIMVL autem magnam ostendit humilitatem & modestiam: nam cùm Simon illum inuitasset, essetque in illius domo, cùm illum corripere statuisset, prius ciuiliter ab eo quasi licentiam petijt, verbum aliquod dicendi: nec tamen statim atque illam obtinuit, illum reprehendit aut condemnauit; sed plausibili quadam parabola sensim illum disposuit. vt hinc discamus mansuetudinem, & modestiam, quæ adhiberi debet in corrigendis viris peritis, amicis, & magnatibus, quò nostra correctio fructum illis adferat: sicut etiam fecit *Nathan propheta*, qui iussu Domini corripuit Dauid Regem, cui peccatum illius proposuit sub quadam parabola, qua illum induxit ad veram pœnitentiam. b 2. Reg. 12. 7

PARABOLA, qua Christus vsus est ad Simonem, hæc fuit, *duo debitores erant cuidam fœneratori; vnus debebat ei denarios quingentos & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque: quis ergò eum plus diliget? respondens Simon, dixit; æstimo quia is, cui plus donauit, at ille dixit ei, rectè iudicasti.* supra hanc parabolam, considerandum primum in genere mysterium, quod in se claudit, expendendo, quis ille sit creditor, & qui debitores? quis plus & quis minus debeat? vnde fiat, vt non habeãt vnde reddant, & qua ratiõe II.

vtrique donetur, ac denique quis debitorum plus amet eum qui ipsi donauit.

I. PRIMVM creditor est Deus, quem nostris peccatis offendimus, & habet aduersum nos scripturam obligatoriam, quam Apostolus vocat c *chirographum decreti*; *quod erat contrarium nobis*, est inquam chirographum illud Dei decreto firmatum, quo peccatores rei fiunt pœnæ temporalis & æternæ, quam peccata nostra meruerunt. Et quoniam infinitè sapiens est ac potens, non potest debitor illum decipere, aut effugere.

c *Col.* 2 14.

II. DEBITORES sumus homines, quorum aliqui plus, aliqui minus debēt, ob plura & grauiora peccata. Aliqui debent quinquaginta, quod 5. suis sensibus decem legis Dei mandata sint transgressi; alij debent quingentos, quia eadem sæpius violarunt, contemnentes etiam Ecclesiæ præcepta, & propria status ipsorum, & denique legis euangelicæ, quæ centenario numero significata, perfectionem complectitur. Inter hos ego meipsum numerabo, persuasus, me plus debere quàm cogitem; sunt enim multa debita ipsi debitori occulta, quæ creditori sunt manifesta, quorum causa dixit Dauid, d *ab occultis meis munda me Domine.*

d *Psal.* 18. 14.

III. TERTIÒ hi debitores non possunt debitum reddere; e *Quia non poterit ei respondere vnum pro mille*. est enim impossibile nostris viribus Deo pro nostris culpis satisfacere; aut mereri vt nobis illa dimittat; aut chirographum de-

e *Iob.* 9, 3.

leat

leat obligationis, quod contra nos habet: quod propterea semper integrum remâsisset nisi ipse Deus ex infinita sua misericordia factus fuisset homo, & passione ac morte sua f *illud deleuisset, & è medio sublatum cruci affixisset*, cuius virtute gratis nobis condonat culpas mediâ pœnitentiâ, vt obstringat nos ad ipsum amandum ex toto nostro corde, ob infinitam ipsius bonitatem quam ostendit, dum tantum debitum adeò vili mancipio cõ donat: quò illud ad ipsum reamandum, eidemque seruiendum prouocet. f *Col. 2. 14.*

IV.

Ex quo fit, vt qui maior fuerit peccator, postquam Deus illi donauit, magis obstrictus hoc nomine maneat ad plus amandum, eò quòd maius acceperit beneficium, in tam longa ad pœnitentiam expectatione, & grauiorum culparum remissione, & à grauioribus pœnis liberatione.

Etsi cœlesti lumine hoc beneficium agnoscat, ita faciet, gratum se, ei qui illud contulit, ostendendo. Et eo respicit hæc parabola. Nam plus aut minus Deum diligere, non tam ex eo dependet, quod maior aut minor fuerit peccator; quàm quòd plus aut minus peccatorum suorum grauitatem agnoscat. Et quia superbi (qualis iste erat Pharisæus) parum existimant se Deo debere; exiguamque habent culparum suarum cognitionem, quas paruas esse existimant; ita parum Deum diligunt, quia beneficium remissionis illarum paruum existimant. Qui verò se graues iudi-

cant

cant peccatores, & multitudinis ac grauitatis peccatorum suorum profundam habent cognitionem, multum Deum amant, quando illis remittuntur; iudicantes, magnum hoc esse beneficium. O Deus liberalissime & benignissime, ex toto corde desidero te diligere, siquidem loco supplicij, quod te offendendo promerui, peccata mea mihi donas, vt te diligam; fateor multa esse grauiaque peccata mea; & pro eis cupio, multa & magna seruitia reddere.

PVNCTVM V.

HIC perpendam, qua ratione Christus Dominus hanc parabolam mulieri, qui se magnam peccatricem existimabat, & Pharisæo qui iustum se, aut minus peccatorem putabat, accommodauerit, nam a *conuersus ad mulierem, dixit Simoni, vides hanc mulierem? intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti,* vt, si voluissem, eos lauarem; *hæc autem lacrymis rigauit pedes meos,* & non linteo aliquo, sed *capillis suis tersit; osculum mihi pacis non dedisti; hæc autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos; oleo caput meum non vnxisti, hæc autem* pretioso *vnguento vnxit pedes meos; propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, cui autem minus dimittitur,*

a *Luc. 7. 44*

min*us*

minus diligit, atque si diceret, mulier hæc existimat, se multum debere: ideoque maius à me beneficium expectat, vt tantum debitum illi remittam; ideoque me dilexit multum, vt opere ipso ostendit: & ego illi multa donaui peccata, quia hoc suo amore se ad id benè disposuit. tu autem existimas te parum debere; ideoque paruum expectas beneficium, etiamsi tibi donem: & propterea parum diligis.

PRIMVM hic considerandum, Christum Dominum exemplo magnorum peccatorum, qui conuertuntur, confundere plerunque eos, qui se iustos existimant; ideoque suadet nobis, vt illos inspiciamus & attentius consideremus, dicens, *vides hanc mulierem?* vides eius lachrymas? suspiria? humiliationem, confusionem, & tot inuentiones, quas iuuenit ad placandum Deum, vides inquam hoc totum? perpende igitur totum bene, & erubesce, quòd tam parum tu facias, quo Deus tibi ignoscat. I.

NAM b *amen* (inquit ipse Christus) *dico vobis quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei*, & eos qui se iustos existimant. b *Mat. 21. 31*

DEINDE perpendam magnum aliquem peccatorem, feruenti aliquo actu plerumque ad excellentiorem charitatem & sanctitatem peruenire, quàm iustus quispiam tepidus multis actibus, & multis annis, II.

nis, sicut hic euenit Magdalenæ. Et simul obseruabo, quam sit generosa ratio veniam peccatorum impetrandi, multum Deum amare; amor enim disponit ad veniam peccatorum impetrandam, & cum ea incedit, crescit, & augetur, dum se obstringi videt ad amandum eum, qui tanta illi remittit: O Redemptor mi, erubesco in præsentia huius adeò feruentis pœnitentis, meam aduertens extremam tepiditatem, c *laua quæso Domine sordes huius filiæ Sion*, animæ videlicet mendicæ meæ in *spiritu iudicij, & spiritu ardoris*, iustitiæ spiritum & charitatis ignem mihi communicando, vt te multum amem, qui tam multa mihi donasti.

c *Isai. 4. 4.*

PVNCTVM VI.

a *Luc. 7. 48*

DIXIT *autem Iesus ad mulierem, remittuntur tibi peccata. Et cæperunt qui simul accũbebant dicere intra se, quis est hic, qui etiam peccata dimittit. dixit autem ad mulierem, fides tua te saluam fecit, vade in pace.* Perpendam hic primùm efficacitatem illius verbi *remittuntur tibi peccata*, quo Christus Dominus à culpa simul & pœna Magdalenam absoluit, & copiosam ei gratiã communicauit, vehementer ipsa exultante, dum illa verba audiret. Et nos decet etiã exultare, siquidem etiam nunc quando confessarij nos absoluunt, eisdem verbis vtuntur, quæ eundem quoque efficient effectum, si habuerimus eandem dispositionem.

ELV-

ELVCET etiam hic modestia Christi Domini, qui aduertens circumstantes hærere, quòd audirent, ipsum dimittere peccata, noluit eam remissionem, suæ liberalitati, sed peccatricis fidei tribuere; dicens illi: *fides tua te saluam fecit*, fides videlicet viua, quam de mea diuinitate & potestate, & spes amoris plena, quam de mea misericordia habuisti, salutis tuæ causa fuerunt. II.

DENIQVE perpendam, quàm affixa hæreret Magdalena pedibus Christi, à quibus, etiam post optatam veniam peccatorum obtentã, non volebat discedere, donec illi Christus dixit, *vade in pace*, quandoquidem pacificata iam es cum Deo, & intra teipsam plenariâ tuorum peccatorum indulgentiâ, & plenâ tuarum passionum sensualiũ victoriâ; totum enim hoc, fas est credere, concessisse liberalitatem huius Domini ei, quæ tantoperè ipsum dilexit. Ac propterea fortassis ei non dixit, quod alijs peccatoribus dicere consueuit, *noli amplius peccare*, vt qui agnosceret magnã firmitatem illius conuersionis, ob copiosam gratiam, & amorem, quem illi impertiuit. O felices illos qui cum humilitate & charitate ad Christi pedes accedunt, à quibus tam feliciter expediti exurgunt. Accede ô anima mea, magnâ ad eosdẽ pedes confidentiâ; amplecte magno amore, statue firmissime, eorũ vestigia sequi; nec ab eis recedas, donec ipse tibi dixerit, *vade in pace*. III.

MEDITATIO XXVI.

DE CONVERSIONE SAMARITANÆ.

PVNCTVM I.

a *Ioan. 4.5.*

TRANSIENS Christus à Iudæa in Galilæam per Samariam a *venit in ciuitatem quæ dicitur Sichar, erat autem ibi fons Iacob, Iesus ergò fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem, hora erat quasi sexta* (hoc est meridies) *& tunc venit mulier de Samaria haurire aquam.*

I. PERPENDE hic primùm labores ac defatigationes Christi Domini nostri in suis profectionibus & peregrinationibus ob animarum vtilitatem: nam pedes iter faciebat, & absque aliquo leuamine, etiam in ipso meridie, & prolixis itineribus. O supreme pastor, quàm tibi care stat, perditas oues quærere? tantum enim subis laborem, vt vnam quæras, atque si essent multæ! quoties in itineribus sudasti, defatigatione corporis te adinterdum sedendum compellente, vt aliquod leuamen acciperes; gratias tibi, Domine, pro hac lassitudine, cui compatior, quia grauiores alias prænuntiat: paulò siquidem post,

aliud

aliud leuamen non habebis in meridie, quàm durum crucis lectum.

DEINDE eiusdem Christi Domini charitatem considerabo, non enim dum ad fontem sedit, tam quæsiuit corporis sui quietem, quã venari voluit animam illam, quam sibi præelegerat; nunquam enim passus est præterire occasionem, animabus benefaciendi. O incarnata sapientia, quam dulci & admirabili prouidentia b *eos præoccupas, qui,* à te aberrantes te concupiscunt *vt illis te prior ostendas,* c *qui te non quærunt inueniunt, & ijs, qui ante non te interrogabant, dixisti, ecce ego ecce ego!* Si Magdalena te quæsiuit, tu id ei inspirasti, eamque traxisti; & si mulier hæc Samaritana te inuenit, id factum est, quia tu iuisti vt eã quæreres. Suggere mihi Domine, vt te quæram; quære me, vt te inueniam. II.

b *Sap 6.14.*
c *Isai. 65.1.*

HINC vlteriùs ascendam, vt videam, quã sint mirabilia Dei secreta, circa animarum conuersionem, ad quam occasiones disponit, quando nihil minus illæ cogitant. Erat hæc mulier peccatrix, & carnalis, quæ cùm quinque viros habuisset, nunc erat cum altero in concubinatu. immò sanctus Chrysostomus & alij doctores dicunt, cum quinque etiam prioribus fuisse in concubinatu: & quod dicitur, quinque viros habuisse, non intelligi de maritis legitimis. Cùm igitur talis hæc mulier esset, & venisset haurire aquam, nihil minus, quam de salute sua cogitans, inuenit ibi Christum, qui III.

Chrys. in Ps. 13. Maldonatus hic

extraordinario fauore, & admiranda efficacitate, ac suauitate illam prosecutus, eius qualitati, & conditioni sese accommodauit, vt mox apparebit.

PVNCTVM II.

a *Ioan. 4. 7.*

VENIENTI Samaritanæ ad fontem, a *dicit ei Iesus da mihi bibere, dicit ei mulier, quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana, non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. respondit Iesus, si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petijsses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.*

Pareitas hominis ad Deum: & liberalitas Dei ad hominem.

I.

IN huius colloquij initio proponitur omninò ad viuum, qualis homo sit erga Deum, qualisque Deus erga hominem, quæ duo sunt capita spiritui vtilissima.

PRIMVM igitur considerabo, quâuis Christus Dominus corporali siti premeretur, vt qui ex itinere defatigatus, & in meridie eò peruenisset, multò tamen maiorem spiritualem sitim eum habuisse salutis illius animæ, sicut in cruce, cùm dixit: sitio. Et quia qui sitit, magno gustu haurit aquam, in seipsum illam immittendo; ita Christus Dominus noster maxima sua voluptate bibit ac recipit animas, quas in viscera sua immittens, amore sibi illas incorporat. & hoc desiderio dixit: *da mihi bibere.* O Iesu dulcissime, quàm optarem innumeras tibi animas offerre, quibus

sitim

sitim tuam expleres; ecce meam: accipe illam, tibique ita coniunge, vt nunquam à te separetur.

DEINDE perpendam, Samaritanam non solùm aquam Christo denegasse; sed eum etiam reprehendisse, quòd illam peteret, & secum loqueretur. in quo depicta nobis proponitur parcitas, inurbanitas, & rusticitas hominum erga Deum; cui negant, quod ille petit: siue petat per secretam inspirationem, siue per communem suam sanctam legem, siue per superiores, siue per pauperes petentes eleemosynam: neque vnquam illis desunt excusationes & prætextus, ad denegandum, quod petitur; immò reprehendunt obliquè, & conqueruntur, quod multa & grauia ab ipsis petantur, & molestè ferũt ipsum colloquium, & familiaritatem cum Deo. Quod totum prouenit, ex eo, quòd, sicut Samaritana, non nouerunt, quis iste sit magnus Deus, qui illa petit; nec eum æstimant, vt par esset; quia penè extinctam fidem habent. II.

TERTIÒ perpẽdam responsum Christi Domini, in quo apparet infinita eius charitas & liberalitas erga hominem. Nam loco vltionis de nobis sumendæ, (vt facere statuerat b *Dauid de Nabal* quòd ei negasset, quæ petiuerat) nos denuò inuitat, vt ea bona ab illo petamus, quæ nobis desunt, cupiens vt agnoscamus, quis sit Deus, & quanta eius dona, & excitetur in nobis desiderium ea petendi. Et propterea Samaritanæ dixit, *si scires donum* III.

b *1. Reg. 25. 22.*

Dei, quem præsentem habes, qui est vnigenitus eius filius, donatus mundo, vt Spiritus S. donum, & reliqua gratiæ suæ dona ei communicet, & si scires qualis occasio tuæ salutis nũc tibi offertur, & quis est hic q petit à te bibere, tu fortè ab eo petiisses, & est ipse adeò liberalis, vt nihil tibi negaret, sicut tu illi negas, potiùs tibi quandam aquam daret, non mortuam, sed viuam, ex qua tua ipsius vita dependet.

IV. ET vlterius adhuc infinita eius liberalitas progreditur; nam vehementius ipse desiderium ostendit, sua dona communicandi, quam homines habent eadem petendi, etiam postquam illa cognouerunt. Nam in primo, nullam adhibet dubitandi rationem, cùm in secundo adhibuerit, ait enim, si scires, quis est, qui petit à te bibere, *tu forsitan ab eo peteres:* quia enim libera es, fieri potest, vt spirituale bonum, quod cognoscis, non desideres; ne aliud, quod magis diligis, prætermittas; si tamen, vt decet petiueris, absque dubio tibi dedero, *dedisset tibi* quia omnibus dixi: c *petite & dabitur vobis*. Quamobrem ait S. Augustinus, Erubescat humana pigritia quia plus paratus est Deus dare, quàm nos accipere. O mundi Saluator illustra animam meam, vt Dei donum agnoscat; & me ad petendum efficaciter permoue; vt illud obtineam, & mox tibi dicam d *Dilectus meus mihi, & ego illi*. qualis mihi est dilectus meus; talem me illi exhibere par est, vt quicquid à me petit,

c *Mat. 7.7 D. Tho. in illud Iac. 1. 5. qui dat omnibus affluenter.*

d *Can. 2.16*

tit; eidem, sicut ipse mihi dat quicquid peto. imò desiderabo vt aliquid petat, vt statim illi annuam: sicut cupit ipse multum à se peti, vt multum mihi det. Ipse mihi est donum, siquidem totum se mihi gratis donat: & ego illi ero donum, me totum ei donans, non ob aliam mercedem, quam vt illi seruiam, in secula. Amen.

PVNCTVM III.

DIXIT a ei mulier: *Domine, neq; in quo hauriat habes, & puteus altus est, vnde ergò habes aquam viuam? respõdit Iesus, omnis qui bibit ex aqua hac sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* a *Iob. 4. 11.*

IN hoc Samaritanæ responso proponitur nobis primùm animalis & carnalis hominis effigies, de quo Apostolus, b *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*, nec intelligere potest vltra id, quod oculis corporis cernit; nec aliam aquam viuam esse existimat, quam quæ ex fontibus manat, & oculis cernitur. Sed Christi tamen proprietas est, docere nos spiritum à rebus inuisibilibus ad inuisibiles, à temporalibus ad æternas, à creaturis ad creatorem eleuare, considerantes, in ipso creatore & rebus cœlestibus, omnes creaturarum & bonorum terrenorum perfectiones præstantiori modo, b *1. Cor. 2. 14.*

& absque defectibus illis, & imperfectionibus, quas in his inferioribus admixtas habent inueniri: quare ab ipsa aqua & fonte visibili, docet nos inuisibilia ratiocinari. Et hoc exemplo discemus methodum in mentali oratione circa res huiusmodi visibiles ratiocinandi.

Diuinæ gratiæ proprietates.

QVINQVE admirandas proprietates aquæ viuæ gratiæ suæ, hic insinuauit Christus Dominus, ex oppositione ad aquam corporalem; quas decet nos perpendere, vt eam aquam cognoscamus, desideremus, & toto corde obtinere contendamus.

I.

PRIMA proprietas aquæ illius viuæ est, quod sitim sedet in æternum; in quo differt à corporali, quæ ad breue tantùm tempus illam sedat: quia, cùm sit corruptibilis, mox consumitur: sed aqua illa viua, quod in se est, & incorruptibilis est, & perdurat in anima perpetuò, nisi peccato aliquo lethali sponte sua illam euomat.

II.

SECVNDA proprietas est, quod ita animam satiet, vt aliarum aquarum, & bonorum terrenorum sitim vniuersim extinguat, eo modo quo dixit Christus, c *qui credit in me non sitiet vnquā*, hoc est nec sitiet, nec rem creatam mihi contrariam appetet: quia ego illum satiabo & pro omnibus ei satisfaciam. In quo differt ista aqua à bonis terrenis, quæ parum & breui tempore satiant; ac facilè fastidium adferunt, quia vilia sunt, & cirò pereunt: sed cœlestia satiant in

c *Ioan. 6. 35.*

æter-

æternum, & absque vllo fastidio; quia pretiosa sunt & suauia: adferunt verè fastidium terrenorum.

TERTIA proprietas est, quòd ipsa aqua viua sit fons, qui semper manat; est enim intra ipsam animam ipse Spiritus sanctus, qui fons est gratiarum. Ex quo fonte, vt Christus ipse ait, d *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*, cum abundantia magnorum donorum cœlestium. Et ipsamet gratia semper impellit ad augmẽtum, vt propterea de illa dicatur, e *qui bibunt me, adhuc sitient*, hoc est, quãuis rerum terrenarum sitis extinguatur, sitient tamen illud bonum, quod tanta sua voluptate possident. III.

d *Ioan. 1. 38.*

e *Eccl. 24. 29*

QVARTA proprietas est, quòd ex ipsa anima manet hæc aqua viua, quasi ebulliens & magno impetu versus cœlum saltans, inclinat inquã magnâ lætitiâ, velocitate & promptitudine ad res cœlestes, quia nec se à rebus terrenis detineri p̃mittit; nec patitur moras aut dilationes; nec repugnantias admittit aut tædia; nec intra humanum cor vult se coarctare, sed magno impetu vrget foras exire, & supra seipsam eleuare, vt se cum sua origine, à qua procedit, & quæ DEVS est, sese coniungat. IV.

QVINTA proprietas est, quòd saliat in vitam æternam, nam vt Apostolus ait, f *est pignus hæreditatis nostræ* cœlestis, quam speramus; & permanet cum illa in æternum: quo nomine, non solùm à bonis corporis differt, sed etiam V.

f *Ephe. 1. 14*

ab aliquibus bonis spiritus, quæ cum vita corporis finiuntur, nec ad æternam vitam perueniunt: qualis est virtus Fidei, & Spei, & aliæ quædam gratiæ gratis datæ, de quibus Apostolus, g *Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue lingua cessabunt, siue scientia destruetur.*

g 1. Cor. 13. 8.

EX his considerationibus, magnam huius diuini doni æstimationem concipiam, magnaque desideria illud procurandi, accedens in magno h *gaudio ad fontes Saluatoris*, qui sunt sacramenta, ex quibus hæc aqua, eiusque augmentum hauritur: perpendens, quòd statim atque Samaritana tantas eius aquæ excellentias audiuit, dixit Christo, *Domine da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire.* quibus verbis ostendit, se aliquantulum in sua conuersione progredi, desiderans aquam illam viuam sibi oblatam, eamque instanter, ac reuerenter ab eodem Domino petens qui eam obtulerat. Adhuc tamen carnalis & rudis erat, vt quæ ob finem adhuc abiectum, (ne videlicet sitiret, & laborem, ad aquam ex fonte illo hauriendam veniendi, vitaret) illam petebat. In quo proponitur nobis aliquorum imperfectio, qui cupiunt quidem spiritualia bona; non tam ob illorum pulchritudinem quàm ob aliqua temporalia commoda, quæ ex eis cupiunt sibi euenire, honorem verbi gratia, aut lucrum aliquod, siue vt à melancholia & tristitia liberentur; quales illi sunt, qui sensibiles à Deo con-

h *Isai. 12. 3.*

consolationes expetunt, affectu amoris proprij; quò leuius ferant huius vitæ molestias: qui autem perfecti esse desiderant, quærere ac petere hanc aquam debent, propter bona prædicta, quæ in ea sunt, dicentes feruenti affectu, *Domine da mihi hanc aquam; vt non sitiam iterum.*

O DEVS cœli & terræ, da mihi hanc aquam, ne vnquam aliquid aliud sitiam, aut anxiè occuper in quærēda aqua corporalium & corruptibilium bonorum: satis enim mihi sunt spiritualia & æterna. O dulcis IESV, fons aquæ viuæ, pone intra animam meam diuinum hunc fontem, qui ebulliat semper, crescat & saltet in vitam æternam. Amen.

PVNCTVM IV.

HIC perpendam admirandam Christi Domini dexteritatem, qua Samaritanam disponebat, vt ea remoueret quæ illam impediebant accipere aquam gratiæ viuam. videns enim eius desiderium, dixit ei: I.
a *Vade voca virum tuum, & veni huc. quæ-* a *Ioan. 4. 16*
spondit: non habeo virum; dicit ei IESVS: *benè dixisti, quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir, hoc verè dixisti.*
Circa hoc præsupponimus, hanc mulierem referre eas animas, quæ cum creaturis in continuo sunt concubinatu, concedentes quinque suis sensibus & appetitionibus, quidquid voluptatum effrenatè concupiscunt. Ex quo

pro-

prouenit, vt, quamdiu ita manent, sint incapaces ad viuam gratiæ aquam & spiritus Sancti dona recipienda, qui b *non habitat in corpore subdito peccatis*, præcipuè carnis; quæ Apostolo teste c *prophanant templum spiritus Sancti*, & abominanda carnis cum meretrice coniunctione dissoluunt pretiosam animæ cum Dei spiritu coniunctionem, ac propterea, idem Apostolus hortatur: *fugite fornicationem*, & omnes eius occasiones: vt animas vestras per amorem, d *vni viro* Christo *desponderis*.

b *Sapi.1.4.*

c 1.*Cor.6.19*

d 2.*Cor.11.2.*

His præmissis, perpendam, qua ratione Christus Dominus noster, vt huius mulieris sanitatem à morbi radice auspicaretur, apostema peccati, quod occultauerat aperuit illam corripiens, non verbis asperioribus, sed in spiritu lenitatis; dicens, *cum quinque viros habueris, nunc quem habes, non est tuus vir*, atque si dixisset rationi fuisset consentaneum, insatiabili voluptatum appetitioni frænum imponere, & ab eis recedere.

II. Deinde perpendam, quàm moderatè acceperit Samaritana hanc admonitionem, quæ veritatem non negauit, nec indignata est tantæ iniuriæ verba contra Christum dixit, quod probro illam afficeret, potiùs illum venerata, Dominum appellauit, & credens eum esse Prophetam, vt qui res adeo occultas cognosceret dixit, *Domine video quia Propheta es tu*: atque si diceret: verum dicis in omnibus, & hac humili confessione suarum culparum,

initium

initium dedit suæ conuersioni, propè enim est vt curetur, qui moderatè fert reprehensionem. Et ideò dixit Sapiens, e *quam bonum est, correptum manifestare pœnitentiam! sic enim effugiet voluntarium peccatum.* e *Eccl. 20. 4*

ALIVD statim signum dedit Samaritana suæ pœnitudinis & fidei, æstimationis, quam de Christo Domino conceperat, volens ab eo instrui circa fidem & religionem, de qua eousque fuerat dubia, ideoque dixit, *patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet:* quasi diceret, Domine, quandoquidem es propheta, libera me à dubio, in quo versor, docens in quo loco debeam Deum adorare, & offerre sacrificia, ad illum placandum & illi placendum. Ex quo apparet primam veri pœnitentis curam esse debere cognoscere quæ ad veram fidem cultumq; diuinum pertinẽt, quandoquidem f *sine fide impossibile est placere Deo.* f *Heb. 11. 6.* *Respondens autem* IESVS *dixit illi; mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem; sed venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate; nam & Pater tales quærit, qui adorant eum; Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* quod fuit illi dicere, iam non est amplius tua interrogatio necessaria, quo ad locum adorandi Deum, eumque sacrificijs ac ceremoniis, vt hactenus colendi; omnia enim hæc cessabũt: quia Deus

III.

adoran-

adorandus est in spiritu & veritate, quæ externis istis vmbris & figuris hactenus latebat.

IV.

Adoratio in spiritu & veritate.

SED ampliùs horum verborum spiritum perpendens, intelligam Christum nos docere modum, quo à suis fidelibus velit in euangelica lege adorari; nominatim verò eâ adoratione, quam quisque solus & seorsim Deo exhibet. *Primùm* enim hæc adoratio in omni loco fieri potest: nam etsi templa sint ad Missæ sacrificiũ destinata, & adorare Deum in quouis loco & angulo licet, quia ipse in omni loco est, ac propterea dixit Apostolus, g *volo viros orare in omni loco leuantes puras manus* ad Deum.

g 1. Timot. 2. 8.

PRAETEREA adoratio fieri debet intra ipsum spiritum nostrum, qui templum est spirituale Dei, & cubiculum orationi destinatum, de quo dixit CHRISTVS, h *tu autem, cùm oraueris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito*, qui videt, quo modo illum adoremus. *Tertio* hæc adoratio esse debet in spiritu & veritate; quia ab inspiratione & Spiritus sancti motione, ac veritate, qui est CHRISTVS, procedere debet, eiusque directionem ac dictamen ita sequi, vt sensus nostros cum fidei veritate, nostram vitam cum vita Saluatoris, & opera externa cum internis absque fictione, & fraude aliqua conformemus. Quia enim DEVS est spiritus, & ipsamet ve-

h Matt. 6. 6

ritas

ritas, similes quærit adoratores, qui & spirituales sint & veraces, sicut ipse est. Ac porrò non externo solo cultu contentus esse debeo, quia illud esset corpus sine spiritu, & vmbra sine veritate; præcipuè itaque procurare debeo internos virtutum actus, qui illi dent vitam; quales sunt fides magnitudinum Dei, cum humilitate & mearum abiectionum recognitione; Spes diuinarum promissionum, cum oratione & petitione earum; amor Dei, cum obedientia & sanctæ ipsius voluntati subiectione, actibusque deuotionis, laudis, & orationis gratiarum. Hoc modo adoratur Deus, sicut ipse desiderat adorari, *nam & Pater tales quærit qui adorent eum.*

O Pater misericordiarum, in cuius manu est inuenire quod quæris, & facere quod desideras, effice vt multi te spiritu & voluntate adorent, quo modo tu vis adorari. Et quandoquidem, eam mihi felicitatem concessisti, vt viuerem in lege gratiæ; concede etiam vt te adorem, non in vno tantùm loco, sed vbique; nec tantùm corpore, sed etiam spiritu; non externis tantùm signis, sed veritate sequens te, qui es i *via, veritas, & vita*, cui sit honor & gloria in æternum. Amen. i *Ioan. 14. 6.*

PVNCTVM V.

CONSIDERANDA hic est admiranda Samaritanæ huius conuersio, & mutatio,

quæ,

quæ, vt erat rudis in rebus Dei, non est assecuta altitudinem doctrinæ Christi; & ideò dixit, a *scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: cùm ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia: dicit ei Iesus: ego sum, qui loquor tecum.* In quibus verbis perpendenda in primis est infinita Christi charitas, qui veritatem adeo altã, & tanti momenti, tam apertè voluerit mulieri illi peccatrici, quamuis sinceræ reuelare; quam tamen Scribis & Pharisæis occultauerat; aut certè per ambages & parabolas tantùm, in pœnam superbiæ eorum, insinuauerat. Sed non minùs tamen suauissima eius omnipotentia elucet in mirabilibus illis, quæ in ea muliere operatus est, virtute illius verbi, *ego sum, qui loquor tecum.* Quo *in primis* eius intellectum vera fide illustrauit; vt cognosceret, quis esset, qui cum illa loquebatur, & crederet esse Messiam, & simul locutus est illi ad cor, ita illud emolliendo, vt præteritam suam vitam detestaretur. *Præterea* dedit illi viuam gratiæ suæ aquã, quam illa petiuerat, implens quod promiserat, cùm dixit, *tu forsitan petijsses ab eo, & ille dedisset tibi aquam viuam.* Tertio adeo repleuit illam interno gaudio vt oblita corporalis aquæ ad quam hauriendam venerat & *hydria* ad fontem *relicta abierit* festinanter *in ciuitatem* vt Christi notitiam suis concinibus afferret, & accederent ad fruendum eo, quo ipsa fruita fuerat. In quo appareret, quantus sit feruor animæ, quam Deus tangit, vt quæcunq; habet præ manibus abiiciat,

I.

II.

III.

a *Ioan. 4. 25*

vt libe-

vt libera sit, & expedita ad ea præstanda, quæ diuini sunt obsequij, sicut ipsi Apostoli fecerunt. *Quarto*, dedit illi perfectam humilitatẽ, qua non recusauit seipsam infamare, vt Christum honoraret; manifestè protestans, quòd secreta malè actæ vitæ suæ illi Christus aperuisset, vt propterea illum tanquam Prophetam acciperent, exemplũ nobis præbẽs, Christum prædicandi, vt Apostol. ait b *per infamiã & bonam famã*. *Quinto* magnã ei prudentiam tribuit, & aquam viuam sapientiæ circa modum ipsum Christum prædicandi: neq; enim dixit; mihi credite, quia vidi Prophetam, qui dubio procul est Messias, sed muliebris suæ imbecillitatis cõscia propter quã non existimabat se dignã esse cui fides adhiberetur, solũ dicebat, *venite & vos ipsi videte*: & quamuis adiecit *nunquid ipse est Christus*? non id dubitando dixit, sed optando modestè, vt ipsi venientes & videntes, idem crederent, confidens quod Christus esset illos docturus, sicut ipsam docuerat. *Matt. 4. 20.* IV. b *2. Cor. 6. 8* V.

SEXTÒ, Denique tantum spiritum, & feruorem ei in verbis communicauit, vt multi *exirent de ciuitate & venirent ad* IESVM, & crederent in eũ. O diuitiæ diuinæ gratiæ! c *O mutatio dexrtræ excelsi!* quis alius præter te, Deus meus, potuisset tam cito mulieris huius cor immutare, & in ea ac per eam tot admirãda operari? erubesco meã tepiditatem, quando aduerto magnæ huius peccatricis feruorẽ. Illustra me Domine, immuta, & accende, sicut hanc VI. c *Psal. 76. 11*

hanc Samaritanam, vt tibi seruiam, & magnalia tua ita prædicem, vt fiam dignum instrumentum tuæ gloriæ. Amen.

PVNCTVM VI.

I. CONSIDERANDVM sextò est, quid discipulis cum Christo Domino in hac occasione euenerit. Nam cùm in ciuitatem abiissent, vt cibos emerent, a *venientes ex ciuitate mirabantur, quòd cum muliere loqueretur*: iudicantes, ex magna humilitate Magistri suum cum illa miscuisse sermones, statuentes tamen eum de more suo egisse de rebus cœlestibus. Ego tamen, Redemptor mi, etsi humilitatem tuã vehementer admirer, laudo tamen etiã charitatẽ, qui adeo sollicitè ouem vnam perditam quæris, quamuis totius gregis vilissimam, familiariter cum ea agens, quò ex statu peccati illam extrahas. Adiuua Domine me tuâ gratiâ, vt & ego totum me applicem ad lucrandũ tibi tàm paruum quàm magnum, siquidem æquè vtriusque salutem desideras. Mirati sunt etiam Discipuli, videntes eum solum cum muliere loquentem, quod in ipso erat valde rarum; nihil tamen illi dixerunt, quia quæcunque magister illorum faciebat in veneratione habebant, nunquam malè iudicantes, quicquid ille faceret. Ex quo discent Superiores cautè agere in huiusmodi colloquijs familiaribus, nisi rarò & graui necessitate vrgente; subditi etiam exemplum accipient ad non temerè iudicandũ, nec malè suspican-

a *Ioan. 4. 27*

picandum de maiorum suorum dictis & factis, quos debent vt sanctos venerari; iuxta illud Psalmi b *nolite tangere christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.*

b *Psal. 104. 15.*

II.

INTEREA c *rogabant eum discipuli dicentes, Rabbi manduca, respondit, ego cibū habeo manducare, quem vos nescitis, meus enim cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* In his verbis aperuit ipse Christus, magnam, quam de Patris sui voluntatis exequenda haberet, æstimationem; quæ voluntas erat, vt animæ ad ipsum conuerterentur: siquidem defatigatus & esuriens, nec comedere vult, nec cibum gustare; potiùs dicens, cibum suum esse, voluntatem illam Patris exsequi, idque non quomodocunque, sed magna perfectione, & integritate: quamuis enim eam voluntatem exsequi caro illi constaret; felque & acetum esset illi gustandum, omnia tamen leuia dulciaq; reputabat, quòd ea esset eius voluntas, quem ipse tantoperè diligebat.

c *Ioan. 4. 31. 34.*

O Dulcis IESV, fac me cibum meum existimare, vt tuam, non meam exequar voluntatem perfectè faciens opus, quod mihi iniungis; & tanta fame cibum hunc animæ manducans, vt cibi corporis me faciat obliuisci. Hinc etiam Sanctum concipiam timorem, ne mihi dicat CHRISTVS, ego cibum manduco, *quem tu nescis*; talem inquam cibum, quem tu non probas, quia tibi non arridet; & ideo non comedis, sicut ego comedo.

Si enim ego sim inobediens legi Dei, eius inspirationibus, & superiorum meorum præceptis; nō agnosco cibum, quem comedit Christus, & porrò, nec vita Christi viuam, nemo enim potest vnitus esse Christo, nisi cibum eum comedat, quem ipse comedit.

III. PERPENDAM denique, mox peruenisse Samaritanos ad Christum; qui magna illos charitate & humanitate excepit, & prædicauit regnum Dei; mansitque apud illos duos dies; vbi spirituali hoc cibo famem suam, & appetitum satiauit, quia multi crediderũt in eum, tanta certitudine, vt nullo conspecto eius miraculo diuinis tantum eius sermonibus ad credendum conuincerentur, & *mulieri dicebant, quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic est verè Saluator mundi*, non Iudæorum tantùm, sed etiam Gentilium; & hoc scimus, quia eius sufficientia testimonia habemus. O Cœlestis Magister, qui per tuam Ecclesiam, hac feruente Samaritana significatam, nobis aperis quisnam sis; idipsum etiam nobis intra cor nostrum dignare per te ipsum aperire. Mane nobiscum integros duos dies, duo illa charitatis præcepta exactè nos docens, vt illa exactè seruantes, perueniamus ad videndum clarè, quod tu sis noster DEVS & Saluator, cui sit honor & gloria in omnia secula. Amen.

MEDITATIO XXVII.

DE MVLIERE ADVLTERA, quam à suis accusatoribus Christus liberans, eius etiam peccata dimisit.

PVNCTVM I.

CVM a *Iesus in templo sedens populum doceret adducunt Scribæ, & Pharisæi mulierē in adulterio deprehēsam, & dixerunt ei: Magister hæc mulier modò deprehensa est in adulterio, in lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare, tu ergo quid dicis? hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum.* a Ioan. 8. 3.

PERPENDENDA hîc primùm est Christi Domini nostri mansuetudo, circa familiaritatem cum peccatoribus, & magna eius misericordia in eorū peccatis condonandis: siquidem ipsimet eius hostes à Dœmone instigati, ex ea laqueum facere constituerunt, vt ipsum hac occasione tentarent, constituentes illum adulteræ huius iudicem; existimantes illum misericordia sua illius peccatū remissurum, etiamsi propterea Moysis legem, aut conculcare, aut corrigere, aut mutare opus esset; vt I.

occasionem hinc arriperent illum accusandi tanquam Moysi & eius legi aduersantem; aut si iuxta legem, adulteram condemnaret, proclamarent ipsi, non esse eum adeo misericordem, sicut præ se ferebat. Ex quo gaudium hauriam, quòd mitem adeo & misericordem Saluatorem & Magistrum habeam; ac dicam: exulto, Saluator mi; de tanta ista tua mansuetudine & misericordia, ex qua cupio laqueum fabricare, non ad tentandum te, sicut Pharisæi, sed ad trahendum te ad cor meum, quo mei commiseratione tactus plurima mea grauiaque peccata remittas.

II. PERPENDENDA secundò est Satanæ & eius ministrorũ astutia, in tentandis iustis, parandisque eis laqueis, in ea maximè virtute, in qua illi excellunt, vt ad vitium contrarium per excessum eos pertrahant, efficiantque, vt legem Dei pallio & prætextu illius virtutis conculcent. Nam valde misericordem impellunt, vt prætextu misericordiæ, transgrediatur leges iustitiæ; & valdè zelantem vrgent, vt sub specie zeli, vltionem quærat contra leges mansuetudinis: quare necesse est scire, virtutes omnes ita coniungere, vt dum aliam exercemus, aliarum iacturam non faciamus; sed CHRISTVM Dominum nostrum imitemur, de quo ait Dauid, b *propter veritatem & mansuetudinem, & iustitiam deducet te mirabiliter dextera tua*: & iterum, c *misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt.*

b *Psal. 44. 5*

c *Psal. 84. 11*

O Sa-

O Sapientissime Magister, doce me ea dexteritate catenam ex virtutibus construere, vt perfecte vni satisfaciens nullius perfectioni aliquid desit, d *introduc me in cellam tuorum vinorum, & ordina in me charitatem*, vt ita vnius virtutis affectus hauriam, vt non turbent meum iudicium in aliarum detrimentum. d *Can. 2. 4.*

PVNCTVM II.

IESVS a *autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* a *Ioan. 8. 6.*

PERPENDENDAE hic sunt facti huius causæ, & huius scripturæ mysteria. *Primùm* I. inclinauit se Christus Dominus vt scriberet in terra, instar hominis cogitabundi, vt ostenderet, se quæstionem illam non tanti facere, eò quòd tunc temporis ad ipsum non spectaret, in exteriori iudicio huiusmodi causarum iudicem agere; nec se velle illis admiscere, sicut cuidam petenti ab ipso Christo: b *Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem, respondit; homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* vt nos doceret id quod Apostolus postea dixit, c *nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus*, quæ illum ratione officij alicuius non concernunt. b *Luc. 12. 14.* c *2. Timot. 2. 4.*

DEINDE videns Christus, quanta furia illi II. veniissent; vellentq; statim in momẽto paupere illã mulierem condemnari, ipse moram potiùs trahens, in terra cœpit scribere, vt illi

intelligerent, in negotiis grauibus, & præcipuè vbi de honore, & vitâ proximi agitur, nõ esse properandum, aut præcipitandum, sed maturè ac tranquillè de iis cogitandum, scribendo, legendo & exactè cognoscẽdo, quæ ad rem pertinent: facilè enim homines, dum de factis proximorũ iudicant, decipiuntur: propterea enim Abrahamo dixit Deus, d *clamor Sodomorũ & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam.* Hoc exemplo vtar, ne aliquid temere iudicem, (quamuis alij rem certam mihi esse narrent) donec plenè rei veritatem cognoscam.

d *Gen. 18. 20*

III. TERTIÒ *digito scribebat in terra*, vt reuocaret illis in memoriam eundẽ se Deum esse, qui digito suo in lapideis tabulis, Moysis legẽ scripsisset, ac porrò scire se, & noscere omnes, qui illam pertinaciter violabant: ac propterea, vt Ieremias ait, e *recedentes à te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum*, & gratiam eius. Et porrò ipse illos in terra scriberet, siquidẽ accusantes mulierem, quòd legem trãsgressa esset, ipsi etiam in modo eam accusandi, & in peruersa intentione, quam habebant, eandem legem transgrediebantur. O Iudex iustissime, qui scrutaris hominum corda, scribe in meo sanctam tuam legem digito tuo, ita vt integrè eam exequar, ne, vt damnati,

e *Ierem. 17. 13.*

scri-

scribar in terra; sed, sicut electi in f *Cœlo.* f *Luc. 10. 20*

IV.

DENIQVE licet ratiocinari, non de ijs quæ Christus Dominus scripsit, siquidem nec Euangelista ea expressit, nec sciri possunt; sed de ijs, quæ fas est credere ipsum appositè ad præsentem occasionem scripsisse, sicut de hypocrita dixit, g *quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Aut scribebat fortè ipsorum accusatorum peccata, propter quæ digni erant, qui in terra scriberentur. Sed illi ita passione sua erant excæcati, adeoque accusationi mulieris immersi, quo sui voti compotes fierent, vt non aduerterent scripturam, si enim aduertissent, fortè fuissent conturbati, sicut h *Rex Balthasar quando aspexit articulos manus scribentis contra candelabrum parietis aulæ regiæ*, sententiam eius damnationis. O Magister cœlestis, clarifica oculos animæ meæ, vt trabes meorum peccatorum videam, ne temerè me alienis immiscam; excita spiritum meum vt ita i *amaritudines* & minas *quas contra me scribis* intelligam in hac vita, vt me emendem & cõsequar æternam. Amen.

g *Mat. 7. 3.* S. *Amb. ep. 76.* S. *Hieron. lib. 2. cont. Pelag.*

h *Dan. 5.*

i *Iob. 13. 26.*

PVNCTVM III.

CVM *Scribæ & Pharisæi perseuerarent interrogantes eum, erexit se & dixit eis, qui sine peccato est vestrûm primus in illam lapidem mittat, & iterum se inclinans scribebat in terra. Audientes autem vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus.* a *Ioan. 8. 7.*

I. HIC primùm considera prudentiam, & integritatem Christi Domini nostri in hac responsione, nam nihil contra legem faciens, nec mulierem condemnans, accusatores eius valdè confudit, idque magna rectitudine, quod significat ipsa eleuatio & erectio, vt rectus stans sententiam pronuntiaret. Simile quid respondit, quando interrogatus, b *num liceret censum dare Cæsari, an non? respondit reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*. Ex quo eliciam affectus gaudij, ob cœlestem hanc Christi Domini nostri prudentiam, petens eam huius virtutis partem mihi concedi, quæ solertia appellatur, qua me à Satanæ astutijs defendam, & hominum calumnias euadam.

b *Mat.22. 21.*

II. DEINDE considerabo, Christum Dominũ nostrũ hac sua sentẽtia memorias accusatorũ permouisse, vt peccatorum, quorum erãt obliti, recordarentur, vt ea videntes, & propriæ conscientiæ accusationem sentientes, desisterent pauperem illam mulierem accusare, decet siquidem, eum, qui alterum accusare & condemnare velit, non esse earundem culparum, aut maiorum reum, de quibus alium accusat; item vt omnes discant, peccatoribus compati; siquidem & ipsi sunt peccatores sicut illi; & facilè in idem peccatum ruere ego possum, in quod meus proximus ruit; & non est æquum me murmurationum lapides, calumnias, & ignominias in alium ia-

cere,

cere, qui nollem similes alium iacere contra me.

TERTIÒ perpendam, Christum Dominum nostrum secundò se, vt in terra scriberet, inclinasse; vt locum illis relinqueret faciendi, quod debebant, propriæ conscientiæ manibus illos tradens, vt ab illa sententiam propriam audirent. III.

VERVM infelices illi, etsi culpas suas conscientiæ teste agnouerunt, & propterea erubuerunt, illas tamen coram Christo confiteri, & veniam de illis petere recusarunt, & pudefacti statim ex eius conspectu se subduxerunt. vt hinc appareat, quàm sit atrox propriæ conscientiæ cruciatus; & quantoperè horreat esse coram supremo iudice; ex quo etiam discrimen licet aduertere, inter varios peccatores; quidam enim valdè in suo peccato obstinati; etsi illud agnoscant, & propterea erubescant, non tamen illud confitentur, sed ipsum Deum fugiunt, & ab eo se abscondere quærunt, sicut fecit Adam & vxor eius, quando post peccatum, c *absconderunt se à facie Domini*. Alij verò peccatores inspiratione diuina moti, peccata sua agnoscentes, ad ipsum potius Deum accedunt, & confitentes sua peccata d *Deum sibi propitium esse* petunt. c *Gen. 3.8.* d *Luc. 18.13.*

O Pater benignissime, & Iudex iuste, quamuis culpas meas agnosco, nolo tamen à tuo conspectu me subducere, sicut hi terreni Adami filij, patrem suum imitantes,

fece-

fecerunt; potius quia peccatorem me agnoſco, in tuo conſpectu ſicut ægrotus coram medico compareo, aperiens cum meo pudore, culpas meas, vt integram earum veniam concedere mihi digneris.

IV. QVARTÒ attendam, etiamſi infelices illi Phariſæi communibus votis & animis contra Chriſtum veniſſent, non tamen ſe ita coniunctos ſubduxiſſe, *ſed vnum poſt vnum*: quia adeò vnuſquiſque de proprijs peccatis erubeſcebat, vt, nulla alterius habita ratione illum relinqueret ac diſcederet. Inceperunt autem à *ſenioribus*, vt enim illi ſceleratiores erant, ita in ijſdem profundiorem locum inuenit iniquitas, & confuſio de ea; vt propterea citiùs ſe ſubducere feſtinarent. Ex quo diſcam quanta futura ſit confuſio in hora mortis meæ, & iudicij; & quàm parum iuuare & conſolari me poterũt illi, quos habui, peccati mei complices. Hac ergò conſideratione diligentiùs in poſterum attendam negotio ſalutis meæ, euitans quamcunque malam ſocietatem, vt me Chriſto Domino noſtro coniungam, à quo tã temporale, quàm æternum meum remedium dependet.

PVNCTVM IV.

a *Ioh. 8. 11.* ERIGENS *autem a ſe Ieſus, dixit mulieri, vbi ſunt, qui te accuſabant? nemo te condemnauit? quæ dixit, nemo Domine; dixit autem Ieſus, nec ego te cõdemnabo, vade & iam amplius noli peccare.*

HIC

HIC perpendam primum bis Christum Dominum se erexisse è loco vbi scribebat, semel vt Pharisæos aspiciens ex iustitia confunderet, iterum verò vt aspiceret mulierem & illam ex misericordia liberaret, vt enim ait Dauid b *oculi Domini super iustos*, siue contritos peccatores *& aures eius in preces eorum*, vt illis ignoscat, *vultus autem Domini super facientes mala* siue rebelles peccatores, *vt perdat de terra memoriam eorum*. item c *alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos*, qui erigi cupiunt, *omnes* verò *peccatores*, qui in peccatis suis hærere volunt, *disperdet*. Et in vtroque est ipse rectus, iustus, & sanctus. Sed postquam Pharisæos aspexerat, iterum se inclinauit; ne eos videret, tanquam indigni essent, quos ipse aspiceret; & qui seipsos eius præsentiæ subtraherent, qui ea essent indigni. hanc verò mulierem aspexit ex misericordia, & dimisit cum bona gratia; quia contrita & humiliata erat. O dulcissime Iesu, aspice in me oculis misericordiæ, nec illos vnquam auertas, siquidem ex benigno tuo aspectu prouenit, vt ego à te nunquam recedam. I.

b *Psal.* 33. 16. 17.

c *Psal.* 144. 14. 20.

DEINDE considerabo, qua ratione mulier illa liberatam se à suis accusatoribus videns, & solam ante Christum Dominum, grauiter de suo peccato compuncta fuerit, erubescens valdè, quod illud admisisset, sententiamque Domini, in cuius præsentia erat constituta expectans: sed idem Dominus consolatus est illam dicens, *vbi sunt qui te accusabant? nemo* II.

te condemnauit? atque si diceret; hoc à me beneficium accepisti, vt accusatores tui recedentes, liberam dimitterent, & quandoquidem illi non te condemnarunt, non ego ero seuerior illis: ideoque nec ego te condemnabo, quia non veni condemnare peccatores; sed illos saluare: ideoque *vade in pace*. Quibus verbis non solùm eam à temporali morte, sed etiam ab æterna, omnia illi peccata condonans liberauit: quia opera Christi Domini, fuerunt plena & perfecta, quare dicens se eam nolle condemnare, significare voluit, nec temporali nec æterna pœna illam condemnare; sed ab illa causa, propter quam erat vtramque promerita, illam absoluere. O dulcissime & benignissime Iesu, protectio & refugium peccatorum, quid tibi retribuam Domine pro tãto amore & solicitudine, quam erga me habes, d *quis audebit me accusare aut condemnare, si tu me iustificas*, & liberum pronuntias, cur non tuæ misericordiæ fidam, qui in tua præsentia omnem miseriam meam dissoluis, e *redime me à calumnijs hominum* & ab accusationibus inimicorum meorum, donando mihi liberaliter culpam, ne locum habeat condemnatio ad pœnam; & siquidem tua misericordia est adeò copiosa, nunquam à laudibus tuis desistam, nec me à tuo seruitio propter illam subtraham.

d *Rom.* 8. 34

e *Psal.* 118. 134.

III. PERPENDAM vltimò postremũ illud Christi verbum, *noli amplius peccare*. Atque si illi dice-

diceret, quandoquidem ab hoc te periculo liberaui; non intelligas id factum esse, vt inposterum ea carnis libertate viuas, quâ hactenus; sed vt temperatam, mundam, & castam in posterum vitam ducas, non rediens ad antiqua peccata. Est autem fas credere, sicut accusatores non amplius sunt ausi contra illam agere, Christo Domino ita statuente, ita illam nunquam ad antiqua peccata redijsse; sed in Dei seruitio perseueraſse, non tam pœnæ formidine; quàm eius amore, à quo tantum beneficium se accepisse agnoscebat; cui sit honor & gloria in æternum. Amen.

MEDITATIO XXVIII.

DE ZACHAEI PVBLICANORUM Principis conuersione.

PVNCTVM I.

INGRESSVS a *Iesus perambulabat Iericho, & ecce vir nomine Zachæus, & hic princeps erat publicanorum, & ipse diues; & quærebat videre Iesum quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat: & præcurrens ascendit in arborem Sycomorum, vt videret eũ: quia inde erat transiturus.* a *Luc. 19. 1.*

HIC

I. HIC considerandum est initium conuersionis huius hominis diuitis & potentis inter suos, qui tamen insignis erat peccator, valdeque cupidus & primus ac principalis inter publicanos, qui in populo illo Hebræo magni peccatores habebantur. Initium ergò conuersionis eius, fuit desideriũ quoddam à Deo immissum, videndi & cognoscendi Iesum, persuasus, hũc solum aspectũ, profectum aliquẽ sibi allaturum. nec fraudatus est spe sua, quia initiũ nostræ salutis est, viua fide Christi videre illumque eo modo cognoscere, quo ille vixit in hoc mundo per Iericho adumbrato: aspicientes illum pauperem, mitem, humilem, ac pro nobis crucifixum, cuius aspectus nos mouet, ad peccata nostra & cupiditates abijciendas. O bone Iesu, da mihi desiderium efficax te hac ratione aspiciendi. nam si b *quicunq; à veris serpentibus percussus aneum serpentem aspiceret, sanabatur*: multò efficacius si te verum Deum & hominem, imagine peccatoris in cruce pendentem aspexero, ab omnibus meis peccatis liberabor.

b Nu. 21.9.

II. DEINDE perpendendum est, quàm fuerit efficax desiderium illud Zachæi, & quantam vt illud expleret, diligentiam adhibuerit, nullam ducens rationem honoris huius mundi, nec curans, quid de illo homines dicerent, cùm diuitem ipsum ac inter suos principalem currentem viderent tanquam puerum, & arborem postea conscendentem; vbi est verisimile, quod transeuntes illum irriserint;

præci-

præcipuè cùm statura pusillum aduerterent. Ex quo exemplo discam inprimis, quando bonum aliquod desiderium mihi Deus inspirauerit, conculcandum esse mundi honorem, vt illud pro salute mea exequar: & sicut Zachæus fecit, conscendendam esse Sychomorum siue ficum stultam, vt delitias huius mundi, diuitias & honores calcem, amplectar verò quæ ipse iudicat stulta, qualis est crux Christi. O bone Iesu, qui mei causa crucis arborem conscendisti, vbi despectus & derisus ab hominibus fuisti; concede mihi, vt & ego eandem conscendam arborem, quæ *electis est virtus Dei* & sapientia, *pereuntibus autem*, & mundi huius *est stultitia*: certus sum enim, si eam spiritu conscendero, te oculos in me misericordiæ, sicut in Zachæum, coniecturum.

Theophil. S. Greg. 27. Mor. 6. 27.

1. Cor. 18.

PVNCTVM II.

ET *cùm venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* a *Luc. 19. 5.*

PERPENDENDA hic est infinita Christi Domini charitas & misericordia, quę in hoc opere luxit, dum publicani illius desiderijs adeò abundè satis fecit, vt non solùm permiserit se ab illo videri, sed etiam ad illum se inuitarit, quod cum nullo alio eum feciſſe legimus. vnumquodque horum morborum, pro- I.

prium habet mysterium expendendum. *Primùm*, proprio eum nomine *Zachæum* compellat, vt ostenderet se eum etiam nunquam antea visum, benè tamen noscere, eiusque nomen tenere, & scriptum illud esse in libro vitæ. optabat etiam vacuum illud implere, quod in illo nomine continebatur, *Zachæus* enim significat purum, vel iustificatum; quod propterea nomen falsò prius vsurpabat, eò quod impurus esset, iniustus, & sordidus: sed ad primam Christi Domini compellationem cœpit purificari, vt iustus esset ac purus.

11. DIXIT deinde: *festinans descende*, vt ostenderet magnam propensionem, quam ad eius iustificationem perficiendam habebat; nec velle se punctum temporis, & occasionem illum iustificandi, quæ occurrebat, negligere, sed priusquam feruens illud desiderium frigescebat, velle illud explere, docens hoc facto eos, qui in animarum conuersionem incumbunt, quamprimùm illas à Deo impelli vident, festinare, & vrgere vt concepta proposita, opere exequantur; priusquam aut ventis tentationum concrel cant, aut persecutionis æstu marcescant. Et propter eandem causam, vult Christus Dominus, vt quæ ipse inspirat desideria, sine mora & magno feruore exequi curem; &, si in alto loco sum constitutus, descendam & me humiliem; si hæreo, vt pergam velociter ad explendum quod ipse præcipit. O

pit. O Saluator mi, qui nomen illud tibi accepisti, b *Accelera, Festina* quæso me iustificare, ac omnes peccatores quos tua inspiratione tetigisti; tanta nos efficacitate permouens, vt mox copiosam gratiam obtineamus. Amen.

b *Isai. 8. 3.*

III.

TERTIÒ dixit: *hodie in domo tua oportet me manere*, non ait cras, aut alio die, sed *hodie*, non enim placet illi si bona proposita in diem sequentem reijciantur, quando possunt hodie expediri, quia hodierna dies est securior, crastina incerta; & ideò vult hodie cum festinatione & feruore nos agere de ipso recipiendo hospitio, quia fortè cras vellemus, & non poterimus, aut certè, præteribit ipse, nosque relinquet in altis, quia oblatam occasionem illum habendi, neglexi-
mus. Quare anima mea c *hodie si vocem Domini audieris, noli obdurare cor tuum:* qui enim hodie te vocat, fortè cras non vocabit, & si hodie cùm se offert vt hospes sit in domo tua, tu hospitio non recipis? fortè quando tu illum vocaueris, & inuitabis, ille non veniet.

c *Psal. 94. 8*

IV.

SED præ omnibus valdè est dulce illud verbum *oportet*: quasi ipsius Christi Domini interesset omninò manere in domo Zachæi. O dulcissime Iesu, multò magis Zachæi, quàm tua refert; nam tu noster es Deus, & d *bonorum nostrorum non indiges*; & si quis hospitium tibi deneget, inuenies mille qui in suo te libenter excipiant: Zachæo

d *Psal. 15. 2.*

autem, si tu desis, omne defuerit bonum, cur igitur dicis *oportet me* in domo tua manere? verè amor, Deus meus, quo nos prosequeris, in causa est, vt dicas, tua referre, quod maximè interest nostra; accipis enim nostra bona & mala, atque si essent tua; & quando quidem ita est, quòd oportet te in domo mea esse, ô Domine, ingredere eam, quia plurimum mea refert, vt tu eam ingrediaris; & hoc ipsum tu accipis, quasi tua interfit.

V. DENIQVE ait oportet me *manere*, hoc est, ex instituto in ea esse, donec opus perficiam, quod intendo; quod enim tanti momenti est, non obiter, sed ex instituto, & quasi sedendo, id efficit Christus. Et quamuis venire festinet, non tamen festinat exire, nisi ab anima quæ illum excepit, excludatur. O fili patris æterni, cum quo simul ad animam e *venis, & mansionem apud eam facis*, veni Domine ad meam & mane in ea constanter, ita vt nunquam tu eam deseras, nec illa in eam deueniat insaniam, vt à se te repellat. Amen.

e Ioh. 14. 23

PVNCTVM III.

ET *festinans Zachæus descendit, & excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertisset.*

I. HIC primùm considerabo obedientiam Zachæi expeditam, & cum gaudio, vt exple-

ret

ret quæ dixerat Christus. Prius indignum se iudicabat, qui talem hospitem inuitaret; nec ausus est id petere; contentus si vel illum videre liceret: at cùm eius expertus esset modestiam & affabilitatem; audissetque adeò dulcia verba, quæ illi dixit; statim plenus gaudio, omni timore reiecto illi paruit, eumque excepit hospitio. Hinc discam promptè & cũ gaudio voci Dei obedire, quando ille a *stat*, vt ipse ait, *ad ostium* animæ meæ *& pulsat*, cupiens *ad illam intrare & cœnare cum illa*. Si enim moras traxero: eueniet mihi quod sponsæ, quæ postquam moras traxerat in aperiendo b *pulsanti sponso* quando tandem *surrexit, vt illi aperiret, iam ille declinauerat & transierat*.

a *Apoc. 3. 20*

b *Cat. 5. 5. 6.*

II.

DEINDE ignorantiam & malitiam perpendam eorum, qui de hoc Christi facto murmurabant; quia temerè iudicantes vt imprudentem eum & parum circumspectum condemnabant, *quod ad hominem peccatorem diuertisset*. Quia ignari & superbi murmuratores, finem ignorabant, ob quem id feciſſet, & indignum Christo iudicabant, quod maximè ipsius erat officij. Non est siquidem res indigna medico, vt domum accedat ægroti, ipsumque visitet, ac sanitati reddat. *Omnes* autem *murmurabant*, quia cùm incipit aliquis murmurationem, statim se ad alios diffundit, & omnes inficit imperfectos. At Christus Dominus noster, quamuis hasce murmurationes audiret; & aliàs ex causa simili contra se

fuisse murmuratũ sciret, nihili tamẽ illas duxit, nec propterea à familiari cũ peccatoribus conuersatione abstinuit quò illos lucraretur; potius dixit c *non esse opus valentibus medico, sed malè habentibus*. O medice supreme, qui è cœlo veniens, non vt iustos, sed vt peccatores ad pœnitentiam, qua indigebant, vocares, veni visitare animam meam, quæ malè habet, vt gratia tua illam restitues sanitati.

c *Mat. 9.12*

PVNCTVM IV.

STANS *autem Zachæus dixit ad Iesum, ecce dimidium bonorũ meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquẽ defraudaui reddo quadruplum.*

I. CONSIDERABO hic primùm, quàm fuerit perfecta publicani huius conuersio; perpendens Christum Dominum nostrum siue ante, siue post conuiuium locutum fuisse cumillo, suauiterq; & ijs rationibus vitæ mutationem persuasisse, vt cor eius deprædatus in aliud omninò transmutaret: quo exemplo nos docet qua ratione nobis sit cum peccatoribus agendum in huiusmodi occasionibus; vt corporis cibis ab eis acceptis, animæ cibum ad salutem necessarium eisdem præbeamus.

II. CONSIDERABO deinde firma illa & adeò efficacia Zachæi proposita, vt factum putaret, quod facturum se statuebat. Non enim ait, *dabo*, & *reddam*; sed *do* & *reddo*; & reipsa rẽ executus eam adeò certam reddidit, atque si facta tunc esset. Cui simile illud est Dauidis: a *In*

a *matu-*

matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Adeo enim firmiter id facere statuebat, vt iam pro facto reputaret. Simili ergò animi firmitate vitæ meæ emendationem proponã, diuinâ ad id gratiâ adsistente, ita vt statim renouationi eius manum admoueam, dicens cum Dauide: b *Nunc cœpi*: cui mox adiecit: *hæc mutatio dexteræ excelsi*. Nam si verè & ex deliberato animo dixero: nunc volo incipere: statim sequetur cordis mutatio, accedente manu omnipotentiæ Dei, & gratiâ suâ faueat iuuetque.

a *Psal.100.8.*

b *Psal.76.11*

III.

Sed eadem animi firmitas adhuc pluris æstimanda est, quòd fuerit in materia non qualicunque, sed difficili admodum; nec tali quæ ipsum tota ad exequendum obligaret; sed etiam quam ex solo consilio & sua sponte cùm alias non teneretur, facere decreuerat. Nam cùm prædiues esset, valdeq; suis addictus diuitijs, quarum aliquam partem (quæ ipsius erat auiditas habendi) illicitè acquisiuerat, ex tempore tamen facultates omnes in duas æquales partes diuidens, alteram omninò pauperibus elargitur pro suis peccatis; ex altera verò ita soluere statuit, quicquid ex iustitia debebat; vt pro maiori conscientiæ suæ tranquillitate, *quadruplũ redderet*. Ac porrò ex omnibus facultatibus, quas habebat valdè exigua illa pars supereset: & quasi omnib. renũciaret, & se spoliaret, vt Christũ Dominũ perfectè sequeretur. O mũdi Saluator, q̃ verũ esse ostendis, licet sit c *difficilius diuitẽ in regnũ cœlo-*

c *Mat.19. 24.*

cælorum intrare, quàm camelum per foramen acus, id tamen *esse Deo possibile, quod hominibus est impossibile*. O quàm possibile, imò quàm facilè & iucundum fuit huic diuiti per gratiam tuam, subitò se rebus omnibus spoliare, vt per angustam pœnitentiæ portã ingrederetur. Fac mihi quæso per gratiam tuam possibile, quod imbecilli naturæ meæ est aliàs impossibile.

IV. VLTIMÒ considerabo, Zachæũ non inaniter, aut vt se ostentaret, hanc animi sui minutã rationẽ Christo reddidisse, sed ex animi demissione, quò ipsi Christo tũ mentis suæ illud decretum si bonum esset probaretur; tum abeodẽ in rebus & actionibus suis dirigeretur. Hoc nos exẽplo instruens, Confessarijs nostris similem rationem eorum, quæ facere decreuimus, esse reddendam: quo exactiùs sępiusq; in bonis procedamus: Et ipsi Deo nominatim eadem proponamus, dicentes: Deus meus, hęc per tuam gratiam concepi proposita: si placet tibi ea, vt exequar, adiuua ad exequendum: siquidem qui opus incepit, eidem incumbit absoluere, & ad perfectum deducere.

PVNCTVM V.

a *Luc. 19 9.* DIXIT *Iesus* a *ad Zachæum: quia hodie saluus domui huic facta est: eò quod & ipse sit filius Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat.*

IN hac respõsione est considerandũ, ea Christum Dominũ Zachæi vota approbasse; & sãctificasse non ipsum tantũ, sed totã etiã fami-

liam.

liam. Cùm enim ipse sit vera salus, si in domum aliquam ingrediatur, totam saluat atque sanctificat, eam quasi propriam sibi faciens: quod hîc per illius caput, qui Zachæus erat, præstitit. Vt boni exempli efficacem virtutem nobis proponeret. Nam Zachæo ad Deum conuerso, omnes famuli, & domestici, ac familia vniuersa, eum secuti sunt. & propterea fortè dixit Christus: *Hodie salus illi domui facta est:* eo quod Zachæus esset filius Abrahæ, eius Fidei imitator, & obedientiæ, & liberalitatis: & ideo tota domus & familia ipsum est imitata. Ex quo desideria concipiam bonum omnibus præbendi exemplum, tali enim occasione vti consueuit Christus ad multos conuertendos. Est tamen certum, præcipuam horum omniũ eam fuisse causam, quam ipse Christus subunxit: Quòd filius hominis venerit quærere, & saluum facere, quod perierat. *Sicut Meditat. 49. de Oue perdita, amplius expendetur.*

Præparatio ad sacram Communionem.

QVICQVID hactenus in hac historia est dictum, licet ad sacram communionem in hũc modum applicare. *Primùm* enim considerabo: sicut Zachæo vehemẽter desiderãte Christum Dominum hospitio recipere; sed ob propriam indignitatem id petere non audente, eius desiderium Redemptorem nostrum permouit, vt seipsum ad illum inuitaret; quia pluris ipse desideria facit, quàm verba: ita me decere vehementia desideria Christum Dominum in hoc sacramento recipiendi concipere, & exemplo Zachęi contendere, eundem

priùs Fidei oculis videre, perpendenté, quanta bona in hoc mũdo, quocunq; ingrederetur perficeret; moxque sanctissimæ crucis arborem conscendentem, aliquas mortificationes amplecti, quæ eundem Dominum prouocent, vt sibi complaceat ingredi animam meam.

II. ET mox mihi effingam, eum dulcissima illa verba ad me dicere: *Festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere*: perpendam igitur, ipsum, ante quàm ad me ingredi velit, exigere, vt festinem, magno feruore domum meam priorem ingredi, eamque præparare, verrere, & sacra Confessione purgare, ac virtutibus, vt tantum decet hospitem, exornare, admirans simul, eundem tantum Dominum apertè protestari, quòd *oporteat ipsum quasi ipsius referret in domo mea manere*, cùm tam ego sim vilis & miserabilis. Ex quo eliciam: quamuis ipse in hoc sacramento veniat, vt me ad se inuitans, gratiæ suæ dona mihi communicet; simul tamen velle à me, sicut à Zachæo, inuitari: conuiuium verò, quod à me expectat, & quo ipse valde delectatur, illud esse, vt inflammatis amoris desiderijs, animi gratitudine, laudibus, & spirituali gaudio illi sim præsens: magna etiam spe concepta, quòd ipso veniente, sanitatem integram & sanctitatem sim adepturus.

III. DEMVM plurima tanto Domino fideliter seruiendi proposita ei offeram, tam in rebus misericordiæ, quàm iustitiæ; nec solùm in ijs, quæ ille præcepit; sed etiam quæ con-

ſuluit: quicquid etiam habeo, & meipſum eidem offeram, qui ſeipſam adeò liberaliter mihi tradit. Et hæc omnia deſideria ei offerens, ſupplex petam, vt ea probet. O dulcis IESV, qui in hoc ſacramento, ad pauperem domum meam venire dignaris, vt manſionem in ea facias, dic ei, quæſo, omnipotentia verbi tui: quia *hodie huic domui ſalus facta eſt*, eiuſque familiam totam & facultates ſanctifica, vt placeat tibi in eadem in æternum permanere. Amen.

MEDITATIO XXIX.

DE MVLIERE CHANAnæa, cuius filiam Chriſtus à Dæmonio liberauit.

PVNCTVM I.

SECEDENTE IESV a *in partes Tyri & Sidonis, ecce mulier Chananæa à finib' illis egreſſa, clamauit dicens ei: Miſerere mei Domine fili Dauid; filia mea malè à Dæmonio vexatur.* a *Matt.15. 21. Marc.7. 26*

PERPENDENDAE hîc ſunt virtutes, quæ in huius mulieris oratione eluxerunt, vt eas, quòd inſignes valdè fuerint, imitari ſtudeamus. I.

Prima

I. *Prima* fuit magnæ FIDEI & CONFIDENTIAE: ostendit enim quàm præclarè de Christo Domino sentiret, quem Dominum & Messiam confitebatur; adeoque potentem, vt vel sola voluntate, aut mandato eiicere Dæmonia posset. Quare non dixit: Ora pro me; sed, *miserere mei, adiuua me*, breuissimis verbis miseriam suam explicans ei, quem credebat posse adferre remedium.

II. SECVNDA virtus fuit magnæ CHARITATIS, qua filiæ calamitatem, propriam suam æstimabat. ideo enim non dixit: miserere filiæ meæ & iuua eam; sed *mei, & adiuua me. Imò &*

III. HVMILITAS hîc eluxit, quia suis fortè peccatis potiùs quàm filiæ, eius calamitatem tribuebat.

IN duabus his virtutibus eminent Sancti, proximorum incommoda, vt propria æstimantes; Parentes, filiorum; Superiores, Subditorum; & Subditi, Superiorum, & simul fatentes, ob propria sua peccata alios à Deo puniri.

IV. EX eadem hac animi demissione profecta illa REVERENTIA est, qua vsa est in orando. Nam teste S. Marco; b *Procidit ad pedes eius*, & eum adorauit. *Denique* magnum adhibuit in orando AFFECTVM & CONSTANTIAM, quam tum clamores ex cordis affectu prodeuntes; tum ipsa post eum petitionum & obsecrationum suarum improba repetitio satis prodebant. His insignibus virtutibus orationem meam exornare contendam: & cùm vitio ali-

b *Marc. 7. 25.*

V.

quo

quo ſuperbiæ, gulę, aut iræ me vrgeri ſenſero; ad ipſius Chriſti pedes proſtratus ſemel & ſæpius repetam: *Domine fili Dauid, miſerere mei quia* anima mea *male à Dæmonio*, & graui ſuperbia *vexatur*, adiuua & libera me. Et pari ratione, cùm proximũ aliquẽ, qui me conſuetudine aut iure aliquo contingit, alicui vitio ſuccũbentẽ perſpexero, eius miſeriam, vt meam propriam accipiẽs, eidem Chriſto Domino dicam: *Domine fili Dauid miſerere mei, quia* anima fratris mei *male à Dæmonio torquetur*. Adiuua me, nam, ſi, illius miſertus, eum eripueris, me eripueris: eius enim calamitas, mea etiam eſt calamitas; quia meis peccatis eam omnino tribuo.

PVNCTVM II.

QVI IESVS *non reſpondit ei verbum: At illa venit, & adorauit eum dicens: Domine, adiuua me: qui reſpondens ait illi: non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Neque decet, beneficia, & gratias, quę Iudæis tanquam filiis conferuntur, Gentibus, qui vt canes ea non agnoſcerent, conferre. *At illa dixit: etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.*

HIC perpendenda ſunt, tum quæ Chriſtus ipſe, tum quæ Chananæa in hoc ſuo congreſſu fecerunt. Nam Chriſtus ad Chananææ clamores, atque ſi eius petitiones nihili faceret, tacebat: non quòd eas reipſa contemneret; ſed I.

vt ea

vt ea dilatione desideria eius crescerent, & affectus. & in ipso progressu etiam indicia dedit negandi, quæ illa petebat, quasi ei exprobraret, quòd canis esset, & indigna, quæ tale quid impetraret: quod probandi, & eam humiliandi causâ obiecit: quò magis ad accipiendum quod petebat disponeretur. Quando enim Deus nos humiliet, signũ est, teste S. Bernardo, quòd nos velit exaltare; & quos sic probat, signum est etiam eos esse vasa solida valdeque capacia: Debilibus enim potiùs statim tanquam infantibus, quod petunt, elargitur: robustiores autem, quorum virtutem habet perspectam, probat, nunc differendo, quæ petunt; nunc duriori aliqua & aspera responsiõe; sicut propriã matrem suã in Nuptiis probauit: quò tali exẽplo discamus, non abiicere animũ, etiã si non pro votis cito exaudiamur.

Serm. 34. in Cant.

II. DEINDE in quibus virtutibus Christi Chananæam probauit? in patientia, humilitate & constantia, quæ veræ virtutis lapis sunt Lydius: quas illa excellenter hîc exercuit, & valde prudenter. *Primùm* enim etiam duris & asperioribꝰ verbis excepta; nec turbata nec indignata fuit, aut conquesta; nec murmurauit: Nec propterea à sua petitione destitit; sed magnâ animi constantiâ petendo perrexit. *Deinde* rara animi demissione confessa quod erat; dixit: *Etiam Domine:* fateor me canem esse, ac gentilem, & catellum inutilem: Imò vlteriùs progressa in humilitate est. Nam etsi catelli comedere solent de micis, quæ cadũt de mẽsis domi-

dominorum suorum; ipsa tamen nec earum dignam se esse existimans, non petiit vel aliquam sibi micam dari; sed id prætermittens, liberalitati & misericordiæ ipsius Domini se se permisit. *Tertiò* prudenter omnino ex verbis ipsius Christi, & ex propria sua, vilitate rationes & causas deduxit, vt feliciter expediri impetraret. Dicens: Si canis ego sum, Domini non filios suos tantùm sustentant; sed catellos etiam suos micis, quæ ex eorũ mensis cadunt, alere consueuerunt. Hoc ego etiã spiritu Christo dicam: O Rex cœli, qui in regno tuo mensæ tuæ beatitatis assidens, filios tuos splendidè pascis, non est mensa tua sicut auarilius & epulonis diuitis, ex cuius micis neno fuit qui mendico & esuriẽti Lazaro daret: nam etsi ditissimus es, non tamen auarus, sed liberalis; non parcus, sed profusus & potius prodigus; ad tuum ecce conspectum vt catelus tuus accedo, buccelam panis aliquam expectans, quæ ex ista mẽsa tua cadit pro ijs, qui in hac vita degunt. Fateor Domine, Sanctum non esse mittendum canibus, quando ad lacerandum illud quærunt: sed ego, Deus meus, illud cupio, vt desinam esse canis: ideoque cęlestem panem peto, qui ea virtute pollet, vt ex canibus filios tuos faciat. Huius, quæso, panis aliquam mihi partem largire, quamuis non sim eo dignus: qui tam es liberalis ad dandum tuis domesticis, quicquid habes.

PVNC-

PVNCTVM III.

TVNC *respondens* IESVS *ait illi: O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et propter hunc sermonem vade; exijt Dæmonium à filia tua: & sanata est filia eius ex illa hora.*

à *Marc. 7. 29.*

I. PERPENDE hîc, quântoperè Christus recreatur humili aliqua, tolerante, & confidente anima! quomodo eam laudet! quomodo extollat, eiusque votis annuat! dans illi quicquid petit. Hunc affectum expressit ipse, cùm dixit: *O mulier, magna est fides tua.* O quantam fuisse necesse est, quam tantus Deus *magnæ* nomine insignit! Apostolos sæpè Christus *modicæ fidei* homines appellauit: hanc appellat mulierem *magnæ fidei*. O Domine infunde mihi viuæ huius fidei celsitatem, fiduciamque de bonitate tua certam, qua tibi, sicut hæc mulier, placeam.

II. SIMILITER considera, Deum laudare, & honoribus prosequi eos, qui tanta hac fide pollent; quia ipsi eâ Deum honorant, & glorificant, sentientes de eo altè in bonitate & eius prouidentiæ sese committentes: est autem Deo familiare eos honorare à quibus honoratur.

III. DENIQVE obseruandum est verbum illud: *Propter hunc sermonem vade: exijt Dæmonium à filia tua.* Eâ enim sententia videtur Christus expulsionem Dæmonis humili Chananææ verbo tribuisse: quia vera humilitas terret

Dæmo-

Dæmones, cogitque fugere è corporibus & animabus. O Redemptor mi, pone in corde meo & in lingua mea verba humilitatis veræ, quibus in virtute & nomine tuo expellam ex mea & proximorum meorum animabus omnes Dæmones, à quibus vexamur, quò ab eius seruitute liberati, in iustitia & sanctitate seruiamus tibi. Amen.

MEDITATIO XXX.

DE SERVO CENTVRIONIS à Christo Domino sanitati restituto.

CVM introisset IESVS Capharnaum. a *Centurionis cuiusdã seruus male habens, erat moriturus: qui illi erat pretiosus. Et cùm audisset de* IESV, *misit ad eum Seniores Iudæorum* b *rogans eum & dicens: Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.*

a *Luc. 7. 2.*

b *Matt. 8. 6.*

PERPENDE hîc primùm Centurionis huius pietatem: qui adeò solicitus erat de sanitate, non filij sicut Chananæa, sed serui; magna etiam charitate prosequens paruulos: præter multa alia pia opera, quæ præstabat, Synagogas Iudæis ædificans & alia multa beneficia in eos, etiamsi gentilis esset, conferens.

I.

II. DEINDE considera profundam eius humilitatem, qui non est arbitratus se dignum, qui antè Christum compareret, aut per se ipsum accederet: abiectè de se, altissimè verò de Christo sentiens. & licèt Seniores illi ab ipso ad Christum missi, dicerẽt, dignum eum esse, cui gratia petita conferretur, ob multa bona quæ ipsis præstitisset: ipse tamen bonorum, quæ præstitisset, oblitus, indignum se eius cõspectu iudicauit.

III. TERTIÒ magna fuit eius fides, & confidentia: qui satis sibi esse existimauit, quòd serui sui necessitatem, quia paraliticus esset, & malè torqueretur, Christo Domino proposuisset: nihil dubitans posse ipsum etiã absentem seruũ sanitati reddere: adeoq; benignum esse ac misericordem, cui satis esset, eam calamitatem cognoscere, etiamsi non peteretur, vt ei subueniret. Ex quo discam rationem cum Christo Domino agendi, quæ nõ tam est posita in verbis, quàm in affectibus; nec tam in præsumptuoso ad eundem accessu, quàm in humili ab eodem ob reuerentiam recessu: sic enim recedere, appropinquare est. Vnde S. Matthæus refert, Centurionem accessisse ad Iesum, quò significaret, non corporis passibus, sed spiritûs ad Christum esse accedẽdum, actibus scilicet affectibusq; fidei, fiduciæ, humilitatis, reuerentiæ & charitatis. O Deus animæ meæ da mihi sicut Cẽturioni huic, proprię cognitionis lumen: vt quodcunq; bonum perfecerim oblitus, inutilẽ me seruũ semper

agno-

agnoscam, indignumque, qui in tuo conspectu compaream: sic tamen id obtinere desidero, vt non ita pusillanimitate retraham, quin vera accedam charitate. Ecce Domine seruus meus, qui est corpus meum, quod ministrare mihi deberet, est paraliticum, valdeq; ad ministrandum spiritui ioeptum, manuum & ad virtutum opera deficiens: Et nisi huic eius necessitati subuenias, nemo poterit me ab ea eripere.

PVNCTVM II.

ET *ait illi* IESVS: a *ego veniam & curabo eum.* b *& cùm* reipsa *iret* versus domum Centurionis, *& iam non longè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos dicens: Domine noli vexari; non enim sum dignus, vt sub tectum meum intres: propter quod, & me ipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.*

a *Matt. 8. 7.*
b *Luc. 7. 6.*

PRIMVM hîc perpende Christi Domini benignitatem, & quanto fauore humiles & paruulos prosequatur: parui omninò faciens potentes & superbos: Nam Regulo, qui c *rogabat eũ, vt descẽderet & sanaret filiũ eius,* etsi principi alias & per seipsũ venienti, & *filij sanitatẽ* petenti; asperiùs tamen respondit, & incredulitatẽ obiecit; Centurioni tamen, qui de se humiliter sentiẽs, indignũ se iudicabat; q id à Christo peteret, benignè respõdit, seq; offert ad id etiã q non petebatur; ac reipsa ire cepit

I.

c *Ioan. 4. 48.*

versus domum Centurionis; non eius filium, sed seruum sanaturus. O humilitas, quàm es potens! quę ipsum Dei filium ita attrahis, vr gesque venire ad visitandam domum, quam tu incolis! O vtinam cor meum esset hospitiũ tuum: quò ipse Dei filius illud ingredi & inhabitare dignaretur!

II. DEINDE obserua, Centurionem non solùm non fuisse inaniter elatum hoc Christi in se fauore, sed creuisse potiùs in humilitate, & profundiores in sui cognitione radices iecisse, eoque in fide omnipotentiæ Christi profeciſſe, vt crederet eum, vel solo verbo posse seruum ipsius restituere sanitati. *Tantùm*, inquit, *dic verbo: & sanabitur puer meus.*

QVAE verba commodissima Ecclesiæ vi sunt, quæ ante sacram Communionem vsur parentur, quæ propterea vtroque hoc affect humilitatis & fiduciæ, reuerentiæ & viuæ fi dei dicere studebo. O Deus cœli & terræ quis ego sum, vt tu ad pauperculam domum meam venire digneris? non sum tantum bo num promeritus; nec adeo vilis habitatio tã tum hospitem recipere digna est? Satis est Do mine, si vel verbulũ dixeris, ad sanitatem ani mæ meæ reddendam, & in ea quicquid vltra libuerit tibi peragendum. Cùm dixisti d *Fiat lux*, mox ita facta est. e *Dic anima mea, salus tua ego sum*, & è vestigio salua erit: Dic seruo huic corpori meo, vt sanatum resurgat, & re surget sine mora, vt mihi & tibi ministret in omnibus, quæ tibi placebunt.

d Gen. 1. 3.
e Psal. 34. 3.

DENI-

DENIQVE attende, qua ratione Centurio ex ſuiipſius cognitione ad excellẽtes aliarum virtutum actus aſcenderit, Chriſtum ipſum adiectis illis verbis extollendo: *Ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites; & dico huic, vade, & vadit; & alij veni, & venit.* Ego, inquit homo ſum terrenus, eius conditionis, vt aliis ſubſim: tu verò homo es cœleſtis, Deusque infinitus, omnibus ſuperior, qui nemini ſubes, ſed omnibus præes: quare non ſum dignus, ad quem, vtpotè viliſſimum, tantus Dominus veniat. Quod ſi verbo meo milites, ſeruique mei obediunt: multò promptiùs verbo tuo vniuerſæ obedient creaturæ, & ipſi morbi parebunt: quare dicente te: venite, venient; dicente, abite, diſcedent. Huius Centurionis exemplum imitans, ex ijs, quæ in me experior intelligam f *quàm admirabilis facta ſit ſcientia* eius quod poteſt Deus, *ex me*, exultaboque de excellentia ac poteſtate eius. Gaudeo Saluator mi, ſupremum te eſſe Monarcham, cui omnes obediant: tantamque eſſe potentiam tuam, vt te efficaciter dicente, fiat hoc, ad nutum pareatur tibi, fiatque quod iubes. Largire, quæſo, & mihi hanc ſupra facultates animæ meæ poteſtatem, vt me aliquid quod obſequij tui ſit, imperante, abſque mora ipſæ obtemperent; & ſi imaginatiuæ præcepero hoc imaginare, id ſtatim præſtet; ſi illud imaginari prohibuero, mox deſiſtat: & dicente me appetitionibus meis, hoc appetite; id faciant; & ſi dixero, illud deteſtamini, ſta- III.

f Pſal. 138. 6

tim illud detestentur, vt in omnibus sanctissimam tuam sequantur voluntatem. Amen.

PVNCTVM III.

a *Matt.* 8. 10 AVDIENS *autem* IESVS *miratus est; & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in Regno cœlorum: qui autem Regni filij* esse debuissent, *eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. & dixit* IESVS *Centurioni: vade, & sicut credidisti, fiat tibi. & sanatus est puer in illa hora.*

I. PERPENDE hîc primùm Christum Dominum admiratum, quoad externa signa, fuisse, quò nos doceret, humilitatem, fidem, heroicamque virtutem adeo esse admirandam, vt sufficiens esse videatur admirationē ei adferre, qui est super omnia admirabilis: idque multò magis, cùm eædem virtutes in seculari quopiam & mundi huius hominibus inueniuntur, quales Capitanei, Centuriones, & milites sunt. quare magnus ad eas virtutes amoris affectus est nobis concipiendus.

II. DEINDE expende, Christum Dominum laudasse fidem huius Centurionis, vt illum eo honore afficeret, quòd toto tempore suæ prædicationis *tantam fidem non inuenisset in toto populo Israel*; eaque erubescere eos faceret, quos ratione sui status & conditionis magis

humi-

humiles, pios, Deoque subiectos esse oportebat. Ex quo magnum concipiam timorem ob cordis mei duriciem circa gratitudinem ob accepta tot beneficia. O mi Rex benignissime, ne patiaris me ad fidem tuam sanctam vocatum, & vt filius tuus per gratiam essem, meâ culpâ ab ea excidere, & Regno tuo expulsum ad exteriores eijci tenebras, extra lucem tuam, & ab amicitia tua ad lacus Inferni tenebrosos, vbi fletus continuus & rabies inuenitur. O vtinam plurimi ex Indiis Orientis & Occidentis ad Fidem tuam perueniant, vt Ecclesia tua Regnumque cœlorum plurimis iustis repleatur: sed ne Domine permiseris eos qui iam vocati & in Ecclesiam tuam iam ingressi sunt, ex ea egrediantur, & à Regno, ad quod eos vocaueras, excludantur.

DENIQVE perpendam, quàm plene benigneque Christus Dominus Centurionis votis annuerit, illo solo verbo sanitatem eius seruo reddendo, *Fiat tibi sicut credidisti* Nam, vt Regius ait Propheta: b *voluntatem timentium se faciet Deus*, Timeam ego & reuerear te, Deus meus, vt meam digneris voluntatem facere vel in hoc solo, vt tuam ego exequar semper.

Amen.

III.

b *Psal. 144. 19.*

MEITATIO XXXI.

DE SANATA MVLIERE à fluxu sanguinis.

a *Marc.5. 25.* a *Matt.9. 20.* MVLIER a *quae erat in profluuio sanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat; cùm audisset de* IESV, *venit in turba retro, & tetigit vestimentũ eius: dicebat enim, Quia si vel vestimentum eius, tetigero, salua ero. &* b *accedens retro tetigit fimbriam vestimenti eius, & confestim stetit fluxus sanguinis eius.*

b *Luc.8. 44*

I. HIC perpendenda primùm mulieris huius miseria, exiguumq; eiusdẽ à terrenis medicis remediũ; ita Deo disponente, vt ad cęlestem medicũ, qui etiam incurabiles animi & corporis morbos sanare potest, accederet; nihil enim illi est impossibile. In ea itaque muliere considerabo animam meã, maligni sanguinis fluxu laborantẽ, amoris videlicet proprij, cupiditatum, affectionum inordinatarũ: fluxu superbiæ, iræ, & innumerabiliũ aliorũ vitiorum & peccatorũ, donec c *sanguis sanguinem tãget*, tanto impetu prodeuntiũ, vt nulla sit vis in terra, quæ furenti eorum cursui possit resistere; nisi Deus manu sua illũ cohibeat.

c *Osee. 4.2.*

O Su-

O supreme & omnipotens medice, respice fluxum hunc sanguineorum peccatorũ, quo vexor: & quem nullum terrenum remedium sistere valet, cœleste illud mitte, quo sanitati omninò restituar.

PERPENDENDA deinde est insignis eiusdem mulieris fides & fiducia. Nam etsi experientia didicisset, infirmitatem suam esse incurabilem, cùm primum fama de Christi miraculis ad ipsam peruenit, tantum de eius sanctitate & omnipotentia concepit opinionem, vt crediderit se ab eo posse sanari, etiam non petentem, aut eius manus tactam; sed si solùm ipsa eius vestimentum tangeret; eò quod illud adeò sancti hominis esset vestimentum. Huic fiduciæ insignem etiam adiecit humilitatem, deuotionem, & reuerentiam; accedens secrè retro ad ipsum Iesum, non ausa ex anteriori parte accedere: & statim atque fimbriam extremitatemve eius vestimenti tetigit, sanatam omninò se sensit. O ineffabilem humilis confidentiæ virtutem, quæ spiritu tangens IESVM, tantum potes impetrare! O infinitam IESV virtutem, quæ admiranda adeò in ijs perficis, qui humili confidentiâ te tangunt. d *Quotquot enim vel ad fimbriam vestimenti eius tangebant, salui fiebant.* e *& omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* O Iesu dulcissime, si tali te spiritu tangerem! vt virtus ex se exiret, quæ morbos omnes meos expellens, virtutibus me omnibus impleret.

II.

d *Mar. 5. 56*
e *Luc. 6. 19.*

III. Apta ad communionem præparatio.

MIRACVLVM hoc licebit ad sacram cómunionem applicare, tres perpendes circumstantias: *miseriam* videlicet animæ meæ, eo modo quem iam posuimus; infinitã IESV *virtutem*, quem tango, dum communico; & *modũ* quo decet eum tangere. Nam propterea Christus apud nos manere voluit veste illa sacramentalium specierum contectus, vt tangentes eam, qui ipsum comedunt & accipiunt, liberentur à fluxu illo sanguineo cupiditatum, & affectionum inordinatarum. & propterea fortè in forma panis manere voluit; vt cùm comeditur, eas partes membraque tangeret, quæ sunt fons & origo sanguinis huius, eaque sanaret. Tangit enim linguam, vt loquacitatum, murmurationum, aliorumque plurimorum peccatorum, quæ per eam passim admittuntur, fluxus sanaretur: Tangit guttur, ad gulæ, edacitatis & ebrietatis fluxum sistendum: Tangit pectus, vt fluxum reprimat cogitationum, & nimiarum cupiditatum iræ, superbiæ &c. Denique si viua Fide tangitur, & recipitur: totus hic fluxus sistitur & exsiccatur: nam ita ait sanctus Marcus: *siccatus est fons sanguinis*. Nam licet incurabilis videatur, sicut erat huius mulieris, remedium tamen inueniet in omnipotentia & misericordia Christi IESV in sacraméto latentis. Gratias tibi ago IESV dulcissime, quod nobiscum manere sis dignatus, vt malis nostris remedium adferres. O misericordiæ fons, exsicca in corde meo fontem misericordiæ

riæ meę; ostende in me omnipotentiam tuam, eo me fauore prosequens, vt ita te tangam atque recipiam, vt omninò cesset abominandus hic fluxus, quo vexor.

IV.

DENIQVE perpendam modum & rationem, qua tangere & recipere me oporteat Christum. debeo enim huius mulieris exemplo accedere, hinc magna fide fiduciaque de bonitate & omnipotentia huius Domini: inde verò magna reuerentiâ & timore ob meã indignitatem, indignum me iudicans, qui illum tangam, imò & qui aspiciam. Quis enim sum ego Domine, vt te tangam, & recipiam? id potius sum promeritus, vt ex tuo vestimento, & sanctissimo hoc sacramento radij ignis prodeuntes, me perderent: verùm de tua misericordia spero amoris radios prodituros, qui prauarum mearum propensionum fluxum exsiccant. Et hac, Domine, spe accedo ad te recipiendum.

Hos & similes affectus licet excitare, cùm sacram ipsam hostiam in ore teneo, & cùm linguam & guttur illa pertransit; ac dum in ipso manet pectore.

PVNCTVM II.

MIRACVLO secuto a *ait* IESVS. *Quis est qui me tetigit? & dixit Petrus: Præceptor, turbæ te cõprimunt & affligunt, & dicis: Quis me tetigit? & dixit* IESVS, *tetigit me aliquis. Nã ego noui virtutẽ de ea exijsse. Videns*

a *Luc. 8. 45.*

autem

autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes eius, & ob quam causam tetigerit eum, indicauit coram omni populo: & quemadmodum confestim sanata sit.

PERPENDENDVM hic est, Christum Dominum, qui sua aliàs miracula occultabat, & taceri mandabat, quò exemplum ab eo humilitatis disceremus; voluisse tamen hoc miraculum, quod mulier occultabat, manifestari ob multa commoda, quæ ex eo eduxit, in eiusdem mulieris & omnium vtilitatem, nominatim habuit tres causas siue motiua valdè vtilia, cur id faceret.

I. Monita ad benè communicandum.

PRIMVM motiuum fuit, vt appareret quantum sit discrimen inter eos qui Christum, eiusque Sacramenta & res alias sacras cum humilitate, reuerentia, & deuotione tangunt; & eos qui eundem sine his circumstantijs contingunt. Priores enim, quòd valdè illi placeant, gratiâ suâ, donis, & fauoribus à se prodeuntibus, prosequitur: posteriores, quòd ipsi valdè displiceant, eumque contristent, non participant eius virtutes: qualis est turba eorum qui sine spiritu communicant. Et reflexione in meipsum facta, deflebo, quod vt sæpè tangens Christum exiguâ meâ reuerentiâ & deuotione eundem contristaui: ita ob eandem causam, exiguum hauserim fructum ex cõmunione, sacrificij Missæ quod offero, vel audio; & ex alijs operibus, quæ interdũ præsto. O Rex gloriæ, ne permittas me in posterum tangere & tractare te tuaque absque debita

bita reuerentia, & deuotione! Non enim decet me diuinum tuum corpus tangere, & Angelorum panem comedere, nullo discrimine inter eum & vulgarem hominum panem adhibito. Attende anima mea, qua ratione Dominum hunc tangas & recipias: ob id saltem ne in morbum tibi mortemve conuertatur, quod ad sanitatem vitamque tuam est destinatum. Sed & illud aduertam: quod, quamuis virtus ex Christo prodeat, ad omnes sanctificandos, qui dignè, vti diximus, ipsum tangunt & sacramentaliter recipiunt: eò tamen prodit maior virtus, quò dignius tangitur. Hæc autem virtus, quæ ab eo procedit, charitas est, humilitas est, obedientia, patientia, oratio, deuotio, cæteræque virtutes, ac dona Spiritus sancti; procedit quoque virtus pacis, gaudij, & spiritualis consolationis, inspirationes, illustrationes cœlestes: quæ omnia hic Dominus communicat iuxta dispositionem, qua ad eum accedimus, maiora gratiæ suæ dona ei tribuens, qui melius paratus accedit. O virtutum omnium fons, concede mihi excellentissima te dispositione sumere; quò excellentissimæ alicuius virtutis tuæ particeps fiam,

FECIT præterea hoc IESVS, vt mulieris huius ignorantiam curaret: quæ, etsi pia, existimauit tamen, se posse Christum tangere, ipso id non sentiente, nec aduertente, modò in cumulo cum reliqua turba tangeret: quam vt ab hac ignorantia eximeret, dixit: *Quis me* 11

teti-

tetigit: vt & ego intelligam, scire Christum eos omnes, qui ipsum tangunt, & accedunt, quantumuis id faciant occultè, & multi illi sint, & cõfusi accedant: videtque, qui cum reuerentia & deuotione, qui sine illis communicent: temporeque suo manifestaturus sit ac promulgaturus omnia, prout erunt gesta. Quamobrem aperi, anima mea, oculos mentis, attendentes cùm communicas eum Dominum, quem tangis, & si sub sanctissimi Sacramenti velo lateat, videre tamen cor tuum, modumque & dispositionem, qua eum recipis; nec posse te occultare, aut quæ nunc agis latere. Ipse enim reuelabit; vt si bonum illud fuerit, cedat tibi in honorem; in ignominiam & pudorem, si malum. Quare contende ad eum accedere, eumque recipere tanta cordis puritate & munditia, atque qui à Deo aspicitur, & atque si ab vniuerso mundo qui cordis munditia accedere obseruaretur.

III. VOLVIT denique Christus Dominus quâdam aliam huius mulieris imperfectionem curare: qua infirmitatem suam manifestare pudebat, quod ijs qui eam cognoscerent, stomachum moturam existimaret; ac propterea ipsam vt immundam despicerent. vt itaque pudore hoc deposito, magis in humilitate, & sui ipsius contemptu proficeret, effecit Christus, vt ipsemet se manifestaret. vt & ego hinc discam, nec nimiam ob vanum confusionis & humiliationis timorem verecundiam meam, qua meas culpas in confessione aperio;

rio; nec illam propensionem, qua, vellem defectus, & imbecillitates meas, & alia quæ ad me humiliandum conferrẽt, nemini innotescere, ipsi Christo Domino placere posse: potius gratum habere, cùm ego ipse, calcato vano illo timore, illa confitear & manifestẽ, quò spiritualis mea sal' solidior sit ac perfectior. Et si quandò peccatorum contritione in cordis mei secreto veniam illorum impetrem, necesse tamen est eadem Confessario in tribunali confessionis aperire, qui Absolutionis sentẽtia, quod ante Deus fecerat, gratificet. Eripe me, ô bone IESV, à pernicioſa illa cõfusione, quam secum adfert peccatum: eiusque remedio portam referans, erige pusillanimitatem meam, vt vires resumat, & animum ad culpas meas aperiendas, reiecto inani timore ignominiæ, quæ ex tali confessione posset prouenire: siquidem huiusmodi b *confusio est adducens gloriam* tibi, *& gratiam* mihi, quam à te recipiens, & ipse glorificer.

b *Eccl. 4. 25*

PVNCTVM III.

CVM mulier tremens ad IESV pedes prostrata maneret, a *ipse dixit ei: Fides tua saluam te fecit: vade in pace.*

a *Luc. 8. 48.*

PERPENDE hic Christi Domini charitatem in consolandis suis electis. Cùm enim hæc mulier anxia esset ac tremens, nescians an fortè contactu illo suo eum offendisset; & propterea recepta semel sanitate esset spolianda: magno eam amore compellat

filiam

filiam, vt sic eam consolaretur, & de recepta sanitate redderet securam: adijciens & illud: *Fides tua saluam te fecit*: quasi diceret, ne dubites, non tibi auferam sanitatem, quam fide tua tibi comparasti.

I. COGNOSCAM verò hinc *primum*, bonarum esse mentium ibi timere culpam, vbi non est est timenda; ac subuereri ne fortè Deo displiceant suis communionibus & alijs deuotionibus: ideoque sæpè hærent anxiæ dubiæque, num accedent ad Christum tangendum, & recipiendum; nec ne. Id sic permittente Deo ad eas animas dolandas, & in humilitate alendas fundandas, & excitandas ad maiorem in profectu suo feruorem, & ad exactiorem præparationem ipsius communionis.

II DEINDE intelligam, Christo Domino gratius multò esse, si ex amore ad eum accedamus; quam si abstineamus ex timore. Adhoc enim approbauit spiritum huius mulieris, & propterea *filiam* appellauit: quia spiritus amoris & confidentiæ proprius est filiorum Dei, qui infinitam suam bonitatem in eo manifestat, quod fauentibus oculis nostra omnia respiciat, licet imperfecta illis aliqua misceantur: sicut huius mulieris fidem, licet aliàs imperfectam, laudauit, acceptam ei tribuens sanitatem, vt eo exemplo non abijciam ego animum, si quando aduertero aliquam in meis actionibus imperfectionem: Nam, vt ait Propheta Regius: b *In libro tuo omnes scribit Deus* etiam imperfectos, quos

b Psal. 138. 16. & S. Aug. ibid.

post

post expurgationem admittit ad gloriam, in qua cum ipso regnent in secula. Amen.

MEDITATIO XXXII.

DE LANGVIDO A CHRISTO Domino ad probaticam piscinam sanato.

PVNCTVM I.

ERAT *Ierosolymis probatica piscina* (in qua ouium & aliorum carnes ad sacrificium leuabantur) *quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languētium, cœcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam: & mouebatur aqua, & qui prior descendisset in piscinam, post motionem aquæ sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.* Ioan. 5. 2. &c.

CONSIDERA, Piscinam illam animalium illorum, quæ Deo sacrificabantur, sanguine tinctam, figuram fuisse Sacramentorum, & eorum lauacrorum, quæ Christus Dominus instituturus erat sanguine eius sacrificij; quod de seipso in Cruce erat oblaturus. Hæc sunt Sacramenta baptismi, aquæ, & Pœnitentiæ, quæ baptismus est

ignis & lachrymarum: cuius excellentiæ & præcipuæ proprietates in hoc miraculo adú brabantur. In quo tria erant notanda, sed intra certos limites. *Primùm*, quòd omnes corporis morbos curaret: non tamen dicitur, quod mortuos suscitaret. *Secunda*, quod Angelus de cœlo descendebat, vt aquam moueret: nam aqua illa ex se talem vim minimè habebat: sed non tamen descendebat Angelus, cùm infirmi petebant, aut volebant; nec eius descensus ab alicuius hominis voluntate pendebat, sed à solo ipso Deo, qui interdum illum mittebat. *Tertia*, quòd non nisi vnum infirmum ex vna motione sanaret, non multos: & ille vnus is erat, qui primus post aquæ motum in piscinam descendisset, idque in premium suæ diligentiæ.

TRES aliæ excellentiæ sunt etiam in Sacramentis nostris, sed multò eminentiores, & absque limitationibus illis. Præmittitur autem, Sacramentum Baptismi semel tantum à singulis recipi posse.

I. Baptismi & Pœnitẽtiæ excellentiæ.

PRIMA excellentia horum Sacramentorum est, quod virtutem habeant ad vniuersas peccatorum maculas eluendas, & animæ morbos curandos: & quod multò amplius est, ad ea ex morte culpæ ad gratiæ vitam resuscitandam: quod veteris legis Sacramenta facere non poterant. Hoc spiritu oportet me ad Pœnitentiæ Sacramentum accedere, quæ si ob culpas meas sim mortuus,

vita

vita mihi dabitur; si langueo ob vitia, & mores deprauatos, eodem sanitas mihi restituetur; si cæcus ob errores & ignorantias, eo mihi oculi aperientur, & lux ad videndum, quæ oportet, communicabitur; si in Dei obsequio claudicem, pedes mihi ad rectè progrediendum dabuntur; si aridus ac debilis, feruor, deuotio, & vires ad laborandum concedentur. O sit ille benedictus, qui tale instituit lauacrum, tanta virtute pollens, vili adeò acceptâ creaturâ, quæ ipsius omnipotentiæ esset instrumentum, quo à tanta me miseria liberaret.

SECVNDA excellentia est, quòd magni consilij Angelus Christus Dominus noster, paratus sit, quod in se est, venire ad nos his sacramentis sanctificandos, semper, omni die, & hora: idque Ministrorum suorum voluntati, & infirmorum desiderio totum ita commisit, vt assistente continuè magno hoc Deo & Domino, salutem accipiant, vitam, & feruorem spiritus, quicunque hæc accipiant sacramenta. Ex quo intelligam quantâ reuerentiâ fiduciaque oporteat me hæc sacramenta percipere; aspicientem Sacerdotem & Confessarium, non vt hominem tantùm; sed vt Dei ipsius visibilem Angelum, ad me sanandum ab eo missum: ipsum verò Deum inuisibilem virtute sua illic assistentem, vt salutem meam operetur: in quo propterea præcipuas spes meas debeã collocare. Gratias tibi, Saluator benignissime, II.

quod in ministrorum tuorum manibus remedium posueris, curandis meorum peccatorum vulneribus, ita semper salutis meæ negotio attentus, atq; si tibi nihil aliud agendũ incumberet. Vtinam & ego diuini obsequij tui negotio ita insisterem; vt ad nihil, quod te offenderet, vnquam diuerterem.

III. TERTIA excellentia est, quo eadem Sacramenta virtutem habeant ad sanandum vniuersos; licet reipsa non omnes sanent, ob accedentium teporem, aliamve dispositionem prauam: & præcipuè eos sanitati reddũt, qui primi sunt, hoc est qui exactiori diligentiâ, maiori feruore, meliori dispositione circa dolorem, & examen peccatorum, quam alij accedunt. omnes verò contendere par est, vt in his primi simus, tãquam nostræ salutis soliciti, & vt copiosiores ex his sacramentis fructus percipiamus. Sed adeò excellit bonitas Dei, vt etiã sanet imperfectos & tepidos, qui tam exactam dispositionem non habent; supplens virtute Sacramenti, quod perfecto nostro dolori deest. Ego tamen, Domine, gratiâ tuâ adiutus, desidero primus esse in omnib⁹, quæ ad tuum spectant obsequiũ, & salutem animæ meæ; omnem pigritiam excutiendo, & contendendo alijs præire pro gloria tua.

PVNCTVM II.

a *Ioan. 5. 5.* ERAT a *ibi quidam homo triginta octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset,*

quia

quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? respondit ei languidus: Domine hominem non habeo, vt, cùm turbata fuerit aqua mittat me in piscinam, dum venio enim ego, alius ante me descendit.

PERPENDENDA hic primùm est magna Christi Domini misericordia, qui atria illa siue porticus ingressus solus & ignotus, cùm nullus quicquam ab eo peteret, oculos suos coniecit in languidum, omnium maximè indigentem, & simul ab omnibus desertum, vt sanitati illam restitueret, quo enim miseria est maior, eò prouocat magis misericordiam ad illi subueniendum. I.

DEINDE causam expendam, cur Christus Dominus languidum hunc interrogauerit: *vis sanus fieri?* siquidem satis certum & exploratum erat, illum cupere sanitatem. Sed hoc fecit Christus ad significandum, in negotio spiritualis nostræ salutis duas voluntates esse necessarias, Dei, & nostram; illa Dei & certa; siquidem ad sanitatem suscipiendam nos inuitat; ideoque ex ea parte defectus non erit: sed nostra voluntas debet esse vera & efficax, & non quasi pro forma, ideoque Christus non dixit: velles esse sanus? sed *vis* esse sanus? ita vt hoc *Volo* debeat esse absolutum, & ita efficax, vt omnes inordinatas ad peccandum affectiones & proximas occasiones omninò remoueat; & ex parte sua adhibeat quidquid est necessarium ad spiritualem suam salutem consequendam, II.

ſicut languidus hic facere conſueuerat, qui reptando vt poterat contendebat ire in piſcinam. Et hæc prima eſt neceſſaria diſpoſitio, vt quis ad lauacrum hoc pœnitentiæ accedat.

III. TERTIÒ languidi reſponſum eſt conſiderandum, quo ſuam voluntatem confeſſus eſt, & ſimul tamen impoſſibilitatem adiecit, dicens: *hominem non habeo*, qui me iuuet ac deducat; nec vires, vt per me in piſcinam poſſim intrare. In quo monemur, debere nos agnoſcere & demiſsè confiteri imbecillitatem & neceſſitatem noſtram ita, vt nec ſolus ego tantas vires habeam, vt ſanare me poſſim; nec purus alius homo aut creatura aliqua ſit, quæ me per ſeipſam iuuare poſſit; ſed à ſolo Ieſu Chriſto ſubſidium mihi eſſe venturum: ideoque ad ipſum mihi eſſe confugiendum, & firma fiducia dicendum: Redemptor mi, ecce mancus ſum, & debilis, ac viribus deſtitutus ad ſalutem quærendam; & ſine auxilio creaturarum ad illam procurandam: iam non poſſum dicere, me non habere hominem, ſiquidem te habeo, qui & verè homo es, & plus quam homo, & iuuare me potes: adiuua ergò me Domine, ſiquidem non in puro homine ſpem meam colloco, ſed in te, qui verus es Deus & homo, cuius eſt ſalus & benedictio in ſeçula.

IV. EX dictis conſtat, duplicem diſpoſitionem ad hoc Sacramentum eſſe neceſſariam:

volun-

voluntatem scilicet & desiderium sanitatem obtinendi, & humilem meæ impossibilitatis confessionem; quibus addenda est tertia exemplo huius languidi, qui in suo responso magnam ostendit patientiam, cùm nec sit quæstus, nec murmurauerit de ijs, qui eum non iuuabant: sed sortem vicissim cum longanimitate expectabat: sic inquam longam patientiam & constantiam habere me decet in procuranda perfecta mea salute, & perturbationum mearum victoriâ, absque quærelis aut murmurationibus; non grauiter ferendo dilationes & moras, quas Deus in ferendo mihi subsidio trahit, nec dando impatientiæ locum, propterea quod pugna sit diuturnior, aut morbus; sed clamando tamen, & simul perseuerando: nam vt apud Iob dicit b *cum te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer:* & quando minus ego cogitauero, aduenier Christus, reddetque mihi sicut huic languido, sanitatem.

b *Iob. 11.17.*

PVNCTVM III.

DIXIT ei languenti IESVS: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat.*

CONSIDERANDA hic primũ est omnipotẽtia & infinita Saluatoris in hoc miraculo misericordia, nã vtens suę bonitatis & potestatis plenitudine, nõ exegit ab hoc lãguido fidẽ, nec

L

petijt vt crederet ſicut ab alijs exigebat; nec manu illum tetigit, nec piſcinæ aquâ lauit, vt potuiſſet; ſed vnico ſolo verbo integram & perfectam illi reddidit ſanitatem. Gaudeo Saluator mundi, te eſſe adeò potentem ac miſericordem. Satis apparet te plus eſſe quam hominem, qui poſſis quæ nullus homo aut Angelus poſſet. Ach be erga me tuam omnipotentiam & miſericordiam perfectam, impertiens ſanitatem, qua tibi ſeruire valeam.

II. EXPENDENDA deinde eſt cauſa, cur ei dixerit, *tolle grabatum tuum & ambula*, non ad literam ſolùm vt appareret corporis ſanitatem, quam Deus impertit, eſſe perfectâ & ſolidam; ſed vt idem etiam de ſpirituali intelligatur. Nam infirmus, qui animam ſuam paraliticam & impeditam, ac in grabato miſeri corporis iacentem habebat, tractam & raptatam à ſuis cupiditatibus & inordinatis carnis ſuæ appetitionibus virtute Chriſti ita ſana reſurgit, vt ipſamet corpus ſuum quocunque velit ducat ac gubernet, ſuamque voluntatem ita dirigit vt non trahatur à paſſione iræ, timoris, triſtitiæ aut gaudij; ſed ipſa potius has paſſiones gubernet, eiſdemque iuxta rationis dictamen vtatur. Et hoc ſignum eſt eam fuiſſe perfectè ſanatam. O bone Ieſu dic animæ meæ: tolle grabatum tuum & ambula, vt ſimul cum corpore meo per ſanctæ tuæ legis viam ambulet; libera quæſo eam à nimijs cupiditatibus, vt

præ-

præcep o um tuorum onus ita illi fiat leue, vt faciliùs tollere illud possit.

DENIQVE consideranda est etiam exactissima huius hominis obedientia, qui, cùm hoc factum esset die Sabbati, quo Iudæi non existimant licere onera portare, ipse tamen statim atque à Christo audiuit: *tolle grabatum tuum & ambula*, iudicium suum subiiciens, magna promptitudine, velocitate, & lætitia grabatum suum suscipiens super se, cępit ambulare. dicentibus verò illi, qui ei occurrebant: a *Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit: qui me sanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum tuum, & ambula.* Atqui si dixisset, qui adeo est Sanctus ac potens, vt me sanare potuerit, ipse hoc mihi mandauit: certumque est id esse licitum, siquidem ipse mandauit. hoc aût mihi satis est: Et hoc dicebat non sciens, quis esset CHRISTVS: qui tamen vult subditos suis superioribus, & pœnitentes suis confessariis simili obedientia prompta, ad nutum, hilari, & resignata obedire; (vbi peccatum non apparet manifestè) & quicquid Deus, & Confessarius, qui ipsos sanitati reddidit, iusserit, reipsa præstare. O Deus meus, vera animæ meæ salus, iube quidquid volueris, quamuis difficile, ignominiosum & graue sit; & quamuis omnino adinaton esse videatur; omnibus enim prompta voluntate me subdam, & si quis obedientiam meam voluerit impedire, respondebo ei: DEVS qui me sanum fecit, hoc vt facerem

III.

a *Ioan. 5. 10.*

præcepit: mihi autem hoc satis est, vt id exequar.

PVNCTVM IV.

a *Ioan. 5. 13.* RESTITVTO homine sanitati a IESVS *declinauit à turba constituta in loco*, & postea veniens ad templum *inuenit ibi hominem, dixitq; illi: ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

I. PERPENDENDVM hic primùm est humilitatis exemplum, quod Christus Dominus hic dedit, seipsum abscondēs & hominum laudes declinans; item solicitudo, qua ad templum accessit, non solùm, vt gratias Deo Patri ob illud miraculū referret, sed etiā vt illud magis perficeret monitis illis, quæ huic homini dedit in templo, ad quod sciebat ipsum iturum.

II. DEINDE perpendam bonum illum gratitudinis affectū, quem homo ille infirmus habuit qui statim atq; se restitutum sanitati vidit, primùm omnium in templum se contulit, vt pro accepto beneficio gratias Deo ageret. vnde exemplum accipiam, mox à confessione Deo gratias agere, ob acceptū in eo sacramento beneficium. meipsum in templo aut in aliquo alio loco ad id apto recolligens, & hoc beneficium expendens, ac pro eo gratias agens: vt suo loco fuit dictum. *Part. 1. Meditat. 32.*

III. DENIQVE verba illa perpendam quæ vltimo Christus eidem homini dixit, *noli amplius peccare, ne tibi deterius aliquid contingat.* In quibus verbis tria magni momenti documēta

conti-

continentur. *Primum*, quòd morbi interdum accidant in pœnam nostrorum peccatorum: idq; debeo de meis iudicare. Alij enim tanquã iusti patientur ob Dei gloriam, aut exercitiũ virtutum: at ego miser peccator ob culpas meas patior, & vt ait Propheta a *iram Domini portabo, quoniam peccaui ei.* *Secundum* est vt nolim ampliùs peccare. Non dixit autem ne amplius pecces, quia hominum est peccare & in leuiores præcipuè culpas labi, sed *noli* inquit amplius peccare, hoc est statuas firmiter, firmamq; ac resolutam concipe voluntatem, cũ diuina gratia, non ampliùs peccandi. Quod propositum debet in confessione renouari cum vero emendationis desiderio. *Tertium* est residuum fore peius ipso priori casu ob ingratitudinem, quæ ostenditur versus eum, qui primum casum remisit: & quia signum est, parui æstimari acceptam salutem, quam tam facilè iterum amisit; ac porrò pœna quoque durior erit, quàm prima: siquidem culpa est maior. O Magister verax b *cuius perfecta sunt opera*, & certa ac vtilis fraudum detectio, audiui monita tua, adiuua, quæso, vt eadem custodiam in corde meo, meamque vitam illis accommodem. Libera me à recidiuo, firmamque concede voluntatem, te ampliùs non offendendi: conserua etiam in me quod hactenus dedisti, vt vitam ducam in puritate & sanctitate.

Amen.

a *Mich. 7.9*

b *Deut. 32.4*

PVNC-

PVNCTVM V.

a *Ioan. 5.15.* ABIIT a *ille homo*, & magno feruore *nunciauit Iudæis, quia* IESVS *esset, qui fecit eum sanum.* hoc exemplo nos docens zelum & feruorem verè pœnitentium, qui singulare sanitatis beneficium à Deo perceperunt: qui cupiunt Deum omnibus innotescere, ac venerationi esse: ideoque palàm manifestant beneficium, quod ab eo receperunt, iuxta id quod Christus Dominus homini illi
b *Marc. 5.19* dixit, à quo legionem dœmonum eiecerat, b *vade*, inquit, *in domum tuam ad tuos, & annuncia illis quanta tibi Dominus fecerit.* Et ita cum
c *Psal. 50.14* Dauide dicere possum: c *redde mihi* Domine *lætitiam salutaris tui: & spiritu principali cõfirma me:* Si enim id feceris, *docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.*

DENIQVE perpendenda est eiusdem sanati hominis prudentia, qui non dixit Iudæis: IESVS est, qui mihi dixit: tolle grabatum tuum; sed dixit Iesum esse, qui eum fecisset sanum, ne Iudæis occasionẽ daret calumniandi Christum, contra quem iam cœperant murmurare, quòd curaret in sabbato. Ex quo discam, cautè agere, & in loquendo circumspectum esse, vt ea narrem, quæ bona esse cognoui, non admiscendo aliquid, quod peruersi, ad malitiam suam fouendam, arripere possint.

MEDITATIO XXXIII.

DE LEPROSO, QVEM Christus mundauit, & iussit se Sacerdoti præsentare.

PVNCTVM I.

VENIT a *ad Iesum Leprosus, & b genu flexo, c & procidēs in faciem adorabat eum dicens: Domine si vis, potes me mundare.*

a *Matt. 8. 2.*
b *Mar. 1. 40*
c *Luc. 5. 12.*

PERPENDENDAE hic iunt insignes huius Leprosi virtutes, quas in sua oratione ostendit. *Prima* fuit insignis reuerentia externa & interna, flexit enim genua & procidit in faciem vsque ad terram, Christum adorans, & vocans Dominum. *Secunda* fuit magna fides de omnipotentia Christi Domini nostri, qua confessus est, ipsum sola voluntate posse illum sanare. non enim dixit; si id à Deo petieris, sed, *si vis potes*, ita confitendo, ipsum esse Messiam & Dei filium: Nec illud: *si vis* dixit, tanquam de eius misericordia dubitans; sed quòd non sciret, an ob peccata propria dignus non esset, cui beneficium illud conferetur; aut num expediret sibi, sanitatem illam corporis impetrare. *Tertia* fuit magna propriæ voluntatis resignatio: nihil

Iaculatoriarū orationum ratio.

enim

enim expressè petiit. neque enim dixit: munda me; sed necessitatem suam ac desiderium breuissimis verbis manifestauit, & Christi omnipotentiam confessus, cuius voluntati remisit suam sanitatem.

II. His virtutibus ornatum debeo me ante Christum cõstituere, quasi hominem plenum lepra peccatorum, & aliarũ miseriarum. expendam verò, quæ sit lepra mearũ potentiarum, sensuum, & totius animæ meæ, est enim Ira, Gula, Superbia, & reliqua vitia: & mox magna animi demissione, profundissima reuerentia, fide viua, & perfectissima resignatione dicam: Domine si vis potes me mvndare. Loco autem verbi *Domine*, licebit alia Dei nomina vsurpare, quæ illum ad misericordiam, me ad maiorẽ reuerentiã prouocent. Loco item verbi *Mundare*, licebit alia ponere, quibus aliquarum particularium necessitatum remedium postulem, dicens: Pater mi, medice mi, Saluator mi, & omne bonum meum; si vis, potes me à superbia mea, à gula, ira, &c. sanare; si vis, potes mentem meam illustrare, amoris tui igne me accendere; si vis, potes me facere patientem, mansuetum, humilem, &c. Non dubito de omnipotentia tua: quia omnia potes, nec de tua voluntate, in sanitate animæ meæ reddenda, quam scio te desiderare: ob indignitatem meam dubito. quare in manus tuas me totum proiicio, & in voluntate tua meum constituo remedium. Hæc vna est orationum, quas iaculatorias vocant,

admi-

admiranda, vt frequenter interdiu repetatur: ad cuius imitationē ſimiles alias facere poſſumus, & in vſu habere, quas in ſubſequentibus miraculis videre licebit.

PVNCTVM II.

IESVS a *autem miſertus eius, extendit manum ſuam, & tangens eum, ait illi: Volo. Mundare. Et ſtatim diſceſſit ab eo lepra, & mundatus eſt.* a *Mar.1.41.*

PERPENDENDAE hîc ſunt admirandæ Chriſti Domini noſtri virtutes & excellentiæ. *Prima* fuit MISERICORDIA, quia *miſertus eius*, ſtatim abſque vlla mora commiſeratione miſeriæ illius Leproſi fuit permotus, eſt enim ipſe inſigniter cōpaſſiuus: Quod ſi adeo miſeriis corporis compatitur, quanto magis exiſtimandus eſt cōpati miſerijs animæ? nam peccatorū lepra, quæ q̄ diu eſt ſpontanea prouocat irā & indignationē Dei; eadem inclinat ad miſericordiā, quando illā horremus, & ab illa cupimus ſanari. O IESV miſericors, miſerere mei, ſiquidem à tua miſericordia prouenit, me à miſeria mea liberari. Adiecit autem Euangeliſta hoc verbum *miſertus eius*, vt conſtet non oſtentationem inanem, ſed veram commiſerationem, miraculi cauſam fuiſſe. I.

SECVNDA virtus fuit rarum quoddam & inſigne BONITATIS & OMNIPOTENTIAE ſuæ indicium, quo reſpondit fidei ac fiduciæ illius Leproſi, dicēs illi: *Volo. Mundare.* tu ais: *Si vis*; ego igitur dico: *Volo*; tu ais: *potes mun-* II.

mundare; ego igitur dico: *Mundare*, & ita factum est. O bonitatis & omnipotentiæ Iesu magnitudinem, quæ ita adimples eorum desideria, qui in te confidunt: b *Dic* quæso Domine *animæ meæ: salus tua ego sum*. Volo, Mundare: nam dicere tuum, est facere: & mox atque tu dixeris, illa erit sana.

b *Psal. 34. 3.*

III. TERTIA fuit magna BENIGNITAS & HVMANITAS. nam absque vllo Lepræ horrore (à qua Iudæi adeo horrebant, vt non solùm non tangerent, sed neque ad leprosum accederent; habebaturq; immundus, qui illum tangebat) humanitas & benignitas huius maiestatis extendit manum suam, & amanter illum tetigit, vt ei adferret sanitatem. Perpendit verò Euangelista, quòd extenderit manum, vt significaret, tum futurum, vt manus suas extenderet in cruce, quò nos à peccatorum lepra liberaret; tum sanctissimam eius carnem, virtutem habere ad sanãdum quidquid tangeret. & quando Deus extendit & c *aperit manum suam, implet omne animal benedictione*, & plurimis donis. Ex quo apparet quanta sit efficacitas orationis, quæ supra positas conditiones coniunctas habet, & in quem finem illa sit dirigenda: ad impetrandum videlicet à Christo Domino nostro illud *Volo*, & illud *Mundare*: & vt manum suã, quam clausam & compressam habebat, aperiat & laxet, talemque eius tactum adhibeat, quo animæ meæ lepra omnino sanetur.

c *Psal. 144. 16.*

PVNCTVM III.

DIXIT *ei* IESVS: a *vade ostende te Principi Sacerdotum, & offer pro mundatione tua, quæ præcepit Moyses, in testimonium illis.* a *Marc. 1. 44.*

PERPENDENDVS hic primùm est zelus Christi Domini, circa veteris legis, quamdiu illa durabat, obseruationem: ideoque voluit leprosos seruare quod illis erat præscriptum; vt b *ad sacerdotē adducerentur*, & dona ac sacrificia Deo offerrent, tum ob gratiarū actionem, propter acceptum ab eo beneficiū; tum in testimonium, quòd verè mūdati essent. qui autem tantum habebat zelum vt veteris legis mandatis obtemperaretur; quanto habebit maiorem, vt nouæ legi obediatur. I. b *Leuit. 14. 4. &c.*

DEINDE iussit Leproso, vt se præsentaret sacerdoti, ad significandum Sacramentum pœnitentiæ in lege noua, in qua iubetur, vt quicunq; peccatorū lepra fuerit infectus, quamuis vera eorum cōtritione veniā impetrasset, se præsentet sacerdoti, & lepram manifestet, qua fuit infectus; & corā ipso c *sacrificiū Deo offerat spiritus contribulati & cordis cōtriti ac humiliati*; & sententiam absolutionis audiat, qua accepta remissio confirmatur, & purificatur; magisq; perficitur anima per gratiam sacramenti, quâ aptior etiam redditur ad sacræ communionis Sacramentum: sicut in veteri legi Leprosi, qui ad sacerdotem adducebātur, d *radebant omnes pilos corporis sui, & capillos* II. Confessionis Sacramentum. c *Psal. 50. 19* d *Leui. 14. 8*

capitis; & lauabunt vestimenta sua, & carnem suã; & offerebant agnum immaculatũ in sacrificiũ: & hac ratione à legali immunditia mundi iudicabãtur, & ad communẽ cum aliis tractationem admittebantur. Ex his duo magni momenti documenta accipiam. *Alterum,* vt cùm examinandæ cõscientiæ causa me recolligo, vt ad sacram Confessionẽ me præparem, coner talem de peccatis dolorem concipere, vt virtute contritionis tunc reipsa munder à lepra peccatorũ: hæc enim est optima ad confessionem præparatio, vt suo loco fusiùs est dictum. *Secundum,* vt statim magna animi de missione, confessario me præsentem, meaque peccata nouo cõtriti cordis sacrificio aperiã, procurando radere capillos & pilos qui sunt superflua vitæ veteris; ac lacrymarũ aqua lauare animã meã, eiusq; vestimenta, opera scil. quæ fecit; & meipsũ promptũ offerre, vt confessarius nouacula pœnitẽtiæ, correctionis, & mortificationis, ad purificandum me adiuuet. Et hac ratione mũdatus ad sacrificiũ offerendum accedam agni immaculati Christi Iesv, & ad corpus eius sanctissimum suscipiedum.

Prima part. Medit. 31.

III. DENIQVE perpendam, Christũ Dominum nostrum prohibuisse huic leproso diuulgare hoc miraculũ, dicitq; S. Marcus *e comminatus est ei,* quasi minas addẽdo, si manifestaret, aut certè vehemẽter & seuere vultu id prohibuisse, vt humilitatis exemplũ nobis hac ratione relinqueret: & aduerteremus, quàm serio hominum laudes declinaret ac fugeret. Sed ea pro-

e *Mar. 14. 3.*

prohibitione non est deterritus Leprosus, *sed egressus cœpit prædicare & diffamare sermonē:* causaque fuit, cur plurima turba ad Christum audiendum concurreret. Neq; in hoc censendus est fuisse inobediens, aut errasse; potiùs. n. id fecit boni spiritus instinctu, & zelo gloriæ Dei, ac gratitudinis versus eum, qui ipsum sanauerat; vt sic omnibus esset venerationi, & multi ex eius doctrina proficerent; nam & ipse Christus Dominus sibi complacet, ne nos gratitudinis legibus & gloriæ Dei desimus. Eodem autem facto monemur; si quādo iustus quispiam ex animi sui demissione cupit sua opera occultare, licere nobis (nisi aliquod inde incommodum sequatur) ea promulgare & extollere, tum ad aliorum exemplum, tum ad ipsius iusti honorem.

MEDITATIO XXXIV.

DE DECEM LEPROSIS à Christo sanatis, & ad Sacerdotes missis.

PVNCTVM I.

CVM *ingrederetur* IESVS *quoddam castellum, occurrerunt ei decē viri leprosi, qui steterunt à longe, & leuauerunt vocem dicentes: Iesu præceptor miserere nostri.* a*Luc.17.12.*

CONSIDERANDVM hic est, vt in proxima Meditatione, quo affectu isti leprosi orauerint, ostendentes suā humilitatē & reuerentiā I.

dum à longè clamarent, indignos se iudicantes, qui ad CHRISTVM Dominum accederent: simul verò confidentiam magnã, & resignationem orationis suæ coniungebant: quia non dixerunt, sana nos, sed, *miserere nostri*, vt ipsius misericordiæ omnino se subiicerent: His virtutibus etiam coniunctionem in orando addiderunt, quæ aliàs plurimùm apud Deũ potest, cùm multi eadem necessitate pressi, simul & cum charitate orant: nam quod quisq; pro omnibus petit, sibi quoque impetrat. Ideo
b *Iacob. 5. 16* enim S. Iacobus dixit, b *orate pro inuicem, vt saluemini; multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Cuius contrarium factitant mendici huiusmodi, qui vellẽt soli petere: quia si multi petant, diuites offenduntur, ideoq; timent, illos non facturos eleemosynas: at noster Dominus non propterea defatigatur, quòd multi ab eo petant: quia pro omnibus habet, & potiùs gaudet, quòd omnes eius pauperes charitate inter se coniungantur: quibus propterea libentiùs suã eleemosynã impertitur. O liberalissime & benignissime magister; multi sumus in hoc mundo leprosi, decem istis expressi, quia decem sanctæ tuæ legis præcepta trãsgredimur; quamuis alij alijs immundiores simus. omnium quæso, Domine, miserere: mũda Hæreticos ab hæresis suæ leprâ, superbos à lepra superbiæ, carnales à lepra voluptatis carnis, meq; cum illis munda ab omni lepra, quæ
c *Baruch. 4. 28.* in animæ meæ facultatibus internis & externis inhęret: c *Vt sicut hactenus fuit sensus meus,*

vt erra-

vt errarem à te, decies tantum iterum conuertar, vt requiram te. Amen.

PVNCTVM II.

QVOS *vt vidit* IESVS, a *dixit: ite ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt.* a *Luc.17.14.*

PRIMVM considerandum, omne nostrum bonum inde principium & originē suam habere, vt Christus Dominus noster misericordiæ suæ oculis nos respiciat, sicut aliàs est dictum. Simul tamen cum fide, quam in his leprosis vidit, voluit obedientiam, quæ ex illa nascitur, probare, illosq; in ea exercere, dicēs illis, antequam eos sanaret, *ite ostendite vos sacerdotibus:* quamuis ipse non ignoraret, legē statuere, ne priùs ad illos accederēt, quàm essent à lepra mūdati, verùm illi, iudicium suū resignātes, absq; vlla replicâ aut morâ, Christi iussioni paruerunt, & ita *factum est, vt dum irent, mundarentur.* vt discamus, tum quanti ipse faciat resignatam, ad nutum, & velocem obedientiam; propter quam sæpè etiam facit miracula. tum quòd qui viuam fidem & fiduciam in Christum habet, nihil dubitat in omnibus obedire, q̄ vel per seipsum, vel per suos ministros iniungit: qui etiā ministri possunt, resignationem & obedientiam suorum subditorū probare, sicut Christus horum Leprosorū probauit. Hoc enim modo sciens Deus magnam Abrahę fidem, voluit ad nostrum exemplum eius etiam obedientiam probare, dicēs, I.

b Gen. 22. 2. b *tolle filium tuū vnigenitū, quem diligis, Isaac, & offer eum mihi in holocaustū.* quæ probatio præclarissimè euenit: nam fides, fiducia, & obedientia optimè, vt germanæ sorores, conueniunt ad executionem omnium, quæ placent diuinæ voluntati.

II. DEINDE considerāda est mystica huius facti causa, quæ eadem est cum causa proximi præcedentis miraculi, quamuis aliquid peculiare habeāt. Factum est enim, vt disceremus, quid leprosis in anima faciendū sit, cùm pro salute impetranda ad Deum accedunt. qui etsi perseipsum possit illam largiri, vult tamen vt prius ad sacerdotes nouæ legis accedāt, q̄ sunt confessarij; illisq̄; suorum peccatorū lepram manifestent, quantumuis horridam; nihil eius occultando. Latetq̄; mysterium in illo verbo: *ostendite vos*, sicut & in simili, *ostende te*, quod alteri leproso dixit. atq; si distinctius diceret aperite vos totos sacerdoti, vt vos videat, & cognoscat interiùs & exteriùs, qui sitis: nihil mali occultando, omniū quæ feceritis, dixeritis, aut cui internum cōsensum præbueritis. Spiritu itaq; obedientiæ, quia Christus ita iubet; & spiritu humilitatis, propter salutem animæ meæ, debeo me totum manifestare cōfessario; ferendo quidquid pudoris in hoc occurrit. O bone IESV, siquidem omnem meam lepram tu vides, & cognoscis: quid impedit, quod eandē tuus minister etiam videat? nolo Dñe honorē apud homines, quem apud te non habeā. Potuisses Domine iubere, leprā meam

toti

toti mundo manifestare, id quod iure meritò mandare potuisses: sed cùm satis tibi esse ostēdas, si eam sacerdoti manifestem, id omnino faciam, vt ab ea me mundare velis.

DENIQVE perpendam, hos leprosos, dum irent, in ipso itinere fuisse mundatos, quia in oculis Dei voluntas pro facto reputatur. & ita perfectus peccatorum dolor, cum adiuncta ea confitendi voluntate sufficit, ad animæ salutē consequendam, & à lepra mundandam: quamuis nihilominùs sit postea ad sacerdotem accedendum. Pro quibus omnibus laudandus à nobis est Christus Dominus, qui tot modis & viis facilè reddiderit malorum nostrorum remedium. III.

PVNCTVM III.

VNVS a *ex illis, vt vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciē ante pedes eius gratias agens: & hic erat Samaritanus. Respondens aūt* IESVS, *dixit, nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? non est inuentus, qui rediret & daret gloram Deo, nisi hic Alienigena: & ait illi, surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.* a Luc. 17. 15.

HIC considerabo, propter nouem illos leprosos, maximā hominū partē; etsi cū aliqua necessitate premūtur, deuoti Deoq́; importuni sint, fidemq́; & fiduciā de eius misericordia habeant; quia ipsa eos necessitas ad id vrget: quam primùm tamen desideratū beneficium acceperunt, & se sanitatem aut prosperitatem I.

consecutos vident, Dei obliuisci, nec gratias, vt par est, agere: quod grauissimè ipsi Christo Domino nostro, displicere, ostẽdunt illa verba, quæ hac occasione tanto sensu ipse dixit: *nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt?* & eodem modo loquendi vsus est Deus, quãdo peccauit Adam: cùm ei dixit: *Adam vbi es?* quo ostendit Deus se ingratorũ viam & gressus non probare, nec eos agnoscere; quia ipsi eum non agnoscunt.

Gen. 3. 9.

II. DEINDE, propter leprosum Samaritanum, cõsiderabo, sæpè maximos peccatores, quãdo animæ salutẽ, aut aliud beneficiũ à Deo accipiũt, magis gratos se Deo ostẽdere: quia indignitatẽ suã agnoscentes pluris faciunt ipsum beneficiũ, tanquam in minus merentes collatum: quãuis ex alia parte esset rationi consentaneũ, iustos magis gratos se ostendere: & ita ad pudorẽ nouem leprosorũ Hebræorũ dixit Christus: *non est inuentus qui rediret ac daret gloriam Deo, nisi hic Alienigena.* HINC discam, quanti referat, post confessionem & absolutionẽ acceptam, (vt suo loco dictũ est) recurrere statim ad gratias Christo Domino agendas ob munditiem & remissionẽ, quam mihi dedit, ea deuotiõe, qua hic Samaritanus fecit: de quo refert Scriptura, quòd *regressus est cũ magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciẽ ante pedes eius*, atq; si illos vellet osculari, *gratias agens* ob acceptũ beneficium. Est tamẽ simul perpendenda huius Samaritani prudentia, qua Christo Domino dicenti, *& nouem vbi*

1. part. Medit. 32.

sunt?

sunt? nihil ipse respondit, ne eorũ culpam & ingratitudinem augeret: sed attendit suæ gratiarũ actioni, propter quam redierat: Vt hinc ego discam, non tribuere proximis culpã, etiam cùm, ad id faciendum, offertur occasio.

DENIQVE perpendendũ est, quanta modestia Christus Dñs de nouem leprosorũ ingratitudine sit conquestus dicens, *non est inuentus qui rediret & daret gloriam Deo.* non dixit qui daret mihi gloriam, aut gratias mihi ageret: vt nos doceret, eum, qui beneficium præstat, non sibi gratitudinem aut laudes petere debere, sed Deo, à quo omne datum optimum procedit. *Benignitas* quoque & *amor* est perpendendus quo Christus Samaritanum excepit, & cum eo locutus est; eum honorando, eiusque fidei sanitatem, quam acceperat, referendo. Estque fas credere, etiam à lepra infidelitatis & reliquorum peccatorum eundem liberasse, dimittendo plenè sanum in corpore & animo, ob illam gratitudinem, quam solus ex reliquis ostenderet. O Deus animæ meæ, quàm te gratum ijs ostendis, qui erga te grati sunt, vt semper habeant vnde tibi sint grati. Semper, Domine, vellem gratus esse ob ingentia beneficia, quæ semper in me confers. quamuis parcus semper victusque maneam in hac parte. siquidem & ipsa mea gratitudo nouum est beneficium quod à te optimo benefactore meo recipio. cui sit honor & gloria per secula ob omnia bona, quę tuis tribuis creaturis. Amen.

MEDITATIO XXXV.

DE COECO A CHRISTO apud Iericho sanato.

PVNCTVM I.

2 Luc. 18.35 Mat. 20.29 Mar. 10.47.

CVM *appropinquaret* IESVS *Iericho, cæcus quidam sedens secus viam mēdicans, cum audiret, quòd Iesus Nazarenus transiret, clamauit dicens:* IESV *fili Dauid, miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum, vt taceret. Ipse verò multò magis clamabat; Fili Dauid miserere mei.*

I. PERPENDENDAE hic sunt huius cœci virtutes, quas in hac sua oratione prodidit. *Prima* fuit FIDES & FIDVCIA magna in Christum, credens esse Messiam & filium Dauidis; ac Deum, qui omnia posset; ad quem spectet misereri, & necessitatibus nostris remedium adferre. *Secunda* fuit insignis FERVOR, & affectus in orando, qui tum ex cæcitatis & miseriæ suæ cognitione, tum ex concepta spe quod Christus esset eum sanaturus, proueniebat: quem affectum ostendebat clamore illo repetito. *Tertia* fuit magna in orando CONSTANTIA & perseuerantia, etiā cum, vt taceret, moneretur, & reprehenderetur: potiùs ex illorū reprehensione, excitabatur magis ad eleuan-

dam

dam vocem, & repetendam orationem,

IN hoc cœco meipsum spiritualiter cœcum intuebor, duplici cæcitate, ignorantiæ & culpæ erroris & passionis, quæ duplicem animæ oculum excœcant, quos S. Bernar. cognitionem, & amorem appellat. Ex quo facilè intelligam, me tota vita otiosum sedere, nec attendere ad virtutum opera, ad quæ teneor; sed occupare me in mendicandis à creaturis huius mundi prætereuntibus, reculis aliquibus quæ me recreent, voluptate scilicet, honore, aut lucello aliquo, quib' occupatus cõtinear. Quod tamen totum parum omninò est, & caducum, sicut elemosyna à pauperibus prætereuntibus collata. Perpẽdens itaq; hanc cęcę, otiosæ, ac mendicæ animæ meæ miseriã, clamare me oportet ad vnicum certumq; meum adiutorem Christum, eique dicere: IESV *fili Dauid, miserere mei*. quam orationem ornare oportet prædictis virtutibus & ornamentis, omninò statuendo, quatuor, teste Bern. futura impedimenta meæ orationis, nisi eis viriliter me opponam. Cogitationũ videlicet & multiplicium imaginationum concursus, quæ cor meũ subeuntes, non sinent me attendere, quid orem; Remorsus deinde conscientiæ ob admissa peccata, qui dum me reprehendunt, diffidentiam gignunt, terrentque dicentes: quomodo audes ad Deum clamare, qui talis es? Agmen quoque necessitatum ac miseriarum corporis; ac denique occupationum & curarum seculi varietas, & multitudo, magna

Lib. de dignit. amoris diuini c. 8.

Serm. 83. in Cant.

sunt

sunt orationis impedimenta. Imò interdum ipsi, qui Christum comitantur, orationem ipsam mihi præripiunt, meipsum ad sua negotia specie aliqua pietatis post se trahentes. sed his nihil obstantibus, orandũ mihi & clamandum est corde; & interdum etiam ore, ac dicendum: *Iesu fili Dauid miserere mei.* Quod si obstacula pergant pertinaciter me retrahere, ex eisdem sumam occasionem feruentiùs orandi, & cum Dauide dicendi: b *Libera me quia egenus & pauper ego sum: & cor meum conturbatum est inter me: sicut vmbra, cùm declinat, ablatus sum; & excussus sum sicut locusta,* cogitationibus meis ab hoc in illum locum me proijcientibus. Seda illas, Deus, & stabili firmiter, vt orare, & te laudare magno feruore possim.

b *Ps.108.22*

PVNCTVM II.

a *Luc.18.40* STANS *aũt* a IESVS, *iussit illum adduci ad se: &, cùm appropinquasset, interrogauit illum, dicens; Quid tibi vis faciam? At ille dixit; Domine vt videam. & Iesus dixit illi: respice.*

I. CONSIDERA primùm: Christum Dominũ nostrum, etsi primũ statim cæci huius clamorem percepit, dissimulasse tamen, atque si eũ non audiret; vt eius probaret constantiam; & sanitatis cresceret desiderium. Idemque nobiscum sæpè agit; vt perseuerantia in petendo sit nobis ad accipiendum quod petimus, dispositio. Sed statim tamen clementiam &

benig-

benignitatem suam ostendit, gradum sistens ad cæci vnius mendici vocem, quem (& si multa esset turba cum ipso, quam totam consistere oporteret) *iussit ad se adduci*, vt eum sanaret. O bone IESV b *Sol iustitiæ, qui obedis voci hominis, sistens in medio cœli* & cursus tui, vt cupitum lumen illi reddas, audi clamorem meum, & illumina cæcitatem meam, qui c *gaudium habere non possum nisi lumen cœli videam.*

b *Ios. 10. 13.*

c *Tob. 5. 12.*

II. d *Mar. 10. 50*

DEINDE perpendam, qua ratione cœcus, audiens se à Christo vocari, d *proiecto vestimento suo, exiliens ob spem recipiendi visum, venit ad Iesum.* in quo ostenditur eius animæ exultatio, quæ internam sentit vocationem Dei, eiusque diuinam inspirationem: cui vt pareat, omnia relinquit; spe, omnia, quæ desiderat, ad salutem & perfectionem suam, inueniendi. vt experientiâ didicerunt, qui ad Religiosum statum vocati sunt.

III. Visio spiritualis.

DENIQVE considerandum est mysterium interrogationis Christi: *Quid vis, vt faciam tibi?* & responsionis cæci, *Domine vt videam:* ac denique verbi illius, *Respice:* quo solo verbo impleuit Christus totum cæci desiderium, correspondens magnæ illius Fidei, qua visum petierat, alio verbo sinonymo. O Deus animæ meæ, scio te cæcum interrogare: *quid vis?* vt nos doceas, te nolle gratiæ tuæ dona communicare, nisi ijs, qui se, ad ea recipienda, disponunt. Vtinam & mihi diceres: *Quid vis, vt faciam tibi?* Ego enim mox responderem: *Do-*

mine

mine; vt videam, non tamen quiduis, & quomodocunque; sed vt viuaciſſimæ fidei oculis, te Saluatorem meum videam, vt cognoſcam & amem: hæc ſiquidem e *cognitio* amori coniuncta *eſt vita æterna*. Peto etiam Domine, *vt videam* tuam diuinam voluntatem, ſanctamque legem: plurimi eam faciens, vt ſemper obſeruem. *Videam* præterea meipſum, & verè ita cognoſcam, & me odio habeam, & humiliem. *Vt videam* item creaturas non oculis corporis ob curioſitatem; ſed oculis animæ ob contemplationem, te in eis Creatorem meum contemplans, à quo tanta bona accipio. Ac demùm, *vt videam* ſuo tempore diuinitatem tuam, & perſonarum Trinitatem, cuius viſione beata ſit anima mea, in dulciſſima ſocietate tua. O mi Rex, & Domine, dic animæ meæ: *Reſpice* quod deſideras: nam tuum dicere eſt facere: & ſi dixeris: Reſpice, ſine vlla mora, recipiam viſum. Ex ijs, quæ hic ſunt inſinuata, colligam, obiectum ſiue argumentum *ſpiritualis viſionis* in oratione mentis hæc quinque complecti, *Chriſtum* videlicet, Deum & hominem verum, ſanctam eius *legem, meipſum, creaturas*, & in eis earum *Creatorem* cum æternis eius gloriæ bonis: & in omnibus quinque oportet me exercere per Meditationem & contemplationem, cum ſpe obtinendi quod deſidero, vt iamiam dicetur.

e Ioan. 17. 3

PVNCTVM III.

STATIM Christus dixit cœco: *Fides tua te saluum fecit, & confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum.* a Lu.18.42.

II.

CONSIDERA primùm, Christum Dominũ nostrum cœci Fidei tribuisse, quod reipsa erat ipsius omnipotentiæ & misericordiæ; vt hac ratione tum cœco honorem conciliaret, tum nos ad eiusdem Fidei amorem incitaret: illa siquidem est quæ ad huiusmodi mirabilia disponit: sicut ipse declarauit, cùm alijs cæcis visum à se petentibus dixit: b *Creditis quia hoc possum facere vobis?* & respondentibus illis: *vtiq; Domine, tetigit oculos eorum* dicens: *secundum fidem vestram fiat vobis*: & statim *aperti sunt oculi eorum.* Estque obseruatione dignum, quod in vtroque hoc casu, cœci isti, ob magnam suam fidem, in momento receperint sanitatem; cùm alius cœcus, ob paruam suam fidem, non statim integrum, sed paulatim & per incrementa, visum receperit. Nã etsi Christus in eius c *oculos expuit, & manibus suis impositis*, tamen *interrogatus an videret, aspiciens dicebat, video homines sicut arbores, ambulantes: & iterũ impositis manibus super oculos eius, cœpit clarè videre omnia.* In quib. proponitur nobis duplex modus, quo Christus Dominus spirituale lumẽ, & spiritus perfectionem cõmunicat. Alter est extraordinarius, & repentè, & in momento; sicut communicauit b Mat.9.28.

c Mar.8.23.

Saulo;

Saulo; Alter ordinarius & sensim atq; gradatim: communicatâ initio obscurâ mysteriorum suorum cognitione; postea distinctiori aliâ; & sic crescente claritate ad proportionem dispositionis eius, qui eam recipit, donec *videat clarè omnia*, & res diuinas tanto lumine, vt tam fiat certus de eis, atque si illas cerneret; ascendendo, vt ait Apostolus, d *de claritate in claritatem*, donec *transformetur* in imaginem eius gloriæ. Quæ tamen omnia præcedit, quod Christus fecit cum illo cæco, expuendo scilicet oculos eius, & manus imponendo, propter ea quæ Meditatione 37. dicentur.

d 2. Cor. 3. 18.

II. PERPENDAM denique, qua ratione cæcus, sanatum se videns, *sequebatur* IESVM *magnificans Deum*. Quia enim huius Domini opera sunt perfecta, cum visu corporis, etiam animæ visum donauit; vt rerum omnium oblitus, eum sequeretur, à quo tantum acceperat beneficium. In quo etiam proponitur nobis, quod interna lux, quam Christus Dominus in oratione tribuit, pro scopo & fine habet Christi ipsius & virtutum eius imitationem, eius laudes, actionemque gratiarum ob accepta beneficia. Verùm quid mirum, Saluator mi, quòd aperiente te oculos animæ meæ, vt te videam: velim etiam te sequi? Quomodo non sequar tantam bonitatem? Quomodo non imitabor tantam sanctitatem? Maius tu mihi beneficium confers, admittendo me, vt te sequar; quam ego obsequium præstem, vo-

lens te

lens te sequi. Sequar te ergò semper in hac vita, donec perueniam ad te possidendum in tua gloria. Amen.

MEDITATIO XXXVI.

DE COECO NATO, QVEM IESVS, luto ex saliua sua confecto, sanauit.

PVNCTVM I.

PRAETERIENS *Iesus a vidit hominẽ cœcum à natiuitate: & interrogauerũt eum discipuli eius, Rabbi, quis peccauit, hic, an parentes eius vt cœcus nasceretur? respondit Iesus, neq; hic peccauit, neq; parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari. Quam diu sum in mundo, lux sum mundi.* a *Ioan. 9. 1.*

CONSIDERANDVM primò, quod (vt Sap. ait) b *in omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos*, electos & reprobos; sed illos singulari quodã modo, hoc est oculis misericordiæ respicit, tanquam velit illis benefacere; sicut hunc cœcum respexit. O dulcis Saluator! antequam ego te aspiciam, necesse est vt tu me respicias: ante enim, quam recipias me, sum cœcus, te verò aspiciente, recipiam oculos, quibus te videre possim. b *Prou. 15. 3.*

II. DEINDE perpendendum, quamuis corporis morbi & aliæ calamitates sæpè eueniant in pœnam peccatorum; interdum tamen diuinâ prouidentiâ prouenire eo tantùm fine, vt opera Dei in nobis manifestentur; non vnum, sed multa; magna. s. bona, quæ Deus elicit ex illis; dum iustos, quos affligit, magna virtutũ varietate exornet; efficitq;, vt quas occultas habẽt, ad Dei gloriam manifestent, communicãs illis in ipsis tribulationibus talia dona, vt eius omnipotentiam reuelent, qui illa donauit: talia sunt, exultare in ipsis tribulationib⁹, illos amare, ac Deum pro eis glorificare. Et de eiusmodi operibus dicit Christ⁹ Dominus noster: *me oportet operari donec dies est*. O Redẽptor mi, si adeò tua refert illa opera facere, quæ æterno tuo Patri placẽt, donec dies est vitæ tuę; operare illa in me: quia multò plus mea refert illa recipere, quã tua referat eadem operari: & potiùs, Domine, ob ingentẽ amorem, quo me prosequeris, dicis tua referre, quod re ipsa refert mea! Respice Deus meus, quàm sit breuis pro me dies huius seculi, quia ipsa vita mea breuis est; venietq; citò nox mortis, quã do iã non licebit huiusmodi opera facere. Et siquidem nunc sol & lux es mundi, illumina me, accende, & gratia tua viuifica; vt liceat postea te in gloria tua videre.

HABC verba mihi ipsi attribuens dicam cũ Sapiẽte: *Quodcunq; facere potest manus tua, instanter operari: quare summè oportet me operari opera Dei*, opera sancta, & volũtati eius, qui me

c *Eccl. 9. 10.*

me creauit cōtentanea: donec dies est, & perdurat vita mea; quæ vix tāta est atq; dies vnus: & repentè inuadet me mors; cùm iā nec operandi, nec merendi quicquam sit locus.

PVNCTVM II.

HAEC, a *cùm dixisset, exspuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & leniuit lutū super oculos eius, & dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloe: abyt ergò & lauit: & venit videns.* Hic sunt considerandæ causæ mysterij huius curationis: illa ad spiritualē nostrā vtilitatē trahendo. *Prima* causa fuit, vt suā omni potentiā Christus Dominus nobis manifestaret, qui remedio in specie planè contrario visioni illā cęco restituit. nā luto oculos linire, potius ad cęcitatem inferendam, quā ad visionem restituendam dirigi videbatur. O immēsa Iesu potentia! cur non me eius prouidentiæ subijciam, quī adeò potens est, vt vnum contrariorum in alterum conuertat, & lutum oculis adhibens, eos clarificet; humiliat aliquem, vt illum extollat, b *conijcit in carcerem, quem* ex eo eductum c *Saluatorem* constituit *Aegypti.*

a *Ioan. 9. 6.*

I.

b *Gen. 39. 20.*

c *cap. 41. 45.*

Secunda causa fuit, vt doceret nos, accommodatissimum recipiendæ lucis diuinæ gratiæ medium esse, si præ oculis nostrum lutum ponamus, nihilum videlicet, quod ex nobis sumus; & terram, ex qua conditi fuimus, & in quam conuertemur; & lutum peccatorum, quæ admisimus, illa aspicientes ac deflētes, & propter illa nos ipsos humiliantes. Sed hoc

lutũ conficiendũ est ex terra nostra, & saliua Christi. Si enim eius infinita sapientia, quæ in saliua exprimitur, oculos nostros non tangat; nunquam oculi nostri clarescent, ad cognoscendam, sicut oportet, nostram vilitatem. O dulcis Magister, coniunge sputum tuũ puluerimeo, ex quo factum lutum me illuminet! da mihi, vt cognoscam quis tu sis, & quis ego: vt te cognoscens amẽ, me verò cognoscens odio habeam, replemque gratiâ & charitate tua.

III. DENIQVE postquam Christus luto inunxit oculos cęci, dixit: *vade lauà in natatoria Siloe, quo interpretatur missus*, vt baptismi & pœnitentiæ sacramentum nobis insinuaret, quibus spiritualis hominis salus perficitur, ob Saluatoris nostri virtutẽ in eis existẽtem, qui à Patre fuit missus in mundum pro nostra salute. Oportet tamen ad hanc natatoriam siue balnea horum sacramentorum ita dispositum accedere, sicut cœcus hic fuit dispositus, qui magnam habuit fidem, insignem humilitatẽ, & obedientiã omninò ad nutũ. cùm sustinuit oculos suos luto leniri; & ita eo maculatus, per plateas in conspectu omnium perrexit, obediens absque mora aut replica Christi mandato. non enim vt Naaman ille Sirus murmurans dixit d *putabam quod egrederetur ad me & tangeret manu suà oculos meos, & sic curaret me*: nunquid non sunt aliæ aquæ meliores quam in Siloe, vt in eis lauem, & visum recipiam? sed iudicium suum subijciens, & obediens, visum recepit. Et eodem modo visum

d 4. Reg. 5. 11.

ego

go recipiam, si inspirationi Dei, qua me ad quas Siloe mittit, agnoscam, & opportunitate, quam mihi ipse offert, vti non negligam.

PVNCTVM III.

CONSIDERANDA tertiò est illustris illa huius cœci confessio, & persecutiones, quas propter eum sustinuit, & virtutes, quas exercuit, vt illas imitemur.

PRIMA virtus fuit ZELVS honoris Christi Domini nostri, qui illum sanauerat, & spiritus simul gratitudinis, q̃ ostendit, miraculũ ipsũ omnibus, qui illud ignorabant, manifestando. I.

SECVNDA fuit magna animi FORTITVDO, nimetiam parentibus proprijs timẽtibus manifestare, quod sciebant, propter metum phariſæorum, qui nomen Christi detestabantur, ipse absq; vllo timore, liberè confessus est, se & cęcum fuisse, & ab ipso Christo sanatum; adijciens etiam modum, quo sanatus fuit. II.

TERTIA fuit magnus ZELVS veritatis cum cœlesti PRVDENTIA coniunctus, ne aut se decipi pateretur; aut veritatem ob aliquem respectum reticeret. Nam dicentibus phariſæis: *da gloriam Deo*, veritatem ipsam liberè fatendo, *nos scimus, quia hic homo peccator est*: ac propterea non est possibile, vt ab eo sanareris: Ipse magnâ fiduciâ perseuerans in confessione veritatis, & in defensione Christi, ipsos potius accusauit, quòd eum non agnoscerẽt, & inuitauit, vt, si vellent, discipuli eius fierent. III.

QVARTA virtus fuit magna eius PATIEN IV.

TIA in tolerandis maledictis & opprobrijs in eum iactatis, præcipuè cùm ei dicerent: *in peccatis natus es totus, & tu doces nos?* item sustinuit eijci se ex synagoga tanquam excõmunicatum & indignum, qui cum cæteris fidelibus versaretur.

HAS omnes virtutes exercuit hic cęcus, adiuuante ipsum Christo Domino nostro, qui vnius cęci & mendici operâ vti voluit, eumq; suũ facere concionatorem, vt sapiẽtes & pharisæos confunderet, dans pluspquam hominis cõstantiã ei, qui ex se timidus & abiectus erat. O magnitudinem omnipotentiæ Christi, quæ vilibus adeò & contemptibilibus instrumentis adeò glorioſa effic is opera. Me quoq;, Saluator mi, accipe, quo tanquam instrumento vtens, per me glorificeris.

PVNCTVM IV.

I. CONSIDERANDVM quartò quid Christus Dominus cum hoc homine egerit post ea quæ sunt narrata. Nam primum statim atque cognouit, ipsum è synagoga eiectũ, accessit vt illum consolaretur, vt ex hoc intelligamus paternam eius curã, qua eos consolatur, qui ipsius causa persecutiones patiũtur: & quod non obliui scitur eorum, qui coram hominibus ipsum confitentur. O mundi Redemptor, quis non lubens aliquid pro tua gloria patiatur, siquidem tam est tibi curæ eos consolari, qui aliquid pro illa patiuntur.

II. DEINDE voluit Christus, eundem in fi-

de

de perficere & augere internum animæ visum, cùm enim cœcus non existimaret, illum esse aliquid supra Prophetam, interrogauit eum: *Tu credis in Filium Dei? respondit ille, quis est Domine?* ostendens in hoc cordis sui prõptitudinem: *& dixit ei Iesus, & vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.* quasi ei diceret visu, quem à me recepisti, iam vidisti me: & ego ipse sum qui tecum loquor. *at ille ait, credo Domine: & procidens adorauit eum.* O quales oculos tunc ei dederit! quale lumen eius animæ communicauerit! quàm perfectum visum, qui humilem adeò ad orationem affecit! da mihi Domine talem visum; quo viua fide in te credam, & debitâ reuerentiâ te adorem.

DENIQVE tranquillitatem mentis illi reddidit, circa scandalum, quo potuit turbari propter ea, quæ Pharisæi contra ipsum dixerant. Nam *dixit ei Iesus: In iudicium ego in hunc mundum veni; vt, qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* quasi diceret, hoc ego discrimen inter hos & illos homines facturus veni: vt rudes & ignari, ob suam humilitatem & paruitatem, visum recipiant, sicut tu; credantque diuinitatis & humanitatis meæ mysteria: contrà verò qui sunt legis sapientes, vt Pharisæi, Philosophi, & Iurisperiti huius mundi, ob superbiam suam, incidant in cœcitatem, non meâ causâ, sed propriâ ipsorum culpâ; quia doctrinæ meæ cre- III.

dere nolunt, nec fructum ex ea accipere. O bone Iesu, ne patiaris eos, qui plura videre tenentur, ob suam superbiam minus videre: & qui perspicaciorem visum habere deberent, incidere in ciuitatem. Libera Domine nos à superbia, quæ tantæ cæcitatis est causa.

MEDITATIO XXXVII.

DE SVRDO ET MVTO, quem Chtistus sputo suo sanauit.

PVNCTVM I.

a *Mar. 32.*

ADDVXERVNT *ad Iesum surdũ & mutum, & deprecabantur eum vt imponat illi manum.* In miseri huius hominis aurium & linguæ corporali impedimento considerandum est, quid illud impedimentum sit in spiritu, quæ eius causæ, & remedia?

I. De surditate & impedimento linguæ spirituali.

PRIMVM, spiritualis surditas est fidei & obedientiæ defectus, quando qui nec audire nec intelligere vult fidei veritates, nec verba Dei, nec præcepta legis eius, nec diuinas inspirationes; sed his omnibus aures surdas præbet. Impedimentum linguæ spirituale est defectus orationis, & confessionis: cùm quis non vult suum os aperire ad inuocandum Deum, ad petendam ab eo misericordiam, aut illum laudandum, & gratias ei a-

gendas

gendas pro acceptis ab eo beneficijs, aut ad
ſua peccata confitenda, vt eorum obtineat re-
miſſionem.

II.

DEINDE ipſa ſurditas in cauſa eſſe ſo-
let, cur ſurdus ſit etiam mutus: & vtrumque
ſatagit dœmon, quem S. Luc. b *mutum dœmo-*
nium appellat, clauſis enim horum duorũ ſen-
ſuum internorum portis, clauditur quoque
porta remedio, quod ingreditur per auditum
fidei & obedientiæ, obtinetur verò per locu-
tionẽ, Deum orando, & peccata miniſtro eius
ſacerdoti confitendo. Hoc totum licet mihi
ipſi applicare, & conſiderare me ſurdum &
mutum eſſe non ſicut Dauid, qui c *tanquam*
ſurdus non audiebat, & ſicut mutus non aperie-
bat os ſuum ad vllum malum; ſed contra ſur-
dus & mutus ſum ad bona. Cauſa autem eſt,
quia tam corporis, quàm animi auditum pa-
ratum ſemper habeo ad curioſitates & vani-
tates huius mundi; vt eius mendacijs & frau-
dibus fidem adhibeam, eiuſque peruerſis legi-
bus ac decretis obediam: ex quo oritur, vt
clauſum illum habeam ad ea, quę Deus & eius
miniſtri mihi dicunt, & mandant. Linguam
quoque expeditam valde habeo, ad loquen-
dum & garriendum cum hominibus de om-
nibus, quæ mihi arrident; ad proprias laudes;
ad murmurationes & adulationes aliorum: ex
quo prouenit, vt ligata illa ſit ad colloquen-
dum cum Deo, & mea peccata cõfitenda: quia
ignauia & pudor fortiter illam ligant. O Sal-
uator mi, eiice ex anima mea dęmonium ſur-

b *Luc. 11. 14.*

c *Pſal. 37. 14*

dum & mutum, quod illam possidet; & misericordiâ tuâ infinitâ succurre: siquidem ego, ad tantæ miseriæ remedium adhibendum, vires non habeo.

III. DENIQVE considerabo, quòd sicut hic surdus & mutus nunquam ad Christum pro remedio accessisset, nisi alij illum deduxissent, & pro eo orassent, supplentes suis linguis defectum linguæ muti; sic multi sunt peccatores adeo surdi & muti, vt miseriæ suæ obliti, nunquam ad Deum conuerterentur, nisi iusti aliqui pro eis intercederent. Et hoc ipsum vrgere me debet, ad orandum frequenter pro conuersione peccatorum; & eos, quo modo potero, ad Christum eiusque ministros adducendos: in memoriam reuocans quòd d *Christus videns fidem illorum, qui paraliticum in lecto iacentem ei offerebant, dixit paralitico: remittuntur tibi peccata tua.* O Deus infinite, miserere tot surdorum & mutorum, qui sunt in hoc mundo: eiice Domine ex eorum animabus dæmonium, quod surdos illos facit & mutos, vt liberè te audiant, laudent & glorificent in secula. Amen.

d *Matt. 9. 2.*

PVNCTVM II.

a *Marc. 7. 33* APPREHENDENS IESVS a *eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius: & exspuens, tetigit linguam eius. Et suspiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi ephetha, quod est, adaperire.* Considerandum hic est:

est: hæc omnia Christum Dominum fecisse, etiamsi quiduis illorum suffecisset; vt ita significaret difficultatem in sanandis surdis & mutis animabus: non quidem ex parte ipsius, sed ex parte prauæ dispositionis, quæ in eis est, propter quam huiusmodi curatio maiori morâ & magis ex instituto est suscipienda.

PRIMVM, APPREHENDENS eum manu, abduxit de turba seorsum, vt significaret, huiusmodi ægrotos, vt curentur, debere separare se, quantum possunt ab iis, qui eorum curationem impedire possunt; & à tumultibus & occupationibus negotiorum temporalium; & seorsim attendere recuperandæ sanitati. I.

DEINDE, INGEMVIT, vt huiusmodi animarum miseriæ magnitudinem ostenderet; quantumque ipsi dolorem adferant. O quàm graue censendum est illud malũ quod ipsum net Deum gemere cogit! O anima, cur non defles gemisque tuam miseriam, pro qua tuus Dominus gemit & plorat! DEFLEAS etiam miserias proximorum, siquidem adeo sunt dignæ pro quibus defleatur, vt etiam Christus pro eis ingemuerit. II.

SVSPEXIT etiam in cœlum ingemiscens, ad significandum, huiusmodi mala feruenti & lacrymosa oratione esse curanda, oculis etiam in cœlum eleuatis, vnde potest venire auxilium: siquidem in terra non potest inueniri. III.

QVARTÒ

IV. QVARTÒ IMMISIT suos DIGITOS in auriculas eius, vnum scilicet digitum in vnam auriculam, & alterum in alteram, vt Spiritus sancti dona notarentur, quæ per Christi digitos figurantur. nam vt digitus procedit à manu, ita Spiritus sanctus procedit à verbo diuino, quod tanquam manus & brachium est Patris æterni, per quod is omnia operatur. Hæc dona (vt in quinta parte dicetur) aperiùt nostras aures, vt percipiant & intelligant veritates fidei reddunt́que dociles & obedientes diuinis inspirationibus; & ijs omnibus, quæ ad diuinæ voluntatis executionem pertinent. O Fili Dei vnigenite, qui cum Patre tuo producis Spiritum sanctum, & per vtrumque dona tua hominibus communicas, ingere illa nostris animabus, vt omnes verba tua audientes, tibi pareamus; & sic impleatur quod scriptum est b *populus quem non cognoui, seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.*

b *Psal.17.45*

V. QVINTÒ EXSPVIT *& tetigit linguam eius* sicut exspuit in oculos alterius cœci, cui reddidit visum: vt significaret cœlestem sapientiam, quæ sputo ex ore Christi, qui est sapientia incarnata, caput́que nostrum, procedente significatum esse, quæ linguam nostram soluat, vt sciat loqui cum Deo, secũ, & cum proximis sicut oportet. Illa docet orationem, Dei laudes, & nostrorũ peccatorum cõfessionem, & aptam alienorum reprehensionem, vt illa curentur. Item quia apud homines, præcipuè verò apud Hæbreos c *spuere in alterius faciem*

c *Num.12. 14.*

magni

magni contemptus & *ruboris* est signum, fortè Christus Dominus hunc exspuit, vt ostenderet, nos, si cœci & muti spirituáliter simus, contemptu & pœna dignos esse, quibus nos vult exercere, vt lumen nobis impertiat. Sicut d *fel piscis, quo liniti sunt oculi Tobiæ, mox illos aperuit.* O dulcis IESV, voluptas mihi est, hac ratione exspui, siquidem tu es qui exspuis, permittens mihi calamitates & tribulationes, quibus mei sensus aperiantur.

d Tob. 11. 8. 13.

VI.

SEXTÒ, absoluto imperio dixit, ephetha, ad ostendendam omnipotentis verbi sui virtutem: nam quamuis homines cum surdis non loquantur, iuxta illud Sapientis e *vbi auditus non est, nõ effundas sermonem*, quia reuera frustra esset, at Deus cum eis loqui potest: f *viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, potens aures aperire, & ad ipsam animam intrare; vt in ea faciat, quod voluerit; eam ita mutando vt consensum ijs præbeat, quæ ipsi iubet. O Deus omnipotens, g *aperi mihi aurem & ego nõ contradicam*: paratus sum enim credere quidquid docueris, & exsequi quidquid iusseris.

e Eccl. 32. 6.

f Heb. 4. 12.

g Isai. 50. 5.

EX his sex circumstantiis simul sumptis intelligam, quid ex parte mea facere me deceat, circa iuuandas animas: eas scilicet à peccandi occasionibus subducere, pro illorum peccatis gemere, suspiciens in cœlum pro eis orare, & ad Christi ministros deducere, vt illis applicent sacramenta & verba Dei, quibus in virtute Christi, (qui harum infirmitatum

prin-

principalis est medicus) sanitati restituantur. Ac denique vnicem illorum dolere, qui, h *sicut aspides surdæ obturant aures suas* aduersus eum, qui sapiẽter eorum venena ab eis extrahere conatur; & sapientissimo huic medico supplicabo, vt omnipotentiâ suâ à tali infirmitate velit illos liberare.

h *Psal.* 57. 5.

PVNCTVM III.

a *Mar.* 7. 35. ET a *statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant, & eo magis admirabantur dicentes, bene omnia fecit: & surdos fecit audire & mutos loqui.*

I. CONSIDERANDA hîc primum est omnipotentia Saluatoris, vt, quod vult, faciat; & nostræ salutis impedimenta remoueat ita, vt qui priùs surdus & mutus erat, nunc & benè audiat, & rectè loquatur. Ex quo documentum accipiam, benè loquendi, de bonis scilicet rebus; & eo modo, qui Deo placeat.

b *Psal.* 140. 3 O bone IESV b *pone custodiam ori meo, & accipe in manu tua claues aurium mearum & linguæ: claudeque & aperi eas, prout conuenit:* vt siue taceam siue loquar, siue audiam siue non audiam, semper tibi placeam. Amen.

DEIN-

DEINDE perpendam, quid hoc miraculum in pia illa turba effecerit: dicebat enim de Christo *bene omnia fecit*. O sapientia infinita, qui infantium & simplicium ore tua magnalia prædicas: quàm illud est verum, quod per huius turbæ ora es locutus! bene DEVS meus fecisti omnia, quæ initio mundi creasti, iuxta illud c *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona!* benè fecisti omnia, quæ prouidentia tua disponis in hoc mundo; quia d *Dei perfecta sunt opera*. Benè fecisti nostræ redemptionis opera, quia summa bonitate omnia sunt plena! O quàm aptè tua miracula fecisti; tuos sermones, tua sacramenta, tuas humiliationes, & exercitia studiosa tua! benè omnia fecisti in bonum hominum, qui tamen malè tibi responderunt, retribuendo innumera mala, pro innumeris bonis! sed adeo tu bonus es, vt sicut benè fecisti omnia bona; ita bene sustinuisti omnia mala? Concede mihi DOMINE ad imitationem tui, me omnia bene facere, vt nihil in me sit, quod tibi malum esse videatur. II.

c *Gen.1.31.*

d *Deu.32.4*

DENIQVE perpendam, turbam illam, dum CHRISTVM glorificaret, quamuis non nisi vnum surdum & mutum sanasset, dixisse: *& surdos fecisse audire, & mutos loqui.* confitebatur itaque, quòd qui tale beneficium vni cõtulit, poterat similia pluribus cõferre: III.

qui

qui & paratus erat id facere omnibus, qui in anima sua surdi erant, & muti: modò ipsi vellent, ex eius misericordia fructũ capere: hoc enim illi incumbit ex officio, & ad hoc venit in mũdum. O bone IESV, exerce hoc officium cum omnibus infidelibus, vt in te credant; & cum omnibus peccatoribus, vt tibi obediant; & cum tepidis omnibus, vt tibi cum feruore seruiant: ita vt omnes te glorificent, & laudent per secula. Amen.

MEDITATIO XXXVIII.

DE DEMONIACO LVNATICO, surdo, & muto, quem cùm discipuli Christi sanum facere non potuissent, ipse sanauit.

PVNCTVM I.

a *Mat.17.15*
b *Mar.9.17.*
c *Luc.9.39.*

ACCESSIT a *ad* IESVM *homo genibus prouolutus ante eum dicens, Domine miserere filio meo, quia vnicus est mihi, & lunaticus est, &* b *habet spiritum mutum, qui, vbicunque eum aprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit, & dissipat eum, & vix discedit dilanians eum; nam sæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam: & rogaui discipulos tuos, vt eijcerent illum, & non potuerunt.*

CON-

CONSIDERANDA hic sunt, dæmoniaci huius persona, ius dæmonis aduersus hominem, quem possidet; mala, quæ eius corpori & animæ infert; & quæ demum infert in inferno.

PRIMVM, hac feritate & crudelitate vtitur dæmon aduersus hominem in omnibus, quæ spectant ad eius corpus; nisi Deus eum prohibeat: & eadem vexaret omnes, sicut miserum istum adolescentem, quem reddidit mutum, surdum, & lunaticum (qui est quasi morbus caducus) horrendis & continuis cruciatibus ab adolescentia sua eum vexans, & procurans modò eum igne absumere, modò in fluminibus & puteis submergere; idq; adeo pertinaciter, vt Christi Apostolis parêre noluerit; sed quasi de illis potius triumpharet. I.

SED maiori violentia vtitur aduersus peccatoris animam, qui se illi subiicit: nam & surdum & mutum eum facit, vt paulò ante est dictum; & lunaticum, hoc est, mundo subiectum, varium, mutabilem, & in bono inconstantem; allidit illum terræ, efficitque, vt affectionib⁹ suis, terrenis rebus adhærescat; item vt spumas ore, fœdorum & horrẽdorum verborum eiiciat; dentibusq; strideat præ iræ, & choleræ vehementia. Reddit illum stolidum & quasi insensibilẽ ad ea, quæ Dei sunt. Nunc illum in ignẽ cupiditatum carnis proiicit; vt in illis consumatur; nunc in fluenta aquarum negotiorum huius mundi, vt in eis submergatur; & ita illum ab vno in alterum peccatum dilaniando pertrahit; & ita indurat, vt con- II.

cionatoribus & confessarijs resistat; nec int, qui eum reducere possit. O Deus æterne, aperi omnium hominum oculos, vt qui ad tantam miseriam peruenerunt, ab ea liberari procurent; & reliqui eam euadere studeant, resistentes spiritui, à quo tot mala perciperent.

III. HINC colligitur quantam feritatem exercebit dæmon in inferno aduersus peccatores, qui se totos ei in hoc mundo tradiderunt, si quidem adeo crudelem se exhibet erga illos in hoc mundo; cũ Deus ad id ei concedit facultatem. O quantam surditatem! quantum linguæ impedimentum! quantam dilaniationem! quantum dentium stridorem! quas rabidas spumas! quas in ignis flammas, & in aquas niuium proiectiones! quantam tormentorum varietatem & perpetuitatem illis tunc inferet, vt in eis de ipso Deo vlciscatur! O anima mea, cur non perhorrescis eum, qui tum in hac, tum in futura vita adeo est crudelis carnifex in eum, qui ipsi obedit? ô Deus omnipotens, si facultatem huic hosti dederis, vt me sicut Iob in corpore vexet; aufer illam, ne mihi noceat in anima. Amen.

PVNCTVM II.

DEINDE considerandum, quid Christus Dominus noster fecerit ac dixerit, antequam adolescentem hunc à dæmone liberaret.

I. PRIMVM enim exclamauit aduersus incredulos, qui ibi erant, & in eis contra reliquos

a ô *generatio*, inquit, *incredula & peruersa quousque ero vobiscum? vsquequo patiar vos?* qua sententia ostēdit, quàm grauiter ferret incredulitatem & pertinaciam illius gentis, ex qua proueniebat, vt dæmon esset in cruciando dęmoniaco pertinax: videturq; insinuare Christus Dominus se defatigatum quodammodo esse inter eos viuendo, eosque ferendo, ob illorum duritiem. O IESV patientissime, quàm meritò esse posses defatigatus tædioque affectus mecum cōmorando, qui tot in me cōfers beneficia, tot verò meas suffers iniquitates. Sed tua patiētia est infinita, qui etsi cōtra culpas ostendis iram, tangeris tamen eorum, qui illas admiserunt, commiseratione, vt ab eis illos eripias. Libera me Domine à meis, vt tuis possim gaudere misericordiis.

a *Matt. 17. 17.*

II.

DEINDE b *afferte*, inquit, *huc illum ad me*, c *& attulerunt eum. Et cùm vidisset eum, statim spiritus conturbauit illū, & elisus in terram volutabatur spumans*. Vt ostenderet quanto odio Christum Dominū prosequeretur. Quòd si in ipsius Christi conspectu ita eos tractat, quos possidet; quid facturum eum censemus in eius absentia? Afflictus parens adolescentis, videns filium ita vexari, dixit Christo, d *si quid potes adiuua nos misertus nostri*. CHRISTVS verò Dominus, videns huius hominis exiguam fidem, vt illum priùs quàm eius filium curaret, admirandam protulit sententiam, *si potes*, inquit, *credere, omnia possibilia sunt credenti*. Omnia dicit, nullo excepto,

b *Matt. 17. 18.*

c *Marc. 9. 20.*

d *Marc. 9. 22. 23.*

quantumuis magna ac difficilia. O Saluatoris omnipotentiam, qnæ eos, qui in te confidunt, facis etiam omnipotentes, modò ita cõfidant, vt oportet, de infinita tua misericordia. Cur non fidem & fiduciam in hoc Christi Domini verbo habeam, qui fidelissimus est ad implendis promissis, & omnipotens ad exequendum, quod dicit? O bone IESV, siquidem omnia potes, & mihi dicis, si possum credere, me etiam omnia posse: concede mihi posse credere eo modo, quo tu vis; vt in te possim, quidquid mihi promittis.

III. PARENS adolescentis hoc audiens, & intelligẽs ex fide sua dependere filij sanitatem, respondit cum feruore & humilitate: *credo Domine adiuua incredulitatem meam*, quasi diceret, credo quantum possum; sed, quod mihi deest in fide, suppleat bonitas tua. Quibus verbis docet, admirandum quendam orandi modum, cùm facimus quidquid possumus, & petimus à Deo, vt quod nobis deest ipse suppleat. Credendo, petam augmentum fidei; humiliando verò me, augmentum humilitatis; amando denique augmentum petam charitatis. O dulcissime IESV, credo & millies credo quidquid mihi dicis, & spero quidquid mihi promittis: sed fides mea est debilis, & breuis fiducia; supple tu Domine defectum meum, corroborando fidem, & perficiendo spem, ad tuam siquidem bonitatem spectat bonum perficere, quod incæpit.

PVNC-

PVNCTVM III.

TVNC a IESVS *comminatus est spiritui immundo dicens illi, surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclamans & multum discerpens eum, exijt ab eo: & factus est sicut mortuus.* IESVS *autem tenens manum eius, eleuauit eum,* b *& reddidit illum patri eius. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei.*

a *Mar. 9. 25*

b *Luc. 9. 43.*

I.

HIC primò perpendendum est dominium Christi Domini super omnes dæmones, & imperium, quo huic duo imperauit, exire scil. statim, & non ampliùs introire. Neque absq; mysterio nunc dixit: *amplius ne introeas in eũ,* sciebat enim Christus Dñs dæmonis mores, qui, cùm diu in aliqua anima locum habuit, & ab ea expellitur c *non inuenit requiem, donec assumens septem alios spiritus nequiores se, eandem iterũ ingrediuntur.* Vt igitur hanc dæmonis feritatem reprimeret, voluit plenâ suâ misericordiâ vti, mandans neque solum nec cum comitatu redire ad eum adolescentem: & ita fecit.

c *Luc. 11. 24*

II.

DEINDE considerandum, quàm grauiter ferat dæmon ab anima expelli, præcipuè cùm diu illâ possederit! & quantis paupercula anima doloribus afficiatur, cùm ab eius tyrãnide est liberanda; & vitia, in quibus diu iacuit, debet exuere, sunt enim dolores sicut mortis, quamuis ad vitam recuperandam necessarij. Quare, terreat me licèt dæmon, aut mũdus, &

caro, non debeo conuersionem meam differre, sed quàm citissimè potero, ab hoc meo tyranno expedire: quo enim ego hæc diutius distulero, eò ille pertinacius sæuiet in me; & difficiliùs expelletur.

III. DEMVM Christi Domini nostri perpendam bonitatẽ & in porrigenda manu ei, qui lapsus est, benignitatẽ, vt erigatur & viuificetur; ipse enim solus vitã restituere, & integram sanitatem reddere potest. Et quamuis potuisset hũc adolescentẽ in suum trahere seruitiũ, non tamen id fecit; sed reddidit illum patri suo: quò suã in omnibus charitatẽ ostenderet, qua absque vllo interesse, quidquid boni potest, facit. O Deus animæ meæ, hæc omnia me ad te amãdum, tibiq; omnino seriò seruiendũ excitant: sed quandoquidẽ me à Dæmonio liberasti, iube eum ad me ampliùs non redire; sed tu potiùs me in tuum filium suscipe: quia neque habeo, neque habere volo alium patrem, quàm te, cui sit honor & gloria pro tot excellentissimis operibus, quæ in filios tuos ad illorum commodum operaris. Amen.

PVNCTVM IV.

a Matt. 17. 19. TVNC *accesserunt discipuli ad* IESVM *secretò & dixerunt: quare nos non potuimus eũcere illum? dixit illis* IESVS, *propter incredulitatẽ vestram: amen quippe dico vobis, si habueritis fidẽ sicut granũ sinapis, dicetis monti huic transi hinc illuc; & transibit: & nihil impossibile erit vobis. hoc autem genus non eũcitur, nisi per orationem & ieiunium.*

PRI-

PRIMVM perpendenda est Christi Domini nostri prudentia, qui noluit publicè paruā discipulorum fidem, quæ aliquo modo fuit causa, cur dæmon ab adolescente non exiret, manifestare: sed publicè reprehendit nationis illius incredulitatē, quæ publica erat; priuatim verò reprehendit incredulitatē discipulorū, quæ erat secreta. qua ratione docere nos voluit modū, alios cū discretione reprehendēdi. I.

DEINDE nos docet, ad magna aliqua impetranda, necessariā esse fidem similē b *grano sinapis*, quod mole quidē est paruū, sed acrimonia & efficacitate magnū, sic inquā fides & fiducia, fortis, vehemēs, viua, & efficax esse debet; sed in subiecto tamen humili & paruo in oculis suis, sibique diffidenti; vt omnino Deo confidat. Hac fide poterimus vel c *montem*, ex loco suo quantumuis firmiter fundatū eradicare, & *mittere in mare:* hoc est, ex corporib' & animabus Dæmonē, qui in eis inueterauit, expellere; & spiritum superbiæ, iræ, gulæ, & reliqua terrena impedimēta, q̄ à Dei seruitio nos retrahunt, penitus eradicare. O Domine omnipotens, semina in anima mea hoc granū sinapis, si quidem ego tantam fidē, nisi tu dederis, habere non possum. Da mihi Domine talem fidem, quæ ardore charitatis sit vehemens, & paruitate humilitatis secura: & in vtroque similis grano sinapis, ex qua tanta crescat arbor virtutum, vt angeli cœli in ea se possint recreare. Amen. II

b *Matt. 17. 20. Luc. 17. 6.*

c *Mar. 11. 23*

ADIECIT autem CHRISTVS redemptor noster, III.

noſter, *hoc genus* dæmoniorum, qui ita ſunt radicati, *non eĭci niſi in oratione & ieiunio:* Fidei itaq; & confidentiæ coniungenda ſunt ieiunium & oratio, quæ ab eadem fide proueniant: nam, ſi fiducia eſt ſicut granum ſinapis, eructat fumum orationis ad Deum, & ieiunij humiliationé, vt quod petit impetret; ſperans ſe his mediis illud obtenturum. Vtitur autem Christus Dominus verbis ei, qui curat, & ei, qui curatur, communibus: vtrumque enim eaſdem virtutes habere oportet.

S. Bernard. Serm. 4 in Quadrag.

HIS ſpiritualibus armis contendam me ſpiritum facere, qui cum malignis ſpiritibus pugnare, eoſq́ue vincere poſſim, carnem ipſam eiuſq́; grauem molem ieiunio ſubtiliorẽ reddendo; oratione autem ſpiritum ad Deum leuando, vt d *ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ pœnitentiæ & thuris*, orationis ad cœlum aſcendat, & e *eo fumo extricet* (ſicut Angelus Thobiæ dixit) *omne genus dæmoniorum* ita, vt non audeant amplius ad me accedere. O Redemptor mi, qui in mõte Thabor in ieiunio & oratione pernoctaſti, antequam hunc dæmonem expelleres, quem tui Apoſtoli vincere non potuerunt; Da mihi ſpiritum orationis & pœnitentiæ, quo meam carnem ſpiritui ſubiiciam; animi perturbationes domem; & ſuperbiæ ac vanitatis ſpiritus à me expellam: vt aſcendens tecum f *ad montem myrrhæ & ad collem thuris*, & ieiunium cum oratione coniungẽs, merear etiam ad montem Thabor gloriæ tuæ tecum aſcendere. Amen.

d *Cant. 3. 6.*

e *Tobiæ 6. 8.*

Lucæ 9. 28.

f *Can. 4. 6.*

MEDI-

MEDITATIONES CIRCA MORTVOS A CHRISTO RESUSCITATOS, & de spirituali peccatorum resurrectione.

MEDITATIONES de tribus mortuis, quos Christus Dominus resuscitauit, fieri debent, non solùm ipsum perpendendo miraculum, sed etiam eius significationem, quæ est resurrectio spiritualis omnium peccatorum, qui ad Christum Dominum conuertuntur: qui ad tria genera reduci possunt. Vnum eorum, qui imbecillitate aut ignorantiâ peccant: quos significat puella duodennis, quas Christus Dominus in paterna eius domo suscitauit. Aliud est eorum qui peccant ex passione; quos refert adolescens filius viduæ Nain, quam Dominus suscitauit, cùm iam ad sepulchrum deduceretur. Tertium denique est genus eorum, qui peccant ex malitia, quorum fuit figura Lazarus, quem Christus Dominus iam sepultum resuscitauit. In modo autem, quem Christus, omnes illos mortuos resuscitando seruauit, etiam peccatorum variorum resurrectionem delineauit.

MEDITATIO XXXIX.

DE DEFVNCTA FILIA Archisynagogi.

PVNCTVM I.

a *Luc. 8. 41.* VENIT *vir, cui nomen Iairus, & ipse princeps Synagogæ erat, & cecidit ad pedes Iesu, rogans eum multum, vt intraret in domum eius, quia vnica filia erat ei ferè annorum* b *Mar. 5. 23* *duodecim, & hæc* b *in extremis erat, vt manus super eam imponeret, & salua esset, ac viueret.*

I. CONSIDERANDA hic primùm est qualitas huius defunctæ, & causa huius mortis. (& idem licebit perpendere in filio illo vnico viduæ apud Naim) nam etsi filia esset vnica suorum parentum, & quidem diuitum, ac nobilium, ac propterea tenerè dilecta, & cui illi plurimum indulgerent, nihilominus mors illam abstulit: quam nec ipsi parentes, nec medici, nec diuitiæ, nec virorætatis ab ea potuerunt eripere. vt hinc ego discam, in omni ætate, in quacunque fortuna & statu, nullam esse vitæ securitatem; sed ex inopinato me mortem inuasuram. Et ex-

pen-

pendam, quamuis hæc puella & reliqui defuncti, quos Christus Dominus resuscitauit, reparare potuerunt damna, quæ priori morte incurrerant, disponendo se ad melius obeundam secundam mortem: mihi tamen id non euenturum. nam, & primæ partis Meditatione septima fuit notatum, lex est vniuersalis: a *statutum est omnibus hominibus semel mori.* quare damna, quæ prima morte obuenerint, reparari non poterunt. O bone Iesu, ne quæso inaniter me assecuret flos ætatis, nec delitiæ, aut diuitiæ, aut res aliæ huius vitæ! Da mihi semper timere timore sancto quod semper mihi minatur. Et quandoquidem nonnisi semel est mihi moriendum; fac me tunc benè mori.

a *Heb. 9. 27*

II. DEINDE considerabo, huiusmodi inuenum mortem aliquando euenire propter peccata parentum, qui nimium illos amant, & illis indulgent, & eorum causa sæpè Dei legem conculcant. Aliàs prouenit huiusmodi mors, propter propria ipsorum peccata, qui absque rationis fræno suas sequuntur propensiones. Vult autem Deus perniciosis illorum gressibus, morte accedente occurrere, ne damnentur, aut vt eò minores patiantur in inferno cruciatus. Interdum etiam prouenit mors ex fauore, quo illos Deus prosequitur, iuxta illud Sapientis, b *raptus est, ne malitia mutaret cor eius, aut ne fictio deciperet animam illius.*

b *Sap. 4. 11.*

Deni-

Denique euenit huiusmodi mors ob occultas alias causas gloriæ Dei, quas nos non assequi-
c *Rom. 5. 12.* mur. Ex his timorem concipiam c *peccati, per quod intrat mors*; meque paternæ Dei prouidentiæ committam, supplex orans, eo tempore & occasione mihi mortem aduenire, quò maximè saluti meæ conueniat, & in ipsius Dei gloriam cedat.

III. DENIQVE perpendam, sicut hæc mortua non potuit per se Christum Dominum quærere, qui vitam illi impertiret; nec aliter illam ab eo petere; & ita mortua in æternum permansisset, nisi pater eius pro ea rogasset: ita nec peccator per culpam mortuus. nam quamuis verum sit, illum non ita esse mortuum, vt non possit ad Christum recurrere, illumque vocare, refert tamen plurimum, intercessores habere, qui pro illo orent, agantque apud Deum, vt illum dignetur resuscitare. & ita conari debeo frequenter illud ab ipso petere, dicens: ô pijssime Pater respice innumeras animas, quæ in hoc mundo adeò sunt mortuæ, & in suis culpis submersæ, vt nec vitam, nec resurrectionem à te petant; ego verò, Domine, quamuis indignus, supplex oro, vt earum domus accedas, & inspirationis tuæ manu corda illorum tangas, vt vitam recipiant. Aspice etiam vnicam hanc filiam meâ, quæ est animæ & voluntas mea, quæ velut mortua iacet propter culpam & tepiditatem, qua vitam ducit; veni, Deus meus, ad indignam domum meam, & potentis manus tuæ

tactu

tactu eam continge; vt ad nouam vitam cum feruore suscitetur.

PVNCTVM II.

AVDIENS Iesus Archisynagogi petitionem, *surgens sequebatur eum, & discipuli eius, & cùm venisset in domũ principis, & vidisset tibicines & turbam tumultuãtem,* b *& flentes & eiulantes multum, non admisit quenquam se sequi, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi, & patrem & matrem puellæ.*

a *Mat. 9.*

b *Mar. 5. 38*

c *Luc. 8. 51.*

CONSIDERANDA inprimis Christi Domini nostri benignitas, qui statim secutus est Archisynagogum: quamuis eius fides esset imperfecta; ac propterea non esset eam gratiam promeritus; petijt enim sicut ille Regulus, vt veniret ad domum suam, & sanaret filiam eius; atque si non posset, nisi eò veniret, vitam ei impertiri. Sed non tamen illum reprehendit: quia ipsum ad pedes suos prostratum, & humiliatum vidit: humilitas enim plurimùm valet, tum ad nostros defectus supplendos; tum ad Dei misericordiam, vt illos nobis remittat, inclinandam, sicut d *Reguli* illius superbia, & erectus animus, quem ostẽdit, dum salutem filio suo, nulla humilitate aut reuerentiâ præmissa petebat, illum permouit ad indignationem, & ad exprobrandum eidem defectum fidei. *Nisi prodigia & signa videritis non creditis.* I.

d *Ioh. 4. 48*

DEINDE perpendam, Christum Dominum

voluisse

voluisse hoc miraculum occultè facere: nam cùm illud esset omnium, quæ eousque perfecerat, famosissimum; (erat enim primi defuncti resuscitatio) voluit inquam illud occultè facere, vt humilitatis nobis daret exemplum; & doceret fugere inanem nostri apud homines ostentationem. nec solùm in occulto miraculum fecit, sed eo etiam patrato, e *præcepit illis* (qui præsentes erant) *vehementer, vt nemo id sciret.* Sed voluit nihilominus, testes aliquos esse præsentes, qui factum ipsum ad nostram vtilitatem manifestarent. Nec sine mysterio tamen ad hoc tres illos elegit Apostolos, qui etiam fuerunt in monte Tabor testes transfigurationis, & in horto Gethsemani afflictionis & agoniæ, quam ipse illic est passus: sed vt significaret, se magis dilectos & feruentiores, magis etiam participes facere suorum secretorum, nominatim verò in tribus rebus, in operibus scilicet, quæ spectant. ad conuersionem animarum; in magnitudine & excellentia gloriæ suæ, & in passionis suæ ignominia & contemptu. O felicem illum, qui adeò est Christo Iesu familiaris, vt agnum hunc sequatur quocunque ierit! nec se vel ad momentum à dulci eius comitatu separat.

e *Mar.5.43.*

PVNCTVM III.

ET a *tenens Iesus manum puellæ ait illi, puella, tibi dico, surge, & confestim surrexit puella, & ambulabat, & iussit dari illi manducare.* b *& stupuerunt parentes eius.*

a *Mar. 5. 41*

b *Luc. 8. 56.*

PERPENDAM hic primùm Christi Saluatoris omnipotentiam, qui vnico tantùm verbo, nec rogando sicut Elias & Helizæus, sed cum imperio mandando, dat mortuis vitam; & in momento demortui anima siue in lymbo, siue in quocunque alio sit loco, audit eius vocem, acceditque & ingreditur corpus suum, nemine resistente aut impedíente. Exulto, Saluator mi, te adeò esse potentem c *vt voces ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*. & mortui vocem tuam audiant, tibíque obtemperent. Voca, Domine, omnes, qui ob culpam suam mortui sunt, voce tuæ inspirationis, vt ad gratiæ vitam resurgant. Quod si arbitrij sui libertate, tuæ inspirationi resisterent (quia neminem vis ad tuam gratiã cogere) etiam eos reuoca efficaciori inspiratione: quia si tua velis vti potestate, quis est qui non se dedat voluntati tuæ? I.

c *Rom. 4. 18*

DEINDE causam expendam, cur puellæ huius defunctæ manum acceperit, & illa cœpit ambulare, ac iusserit illi dari manducare? quæ cum alijs defunctis, quos resuscitauit, non fecit. Hoc enim fecit, vt doceret, pec- II.

catores,

catores, qui moriuntur, aut peccant ex imbecillitate (quos hæc puella significat) viuificari per Christum manu sua potenti eos adiuuantem, vt illam imbecillitatem vincere valeant: ideoque statim, atque eius virtute resurgunt, duo ab illis requirit: alterum ne sint otiosi, & in pigritiæ lecto remaneant; sed incipiant statim ambulare, & bona opera exercentes, in via virtutis proficiant. Alterum vt panem comedant b *qui cor hominis confirmet*, qui est sanctissimum altaris Sacramentum, cuius virtute plenè corroborantur. Quod autem iubet alijs, resuscitatæ puellæ dare manducare, docere voluit se ministris suis iubere, vt panem hunc vitæ conuersis tribuant peccatoribus; vt animum sumant ad vitam inchoatam prosequendam. O Saluator animæ meæ, eius quæso manum tua manu accipe; si enim tua cum mea iungatur, mox ego surgam, & omni pigritiâ excussâ incipiam laborare. Da mihi etiam comedere panem vitæ supersubstantialem, qui debiles confortat, & corda deficientia corroborat, vt eius virtute confortatus non cessem progredi, donec ad c *montem Dei Horeb* perueniam, vbi tuam videam gloriam, per infinita sæcula. Amen.

b *Ps.103.16.*

c *3.Reg.19 8*

MEDITATIO XL.

DE DEFVNCTO FILIO viduæ apud Naim.

CVM a *iret Iesus in ciuitatẽ quæ vocatur Naim, & cum eo discipuli eius, & turba copiosa, & cùm apropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ, & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa.* a *Luc.7.12.*

In hoc adolescente defuncto (præter ea, quę proxima meditatione de morte sunt dicta) considerabo peccatorem, qui ob culpas, ex vehementioribus animi perturbationibus ortas, mortuus iacet; cuius anima videtur corpori sicut cuidã pheretro aut sarcophago inclusa. nã quidquid cogitat, loquitur, aut agit, est circa carnem & de sua carne. Qui verò hunc loculum portant, quatuor sunt appetitiones siue passiones vehementes: luxuria scilicet, quæ appetitio est voluptatum sensuum; ambitio, quæ inanium honorum; cupiditas, quæ diuitiarum; & ira denique quæ est ad vindictam impulsus contra eos, qui ea bona impediunt. Ab his quatuor animi perturbationibus portatur miser hic peccator ad innumerabilium peccatorum abyssum, & tandem ad ipsum inferni profundum: nisi Christus Dominus mi- I.

sericordia sua id prohibeat. Ex quo affectus commiserationis concipiam, videns hunc mundum tot huiusmodi mortuis refertum, qui quotidie in publicum prodeunt, & versantur in plateis & portis ciuitatum, dicamque cum Ieremia: b *quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei.*

b *Ier. 9. 1.*

II. DEINDE perpendam charitatem & prouidentiam Christi Domini nostri, qui ea opportunitate voluit venire in Naim, vt mortuo huic adolescenti occurreret; non enim fortuitò, sed sciens & prudens, & cum desiderio eum resuscitandi, tunc venit; seipsum ad hoc beneficium ei præstandum, nemine id petente offerens. puellam enim Archisynagogi filiam vitæ restituit, patre eius id petente; Lazarum etiam, petentibus eius sororibus: sed hunc, proprio suo motu: vt misericordiæ suæ magnitudinem, in mortuis animabus quærendis, ostenderet, cum illis in occursum veniens etiam non petentibus remedium offerat, motus tantum earum commiseratione. Quamuis etiam cùm tale beneficium ab ipso petitur, ille sit qui præueniens inspirat, vt petatur. vt propterea discendum sit: omne bonum nostrum ab ipsius misericordiâ initium sumere.

O Pater misericordiarum, respice multitudinem peccatorum, qui in huius mundi plateis mortui iacent; miserere eorum, exi in occursum illis, interclude illorum

gressus

greſſus, antequam mors illos in eis comprehendat.

PVNCTVM II.

CVM a *Ieſus viduam matrem vidiſſet, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. Et acceſſit & tetigit loculum: hi autem, qui portabant, ſteterunt.* a *Luc. 7. 13.*

CONSIDERANDVM primò, Chriſtum Dominum noſtrum non occultè miraculum hoc ſicut præcedens, ſed palam pro gloria Patris ſui, & vt maiorem doctrinæ ſuæ authoritatem adferret, edere voluiſſe. Quò autem appareret, ipſum nõ oſtentationis ſed commiſerationis gratiâ illud facere, teneritudinem cordis oſtendit ex miſeria illius mulieris; tum quod vidua eſſet, tum quòd filius, quem amiſerat, amicus illi eſſet. Docet nos hoc facto prudentiam in publicis noſtris actionibus adhibendam, ne inanem oſtentationem per eas quæramus, docet etiam commiſerationem, quam meritò erga afflictos & deſolatos habere debemus, ſicut magnus Deus noſter, qui b *Orphanorum eſt parens*, viduarum iudex, & omnium protectio, ac tutamen. I. b *Pſ. 67. 6.*

DEINDE perpendam ipſas huius viduæ lachrymas (etiam ſi nihil ipſa loqueretur aut peteret) Chriſtum Dominum, adſuſcitandum eius filium, permouiſſe: quia lachrymæ II.

quas pro nostris aut aliorum peccatis fundimus, potens quoddam genus orationis sunt apud Deum, vt illum ad nostris miserijs occurrendum inclinent. O benignissime Pater, cuius oculi tenerescunt, dum nostros flebiles vident; moueant te ad commiserationem, matris nostræ Ecclesiæ lachrymæ, quæ & ob tuam absentiam vidua censetur; & culpas nostras ita deflet, atque si vnusquisque nostrum vnicus esset eius filius, qui ex eius visceribus prodijsset; eius lachrymarum intuitu mihi concede, quod meis ego non sum promeritus. remoue Domine huius planctus causam, & illam consolare, dicens illi: *noli flere*, quia filium, pro quo lachrymas fundis, ego tibi viuum restituam.

III. Denique attendam, Christum Dominum nostrum ad loculum accessisse; illumque tetigisse; portitores verò mox substitisse: vt significaret se, antequam peccatorem ad vitæ gratiam restituat, omnipotentiæ suæ manu illum tangere, fortibusque inspirationibus, nunc timoris, illi minando; nunc spei, veniam illi promittendo illum tangere, atque quatuor prædictarum passionum, à quibus raptabatur, impetus coercere. nam etsi illæ vehementiores sint, ad tactum tamen & imperium Christi, mox seipsas dedunt. O manus Iesu, quæ crucis lignum tetigistis, vt ei vita redderetur, qui prohibitæ arboris fructum suis contrectans, vitam amisit; tangite etiam peccatores, ob culpam suam mortuos

tuos, vt seipsos ad gloriæ vitam suscipiendam disponant.

PVNCTVM III.

ET *ait* a *Iesus, Adolescens, tibi dico surge. Et resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui: & dedit illum matri suæ.* a *Luc. 7. 14*

HIC primùm perpendenda est omnipotentia Saluatoris, quam in hoc miraculo ostendit, qui non necesse habuit sicut Helias & Elisæus b *expandere se atque metiri super puerum tribus vicibus* & c *ponere os suum super os eius & oculos suos super oculos eius & manus suas super manus eius:* neque d *manu* eum tetigit, sicut filiam Archisynagogi; sed vnico absoluto & imperioso verbo, cum mortuo colloquens, atque si solùm dormiret, eum vitæ restituit. I. b *3. Reg. 17. 21.* c *4. Reg. 4. 34.* d *Mar. 5. 41*

DEINDE considerabo, non esse absque mysterio, quod hic adolescens non statim cœperit ambulare, sicut filia Archisynagogi; sed *resederit* in loculo *& cœperit loqui*: vt significaret, eos peccatores, qui ab animi sui perturbationibus sunt raptati, sensim recuperare sanitatem, primùm enim gratiæ vitam recipiunt, & inordinatum ad res carnis affectum deponunt; quamuis aliquid affectionis adhuc remanet, quæ illorum cor cum eis aglutinat & connectit: sed postea tandem exuunt omninò prauos mores & consuetudines. Sed incipiunt tamen statim lo- II.

qui, confitendo errores suos, & veniam de ijs petendo, & emendationem proponendo, Deumque ob beneficia, quæ ab eo accipiunt, laudando. Ex quo discam, non indignari contra eos, qui non statim antiquas præteritæ vitæ prauas consuetudines vno ictu exuunt, nam quamuis ipsa iustificatio verè fiat in momento; eius tamen perfectio, sensim & paulatim progreditur.

III. DENIQVE perpendam Christi Domini charitatem, qua filium resuscitatum mox dedit matri suæ; quamuis sibi illum iure potuisset retinere: sed potius matri tradidit, vt in eius senectute & viduitate illi seruiret; & vt filij resuscitatio plenè illi esset consolationi: quo significatur, proprium esse Christi Domini, mortuos peccatores ad vitam redeuntes reddere matri eorum, quæ est Ecclesia. Et sicut hic adolescens, ex materna domo mortuus, ab alijs deportabatur; sed viuens pedibus suis ad eandem domum, cum magna eius matris lætitia redijt: sic peccator, qui ex congregatione iustorum ab animi sui perturbationibus tractus, discedit; ad eandem, per Christum viuificatus, redit cum libertate spiritus, & magna Ecclesiæ lætitia. Gratias tibi, dulcissime Saluator, ob tot animabus collata beneficia.

VTINAM peccatores omnes redirent, & iustorum congregationi se adiungerent, quò mater eorum Ecclesia plurimos habens

viuen-

viuentes filios exultaret. Siquidem igitu- Domine, hanc animi lætitiam ei dare potes, ne quæso illi eam deneges: vt nomen tuum glorificetur, dicamusque, quod præsens ibi turba, hoc miraculum videns, dixit: c *quia Prophetа magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.* c *Luc.7.16.*

MEDITATIO XLI.

DE LAZARI RESVSCITATIONE.

PVNCTVM I.

ERAT a *quidam languens Lazarus*, Marthæ & Mariæ frater: quos omnes IESVS valdè diligebat: *Miserunt ergò sorores eius ad Iesum dicentes. Ecce, quem amas, infirmatur.* a *Ioan.11. 1. &c.*

HIS verbis docemur modum quendam orandi breuem, perfectum, & valdè efficacem, propriumque virorum spiritualium, qui in vtraque vita Actiua & Contemplatiua, per Martham & Mariam indicati, diu se exercuerunt: quem Hugo de sancto Victore appellat modum orandi per INSINVATIONEM. Consistit autem in proponenda aut insinuanda Deo breuissimè, corporis aut Modus orandi aptᵘˢ, *Li. de modo orandi. c. 2.*

animæ neceſſitate aliqua, quam patior, allegato tantùm amoris titulo, quo me ipſe proſequitur: in reliquis tota mei remedij cura, ipſius diuinæ prouidentiæ relictâ, magnâ interim in eum fiduciâ & reſignatione in eius voluntate. Nam, ſi ſciam, me ab eo amari, hæc inſinuatio ſufficiet, vt certò credam, quamuis ego nihil petam, facturum ipſum, quod mihi magis expedit. Hæc orandi ratio præſupponit magnam amoris Dei in nos æſtimationem, magnam de eius bonitate fiduciam, & magnam denique in eius voluntate reſignationem: qua non quærimus aliud, quam quod ipſe voluerit; quod ad remedium attinet neceſſitatum noſtrarum, locum, tempus, & modum illis ſubueniendi.

HIS affectibus frequenter & cum animi tranquillitate repetam illam iaculatoriam: *Domine ecce quem amas infirmatur*. licebit autem loco huius verbi infirmatur, ſimilia alia ſubſtituere ſic: ecce quem amas triſtis eſt, deſolatus, tepidus, aridus, indeuotus, ira tentatur, impatientia, ſuperbia, exul eſt à Cœlo, in periculo mortis verſatur & æternæ damnationis, &c.

ITEM loco illius verbi *quem amas* licet alia ponere, quæ amoris etiam titulos complectantur, vt ſi dicam: Domine ecce, quem ad imaginem & ſimilitudinem tuam creaſti, eam imaginem amiſit; quem pretioſo tuo ſanguine redemiſti,

pec

peccatis est maculatus; quem in sacro Baptismate in filium adoptasti, à multis hostibus obsidetur, qui illum opprimunt; quem ad statum religiosum elegisti, multis imperfectionibus est plenus, quæ illum deturpant. Et moram in singulis his iaculatoriis trahens, effundam cor meum in conspectu Dei, sperans, daturum ipsum mihi, quod magis expediat; me verò resignans ad amplectendum quiquid ipse statuerit. Hæc orandi ratio est illi similis, quam beatissima Virgo in Nuptiis adhibuit, dicens: b *Fili, vinum non habent*; Et illi, quã sponsa insinuauit, cùm dixit: c *adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei: quia amore langueo*, atque si diceret: sufficit illi innotescere, quod langueam; vt meo morbo medeatur.

b *Ioan. 2.3.*
c *Cant. 5.8.*

PVNCTVM II.

AVDIENS a IESVS *dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem; sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam, & tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.*

a *Ioan. 11.4.*

HOC tempore mortuus est Lazarus.

HOC responsum ita disposuit CHRISTVS Dominus noster, tum vt pias illas sorores cõsolaretur; tum vt earũ virtutem fortiter probaret, & appareret, quanta esset reipsa fides & resignatio, quam in sua oratione ostendebant. *Primùm* itaq; considerabo, qua ratione Christus Dominus afflictas illas sorores consola-

I.

tur, efficaciſſimo conſolationis modo, qui eſſe poteſt ſuper terram: dicens illis, infirmitatem Lazari, & morbos, ac calamitates electorum, ſiue ſint corporis ſiue ſpiritus, omnes dirigi ad gloriam Dei, & ſuam: & ſcire ſe, eorum euentum priuſquàm accidant, & commodum quod ipſe ſit ex eis extracturus. Hæc autē Dei gloria, aut in eo elucet, quòd ab huiuſmodi calamitatibus, nobis minimè cogitantibus, admiranda quadam ratione nos eripit; aut eiſdem perſeuerantibus, admirandam nobis patientiam, & alia magna eius gratiæ dona nobis elargitur. O gloria mea & Domine mi, ſi reipſa ita eſt, quòd infirmitates & calamitates meæ in tuam cedunt gloriam, adueniant feliciter, nullam volo refugere, ne tuā imminuā gloriam: gloriabor potiùs in illis, in quibus tu glorificaris b *libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.*

b 2. Cor. 12. 9.

II. DEINDE perpendam magnam verè probationem & afflictionem harum ſororum, cùm viderunt, Lazarum fratrem ſuum mori; cùm tamen Chriſtus ipſis ſignificaſſet, infirmitatē illam non eſſe ad mortem. Sed Chriſtus id fecit, ad probandam earum fidem, & iudicij reſignationem; in ijs, quæ non aſſequebantur. Et ad probandam & exercendam patientiam & reſignationem, cùm re ipſa cōtrarium euenire, quàm ipſæ deſiderabāt. In his duobus probare cōſuenit Deus excellentes ſanctos, ſicut Abrahamum probauit, cùm iuſſit ſacrificari ſibi eius filium, de quo tamen promiſerat, in-

c Gen. 22. 2

numeram fore ipsi successionē, & vt de eo ait Apostol.[d] *qui cōtra spem in spem credidit:* quia credidit posse Deum illum resuscitare. Idem autē Christus Dominus volebat has duas Lazari sorores præstare; idemq; me facere decet, si quando Deus mihi cōtrarium dederit, quàm petam: vt si petenti sanitatem aut humilitatē permittat infirmitatē augeri, aut grauius me à superbia tentari: tunc enim opportunè illud Iob vsurpabo: *etiamsi occiderit me, in ipso sperabo: veruntamen vias meas in cōspectu eius arguam; & ipse erit Saluator meus.* O Saluator dulcissime, in tuas manus me proiicio, tibi iudicium meum subdo, & voluntatem; meque promptum offero ad amplectēdum quidquid vstatueris: & quamuis me occidas, non tamen spem deponam, quòd me possis suscitare: etsi dixeris me non moriturum, experiar tamen me mori, credam in spem contra spem, intelligens hanc mortem allaturam mihi meliorem vitam.

d *Rom. 4. 18*

c *Iob. 13. 15.*

PVNCTVM III.

DEINDE [a] *post duos dies dicit discipulis suis, eamus in Iudæam iterum: & dicētibus discipulis, Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare? & iterum vadis illuc?* ipse nihilominùs perstitit in sententia, nam vbi de gloria Patris agebatur, omnes mundi difficultates perrumpebat. Quò autem illos ad idem faciendum excitaret duas illis attulit insignes rationes.

a *Ioan. 11. 7.*

I. PRIMA ratio fuit: *nonne duodecim sunt horæ diei?* quasi diceret, sicut dies duodecim habet horas, nec fieri potest vt illas non expleat: sic dies vitæ meę, & vestræ ac singulorum hominum horas habet à diuina ordinatione præscriptas, iuxta illud b *breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Quare secure aggredi possumus, quidquid erit ad gloriam Dei, absq; vllo timore vitam amittendi antequam Deus velit, & statutum habuerit. Et eo magis, quòd in duodecim horis diei, & homines & res ipsæ mutantur: Deusque ipse immutat voluntates, quare propter ea, quæ in prima diei hora fuerunt, nihil est timendum: nam fortè erit mutatum ante vltimam.

b *Iob.14.5.*

II. SECVNDA ratio fuit: *si quis ambulauerit in die non offendit: quia lucem huius mundi habet,* quasi dixerit, qui in veritate ambulat coram Deo, non est quod timeat: veritas enim & lux Dei liberabit illum à lapsu, & à morte, quam diu Deus voluerit eum viuere. *Si autem ambulauerit in nocte* & in tenebris, ille timet & *offendit quia lux* fidei & gratiæ *non est in eo:* ideoque in pœnam suorum peccatorum labuntur, & vitam ante tempus amittunt. nam impij & c *viri sanguinum & dolosi* (vt ait scriptura) *non dimidiabunt dies suos:* & vt ait Propheta, d *occidet sol in meridie*, hoc est, qui illis fuisset meridies. His duabus rationibus meipsum permouebo ad non deserenda, quæ sunt

c *Psal.54. 24.*

d *Amos 8.9*

obse-

obsequij diuini, propter timorem hominum, & persecutionum eorum; nam vt non possunt vel diem vnum vel vnam diei horam ijs addere, quas Deus præscripsit: ita nec auferre poterunt contra eius ordinationem: Et si sum filius lucis, Deo placens, non est quod timeam ab hominibus cùm ipse Dominus dicat, e *nolite timere opprobrium hominum & blasphemias eorum ne metuatis: sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: & sicut lanam, sic deuorabit eos tinea. Et quis tu, vt timeas ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet?* quasi diceret: quamuis teipsum, & quę à teipso habes si respicias, est cur plurimùm timeas: si autem me respicias, qui protector tuus sum & redemptor; nulla est ratio, cur timeas.

e *Isaiæ 61. 7. 12.*

III.

His dictis manifestauit Christus suis Apostolis mortem Lazari, nõ quidem statim apertè, sed paulatim & verbis, in quibus latebat mysterium: primò enim dixit *Lazarus amicus noster dormit; sed vado, vt à somno excitem eũ.* quibus verbis Lazari mortem somnum appellat: non ob id solùm, quòd ipsi æquè esset facilè à morte aliquem resuscitare; atque dormientem à somno excitare, (quod proborum & impiorum morti commune est) sed etiam vt discrimen assignaret inter mortem amicorum & inimicorum ipsius. nam vt is qui dormit, somno ipso requiescit; sed post viuit, vt solebat; sic f *Dei* amici & *dilecti*, quibus ipse *dat somnum*, moriuntur, vt requiescant à laboribus

f *Psal. 126 3*

g 2. *Mach.* 7. 9. 14.

ribus suis; & g *vt ad* eam *vitam resurgant*, quæ eminenter vitæ nomen mereatur, qualis est *vita æterna*; in qua recipiunt gloriæ hæreditatem. Inimici autem eius moriuntur, vt æternùm mortui maneant, *eorum enim resurrectio ad vitam non erit* : sed ad æternam mortem.

IV. HVIC sententiæ Christi Apostoli responderunt : *Domine si dormit saluus erit.* quasi dicerent, quòd ægrotus dormiat, signum est sanitatis: non itaq; opus esse tãto labore, & cum tanto periculo ad illum excitãdum accedere. In quo proponitur nobis imperfectorum hominum repugnantia, qui volunt intelligere, quod nollent facere, nisi eis valdè proponatur: & nunquam illis deest aliquid, quod ad se excusandos arripiant, ne, quod Deus & eius ministri præscribunt, exsequantur. Vt hic apparet: Apostoli enim, ob repugnantiam, quam sentiebant eundi in Iudæam, existimarunt Christum propriè de somno locutum : cùm fuisset facilè intelligere, ipsum non susceturum illud iter, vt eum, qui proprie dormiret, tantùm excitaret. *Tunc ergo* IESVS *dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est: & gaudio propter vos, vt credatis*. Ostendit autem his verbis, quanti faciat vt fides nostra, & virtus nostra crescat. siquidẽ gaudere se dicit de morte Lazari, vtpotè ex qua fides discipulorum esset incrementũ susceptura. Et quamuis Apostoli hoc antea crederet, nihilominus dicit, *vt credatis* : docens nos hic quandam virtutis exer-

erci-

citationem, feruentium iustorum propriam; qui singulis rationibus, quibus Deus sua mysteria illis reuelat, denuo credunt, ac dicunt: si huc vsque Domine, non credidissem; nunc credidissem denuo: sed renouo tamen fidem meam. Eadem ratione perfectus religiosus sæpius iterat sua vota, atque si tunc recens illa redderet Deo, dicens: si hactenus castitatem non promisissem, nunc promitterem; sed iam denuo illam promitto.

V.

DENIQVE videns Thomas firmum Christi decretum, dicentis: *eamus ad eum* respondit magno spiritus feruore conuersus ad condiscipulos: *eamus & nos, vt moriamur cum eo*: atque si exhortans diceret, ne magistrum nostrum deseramus; sed idem cum eo subeamus periculum: & moriamur vbi ille morietur. Ostendit autem magnum feruorem in duobus: primùm, quòd se ad moriendum cum Christo obtulit: secundum, quòd suos condiscipulos fuerit ad idem exhortatus, simul vtrumque charitatis actum, Dei scilicet, & proximi exercendo; plus Christum, quàm propriam vitam amando; & proximum, vt eodem modo illum amet, prouocando. O supreme Magister: en offero me ire & mori tecum, si id opus erit, antequam te deseram

h *mihi enim viuere tu es; & pro te mori lucrum.*

h *Phil.1. 21.*

PVNC-

PVNCTVM IV.

a *Ioan. 11. 17* VENIT a *itaque* IESVS in Bethaniam: *& inuenit Lazarum quatuor dies iam in monumento habentem: Martha ergo vt audiuit, quia* IESVS *venit, occurrit illi, & dixit: Domine, si fuisses hic, frater meus nõ fuisset mortuus.* Quasi diceret: si p̃sens fuisses, infirmitatẽ

I. eius tempestiuè auertisses. In quo proponitur nobis, sicut Lazarus infirmat⁹, & mortuus est, absente Christo: ita cùm nobis abest, cùm faciem suã nobis abscondit, nec fauoribus spiritualib⁹ de more nobis assistit, solere pullulare animi nostri perturbationes & tentationes, infirmitatesque tepiditatis, ac imbecillitatis spiritualis, quæ interdum perducant nos ad mortem culpæ: quando autem ipse IESVS præsens est, omnia illa cessant; quia suâ ipse præsentiâ illa auertit. O Redemptor mi, b *Non me derelinquas vsquequaque:* non id peto, vt me interdum non deseras, vt prober; sed ne vsquequaque, & ita, vt succumbam.

b *Psal. 118 8. Ex Cassian. Colla. 4. c. 6.*

II. ADIECIT mox Martha. *Sed & nunc scio, quia quæcunq; poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Quo verbo paruam de Christi diuinitate fidem se habere ostendit: quasi necesse Christo esset per orationẽ à Deo impetrare, quod esset facturus. Ideoque priùs, quàm ad miraculum edendum veniret, voluit illam Marthæ imperfectionem emendare, inter alia dicens: *Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. & omnis qui viuit & cre-*

dit in me; non morietur in æternum. Ego, inquit, Author sum resurrectionis animarum, quæ ob admissam culpam sunt mortuæ, dans eis gratiæ primùm, deinde etiam gloriæ vitam. Sum etiam Author resurrectionis corporum mortuorum, reddens eis, quando & sicut ego volo, amissam vitam, & quidem multò perfectiorem, quàm illa fuerit amissa, & qui fide viuâ hoc crediderit, non morietur in æternum. *Credisne hoc?* Illa magno feruore, quasi paruam suam fidem perficere volens, & pudore suffusa, quòd paruam primùm ostendisset. *Vtique,* inquit, *Domine, ego credidi, quia tu es* CHRISTVS *filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Et porrò quòd sis resurrectio & vita, & possis fratrem meum resuscitare: non solum orando tanquam homo; sed imperando vt fiat, tanquam Deus. Ex quo apparet, veros Christi discipulos dociles esse & faciles ad suos corrigendos errores: ex quibus ansam accipiunt ad nouos actus edendos eius virtutis, in qua se defeciisse aduertunt; quò præteritos defectus instaurent & reparent.

MOX perpendam Christi Redemptoris charitatem, & solicitam curam, quam de illis gerit, qui ipsum diligunt. Nam cum Lazarum resuscitare decreuisset, voluit Mariam interesse miraculo, in præmium feruentis amoris, quo ipsum prosequebatur, & ipsi seruiebat: vt hac ratione noua ei offerret excitamenta in eodem amore proficiendi: cùm clarif- III.

clarissima videret miracula,& recentia sentiret beneficia. Ideoq; per Martham ei nunciari curauit de suo aduentu, & vt ad se illa veniret: Id quod Martha mox præstitit. *Silentio ei, dicens: Magister adest, & vocat te*: & illa *vt audiuit, surrexit cito, & venit ad* IESVM: *& videns eum cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.* In quo facto tres insignes virtutes manifestauit Maria.

Prima fuit OBEDIENTIA prompta, ad punctum, & comis, quæ ex magna, quam de Christo habebat, existimatione fuit orta. statim enim atque eum adesse cognouit, *vt audiuit, surgit citò*, & nec vale facto iis, qui cum ipsa erant, aut aliis adhibitis cæremonijs, quæ illam poterant remorari, *venit ad* IESVM; sic nos instruens, ad nutum nos accingere ad Dei vocationem, c *non acquiescentes carni & sanguini* aut aliqua eius habita ratione.

c Gal.1.16.

Secunda virtus fuit insignis erga IESVM REVERENTIA: nam statim atque *illum vidit, cecidit ad pedes eius*, nihili faciens, quòd multi Nobiles ex Iudæa præsentes essent, qui eum oderant, grauiterque ferebant, si quid illi honoris deferretur. Et in hoc etiam Martham sororem suam superauit, de qua nihil tale scriptum legitur.

Tertia virtus fuit maior multo FIDES, quàm fuerit sororis, magnâ etiam adiunctâ resignatione. Plena enim amoris & doloris dixit: *Domine, si fuisses hic, non esset mortuus*

frater

frater meus. Non tamen adiecit, quod Martha: vt circa Christi diuinitatem magis esset instructa, ex audita ad eius pedes aliàs tali doctrina. Et hæc adeo beneuola & amoris plena resignatio, non petens fratris resuscitationem; sed eius prouidentiæ charitatique illam relinquens, potens fuit, eandē impetrare. Et ideo Ecclesia in Oratione eius festi, fratris resuscitationem eius precibus tribuit: *Cuius precibus,* inquit, *exoratus, Lazarum resuscitasti.* Ex quo intelligam, quanto plus apud Christum valeant amoris affectus, quàm verba prolixa. Vt autem ipsa Maria in puncto & ad nutum Christo obediuit; ita ille fuit promptus, & ad nutum audiuit eius desideria, & impleuit petitionem.

IV. DENIQVE Mysterium perpendam vtriusque sororis Marthæ & Mariæ, quæ vtramq; vitam Actiuam & Contemplatiuam referunt; quæ ad conuersionem & resurrectionem peccatorum concurrunt. Prædicatio enim, Oratio, & Contemplatio bene vt sorores conueniunt ad eam rem. Nec contentus est CHRISTVS, qui principalis est talis resurrectionis author, eam exequi intuitu solius Marthæ; sed vult adesse Mariam; vt Euangelij Ministri intelligant, necesse esse verbis suis etiam Orationem adiungere; & Concionibus, earundē Meditationem, & Contemplationē: quò fructū ferant. Ac deniq; vt in hoc miraculo plus Maria effecit, q̄ Martha; sic sæpè humilium & feruentium oratio plus efficit, quàm

verba Concionatorum eruditissimorum: vt hinc animum omnes sumamus, ad fundendas pro peccatoribus preces: cum videmus Christo Domino placere, quod Maria oret, ploret, & gemens talia petat.

PVNCTVM V.

I. CONSIDERA hic præstantia illa, quæ Christus edendo miraculo præmisit. Nam *primò infremuit spiritu*, & ingemuit, externis editis interni doloris signis; seipsum turbatum, & suspiria trahentem ostendens: idque bis hic præstitit. Nam semel fleuit, videns Mariam & circumstantes flentes: quia officium est charitatis a *flere cùm flētibus*: & cùm ipse Christus sit ipsamet charitas & misericordia, non decebat charitatis legibus eum deesse. Iterum ingemuit ex commiseratione ipsius mortui; & ob peccatum, b *per quod mors introducta est in mundum*: ibi enim occurrit eius menti, quàm caro ipsi constituturum esset, mortem ipsam & peccatū destruere: nam eam ob causam etiam se mortem obiturum; & corpus suum in simili sepulchro ferali amictu obuolutum reponendum; animam verò ab eo separatam descensuram ad lymbum. Lacrymatus quoque est & ingemuit ex commiseratione Pharisæorum, qui aderant; eo quòd essent tantum miraculum calumniaturi, & ex eo accepturi occasionem, ipsi mortem inferendi. Propter hæc omnia

a *Rom. 12. 15*

b *Rom. 5. 12.*

Lacry-

Lacrymatus est IESVS. Vtinam adfuissem, vt Iesu lacrymas colligens oculos meos eisdem vngerem; & illi in fontem lacrymarum conuerterentur, quæ ipsius Iesu lacrymis coniunctæ, peccatorum meorum maculas abluerent, & gratię vitam mihi redderent, quam propter illas amisi. O dulcis IESV ob lacrymas tuas, donum mihi da lacrymarum.

SED expendenda tamen sunt varia iudicia, quæ circumstantes de his Christi Domini lacrymis fecerunt. Sinceriores enim, ex amore & commiseratione ortas interpretabantur, dicentes: *ecce quomodo amabat eum*, siquidem homo adeo grauis, eius causâ plorat. Alij iniquiores eas calumniabantur, dicentes: si eum tantoperè amabat, *non poterat, vt aperuit oculos cæci nati, ita efficere, vt hic non moreretur?* Ex quo intelligam, quàm errent hominum iudicia; & quàm flocci sint illa facienda: siquidem vnum & idem opus alij probantes laudant; alij calumniantes reprobant. Quo exemplo meipsum solabor, si aliqui meas lacrymas & pietatis opera, quę ex Dei voluntate amoreque presto, interdum calumniabuntur.

IVSSIT deinde Christus, *Tolli lapidem*, qui ad portam erat sepulchri; vt omnes demortui cadauer viderent. Et licèt solo verbo lapidem amouere potuisset, id non fecit, nollens in iis miraculum edere, quæ homines præstare possent; sed in eo, quod eorum vires & facultatem excedebat. Obseruandum est au- IL

tem & illud, quòd Martha bono zelo impedire voluerit, ne lapis tolleretur, dicens: *Domine iam fœtet, quatriduanus est enim.* Vbi insinuatur, nostros interdum amicos & cognatos, amoris quodam prætextu nobis impedire bonum spirituale: contendentes apud nos ne talia & talia, quę bonum illud impediunt, remoueamus.

III. LAPIDE sublato, *eleuauit* IESVS *sursum oculos*, vnde vita mortuo illi erat descensura: vt me doceret mearũ miseriarum remedium nõ in eo esse, vt eas confusè & quasi in cumulo, aut lapidibus dealbatis coopertas aspiciã; sed discoopertas, peccatorum meorum fœtorem hauriens: & mox oculos ad Deũ leuans, à quo veniet remedium mihi, supplex illud petenti. Et adiecit: *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me:* Ego *autem sciebam, quia semper me audis*: Sed hæc dixi, *propter populum qui circũstat:* vt credant, quia tu me misisti. Hoc fuit autem Christo familiare & proprium, grãtias Patri agere ante, quàm miraculum ederet: tanquam qui esset certus, Patri gratum esse, vt illud ederet. Et hoc beneplacitum, & voluntatum conformitatem vocat Christus *Exaudiri* se. Sed simul nos docet, si nouas gratias & dona à Deo petimus, inchoandum nobis esse à gratiarum actione ob priùs accepta: hac enim ratione disponimur, ad noua recipienda.

PVNC-

PVNCTVM VI.

HAEC a *cùm dixisset, voce magna clamauit: Lazare veni foras.* atq; si cum procul inde existente loqueretur, vt reipsa Lazari anima tunc erat remotissima, (quia fas est credere, eam in Lymbo fuisse) hac vocis suæ exaltatione & clamore etiam referens, b *Tubæ* illius tremendæ sonitum, quo mortui omnes ad iudicium sunt vocandi. Et quoniam magno imperio dixit: *Lazare veni foras*, in momẽto eius anima ex loco, in quo erat properauit, vt suo corpori cõiungeretur; & corpus viuũ prodiit ex sepulchro sicut erat ferali amictu opertũ, vultu verò sudario velato: vt miraculi magnitudo eò magis eluceret, cum mortuo & fœtido iam corpori vita, & perfecta sanitas, & motus ac gressus proprius etiam ligato manibus & pedibus, simul sunt reddita, & quanuis soluere illum potuisset etiã imperio, id tamen non fecit, sed *iussit* discipulis, vt *soluerent, & abire sinerent*: vt ijdem miraculi testes essent, qui illum soluerent.

a *Ioan. 11. 43.*

b *1. Corint. 15. 52.*

EX his omnibus concipiam affectus admirationis, & exultationis ob Christi Domini omnipotentiã, vt proximis meditationib. sæpe monuimus. Nominatim verò in ipso Lazaro cõsiderabo peccatorem aliquem, qui priùs erat iustus; sed Deo se probationis eius causa subtrahente, non bene illi succesſit probatio: nam primùm, tepori loco cõcesso, ægrotauit; & paulò pòst, culpæ cõsentiens, mortuus est;

& quoniam rerum terrenarum affectionibus se se dedidit, etiam sepultus est, & in eis submersus: denique cecidit super ipsum lapis duritatis cordis, ob longam in peccando contractam consuetudinem. Ac demùm fœtidus redditus est, ob exemplum prauum aliis datum, quos scandalizauit. Ex quo prouenit, vt nec ipse Christum inuocet, qui auxilium ferat; nec vlla huius cura illum tangit. Sed pergens considerabo quam sit proprium iustorum, affectu fraterno Deum pro peccatoribus orare; & ipsius Christi, eorum preces exaudire; & ad illos resuscitandos pro gloria sui Patris accedere: manifestans in hoc interni verbi sui, inspirationis videlicet, efficacitatem, ad illos rediuiuos ex ipso sepulchro, abominandis scilicet peccatis educendo: vt propterea de nullius cõuersione, quantumuis deplorati, desperemus. Sed tamen vt Lazarus viuus quidem prodiit ex sepulchro, quamuis *ligatus institis*, quæ Apostoli soluerunt: ita peccatores ad gratiæ vitam quidẽ resuscitantur; sed præteritæ vitæ peccatorũ reliquiis deprauatisq; moribus adhuc ligati tenẽtur: à quibus tamen postea Confessariorum industriâ & directione soluuntur, & liberantur: quia huiusmodi Ministris Christus vices suas etiã ad id reliquit, sicut Apostolo *Petro promisit*, vt sacramẽtalis Absolutionis voce soluerent peccatores, quos ipsemet internæ inspirationis voce excitat; vt sua cõfiteantur peccata. O potẽtissime Saluator, siquidẽ opera tua perfecta

c *Matt. 16. 19.*

sunt;

sunt;&me viuentem à sepulchro eduxisti peccatorũ; libera etiam ab institis, quæ ex eis remanserũt. Non refugio tuos ministros pro auxilio accipiẽdo accedere: sed tuum tamen imploro, vt per eos liber sanusq; maneam. Amen.

MEDITATIO XLII.

DE CONCILIO PHARIsæorum aduersus Christum, in quo Caiphas decretum tulit eius mortis.

PVNCTVM I.

QVIDAM *ex Iudæis*, qui Lazari resuscitationi interfuerunt, *abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis, quæ fecit Iesus. Collegerunt ergò Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebãt, quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani & tollent locum nostrum & gentem.* a *Ioh. 11. 46*

PERPENDENDVM hic primùm quam abominandi sint illi, qui seipsos odij, & inuidiæ vitijs subdiderunt! prætextu proprij honoris & interesse. Siquidem tales ex miraculis, & præclarissimis Christi facinoribus, grauio- I.

rum peccatorum sumūt occasionem; sicut qui ex theriaca venenum sibi faciunt, qua intereāt: & vnde alij virtutes eliciunt, vt saluentur; ipsi eliciunt grauiora scelera, vt pereant. O Domine, libera me ab huiusmodi vitijs ob tuam misericordiam: ne quod tu in alijs efficis, in meū commodum & exemplum; id ego in meam perniciem conuertam.

II.

DEINDE considerabo, quanta festinatione b *impij conueniunt aduersus Christum*, & bonos & pios! quamque sint in suis consultationibus cœci! nam odium instar trabis alicuius excœcat oculum rationis. Nam hinc fatentur, Christum multa signa facere; & omnes in eum tanquam in verum Messiam credituros: inde verò nec proprio eum nomine appellare dignantur, nec eius credere miraculis, neq; vt verum Messiam suscipere: ne propria vitia relinquant. Ac denique iusto Dei iudicio, dum malum exprimunt, quod timebant, nisi Christum occiderent; illud prædixerunt, in quod erant deuenturi, eò quòd illum occiderunt; quod fuit templi, & gentis totius ruina. O bone IESV, magni consilij Angele, libera me à perturbatis carnis meæ consilijs; quæ dum suggerit fugere dolores & ignominias, propter ea quæ ipsi arridēt: in easdem tamen incidit, quas fugiebat. Nolo Domine, consilium aliud, quàm tuum: & c *consilium meum* semper sint *iustificationes tuæ*, quibus semper conor vitam meam accommodare.

b *Psal. 2. 2.*

c *Ps. 118. 24*

PVNCTVM II.

VNVS *autem ex ipsis Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam nec cogitatis, quia expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit: sed, cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit, quod Iesus moriturus esset pro gente: & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnum.* a *Ioh. 11. 49*

DECRETVM & sententia Caiphæ considerandа primùm erit, quà ex pernicioso eius corde & intentione prodijt: tum quà ab Spiritu sancto, qui per os eius est locutus, processit: vt enim Euangelista notauit, non à semetipso tantùm hoc dixit:

QVOAD primũ itaq; perpendam Pontificis huius superbiam, qui sermonẽ suam incepit, alios omnes insignis insipientiæ notando; incidens ipse in multo insigniorem, ferendo sententiam, quòd expediret Christum occidere, ne omnes corporis morte perirent ad manus Romanorum; cùm hæc ipsa mors Christo illata verè causa fuerit, cur illud malũ illis eueniret. Et hic apparet, quod affectus, & animi perturbatio eò pernicioſior est, maioraq; infert damna, quo is qui eâ laborat maioris est authoritatis & existimationis: vt euenit cũ Sapiẽtes, & Sacerdotes, & Prælatos, & Principes excæcat: b *Qui* (vt ait Ier.) *magis confregerunt iugũ* diuinæ legis, *ruperunt vincula* eius præceptorum. I. b *Ierem. 5. 5*

QVOAD

II. QVOAD secundum, perpendam diuinam Spiritus sancti inuentionem, qui impiorum interdum linguâ vtitur, ad fines suos manifestandos. Prius Caiphas statuerat ob odium in Christum, illam proferre sententiam; & mox illi Spiritus sanctus suggessit, vt proferret, prophetando necessitatem, in qua mundus erat, vt Christus moreretur; ne omnes perirent; & vt ad fidem vnam & charitatem congregarentur, quicunque in æterna prædestinatione essent filij Dei, erant verò dispersi per vniuersum orbem. Verissimum est, Deus meus, plurimum nostrâ referre, vt vnus homo moriatur: sed non purus homo; sed qui simul sit Deus; & homo, qui per excellentiam sit homo, & homo vnus, homo singularis, & talis, vt non sit ei similis inter homines! O homo, verè plus quam homo! vnus & singularis inter homines! Gratias tibi quantas possum maximas, quod elegeris pro hominibus mori, vt temporalis tua mors, eos ab æterna liberaret. Ne quæso, Redemptor mi, huius mortis fructus pereat. recollige dispersos, congrega filios tuos omnes, imple tuam Ecclesiam multis iustis, & cœlum multis electis, vt ab omnibus glorificeris in secula. Amen.

PVNCTVM III.

11.53. AB *illo ergò die* (omnibus qui in concilio erant Caiphæ sententiam approbantibus) *cogitauerunt, vt interficerent eum.* IESVS *ergò iam non in palam ambulabat*

apud

apud Iudæos; sed abijt in regionem iuxta desertum, in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem: & ibi morabatur cum discipulis.

PERPENDAM primùm peruersæ illius gentis complacentiam in ea resolutione; & quanto applausu Caiphæ sententiam exceperunt! Dominumque supplex orabo, me vt à congregatione liberet eorum, b *qui lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* I.

b *Pro. 2. 14.*

DEINDE considerabo Christi Domini patientiam & mansuetudinem, qui etsi absens, omnia tamen videbat; nec de adeò iniquo decreto vltionem accepit, sed hostium suorum furori cessit, vsque ad præscriptum tempus; ita interim se erga illos gerens, atque si eorum consilij conscius non esset. Adimplens nunc, quod prius dixerat per Ieremiam. c *Tu autem Domine demonstrasti mihi, & cognoui: tu ostendisti mihi studia eorum. Et ego quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimã: & non cognoui, quia cogitauerunt super me consilia dicentes: mittamus lignum in panem eius, & tradamus eum de terra viuentium.* O dulcis Iesu, Agnus Dei, & panis vitæ; gratias tibi pro ea mansuetudine, quam ostendis sciens hostes tuos statuisse, te tanquam agnum sacrificare, & in ligno crucis clauis transfigere! da mihi istius mansuetudinis aliquam partem, vt ea te glorificem, ad quemcunque laborem etiam mortem pro gloria tua me offerendo. Amen. II.

c *Ier. 11. 18.*

DENIQVE considerabo discipulorum fi- III.

delita-

delitatem semper suum magistrum comitantium in omnibus laboribus & secessionib. præcipuè verò in hac. Expendam item, quomodo Christus Dominus noster in paruula illa ciuitate deserto proxima, præparabat se ad mortẽ vehementer gaudens, quod iam hora eius appropinquaret. O Redemptor mundi, humani generis reparator, promulgatum iã est decretum mortis tuæ, ore vnius summi Pontificis, quamuis improbi, sed ab spiritu patris tui ad id inducti! non potest hoc decretum reuocari: & omnium hominum saluti expedit nõ reuocari; nec tu id desideras, quia pluris facis vitã nostrarum animarum, quam tui corporis! præpara te Domine ad pugnam quæ iam in procinctu est & te expectat; vt moriens victoriam obtineas, quam speramus. quandoquidem verò eam tu iam obtinuisti, ne patiare, eius me fructu priuari. Adiuua me Domine in huius vitæ pugna, vt per gratiam tuam obtineam æternam. Amen.

MEDITATIONES *de cœna in Bethania, de ascensu in Ierusalem, & ingressu in eam cum ramis palmarum ponentur in quarta parte.*

MEDITATIONES DE ALIquot parabolis Christi Domini nostri.

IN sermonibus, quos noster Saluator sex diebus ante suam passionem habuit, aliquas proposuit parabolas mysterijs plenas & valdè vtiles. Ex his &

his & alijs; quas alijs temporibus proposuit, insigniores eligam, illas præcipuè, quas Ecclesia in aliquot dominicis & festis publicè proponit, vt illis diebus meditationis materia esse possint. Et quoniam plures sensus habent & interpretationes illum hic potissimùm sequar, qui ad proprium nostrum profectum dirigitur, atque si talis Parabola mihi soli loqueretur: nec sequar tamen semper ordinem quo illæ fuerunt propositæ, vt facilius aliquas coniungam, quæ ad eundem specialem scopum pertinent. quamuis omnes vniuersim eò spectent, vt mysteria Regni cœlorum reuelentur, quod sex complectitur partes, in quibus aut in aliqua illarum Parabolæ similitudo consistit: Ecclesia videlicet militans cum suis membris & ciuibus; triumphans, ad quam illi proficiscuntur; doctrina sancti Euangelij, quam illi credunt; leges & consilia, quæ seruant; virtutes & opera, quæ exercent; proprietates denique Regis, à quo gubernantur, qui est Christus Dominus noster: qui quòd multa habeat officia, varias proponit parabolas ad illa declaranda.

MEDI-

MEDITATIO XLIII.

DE SAPIENTE QVI DOmum ſuam ædificauit ſupra petram; & ſtulto qui ædificauit ſuper arenam.

ADVERTENS Chriſtus variam diſpoſitionem eorum, qui eius ſermonem in monte audiebant, hac Parabola ſermoni finem impoſuit, a *omnis qui audit verba mea hæc & facit ea, aſsimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram: & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat ſuper petram. Et omnis qui audit verba mea hæc & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam: & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.*

a *Mat. 7. 24. Luc. 6. 48.*

PVNCTVM I.

I. PRIMVM conſiderabo, Chriſtum Dominum noſtrum apertè ſupponere, eorum, qui eius doctrinam audiunt & credunt, quoſ-

quosdam sapientes esse & cautos, qui eam opere exequantur; alios ignaros & stultos, qui contenti sunt eã credere, etiam illam non exequendo: quos iustissimè hoc nomine Christ[a] appellat, quia nulla est maior insania nec stultitia magis extra propositum, quàm credere quod Christus dicit; facere verò eius contrarium: nec altior est sapientia & discretio, quã si illam credens, etiam opere exequaris. Quare meipsum obstupescam, qui credens verè quod credo; meam tamen vitam ita instituam, sicut video; & credens esse infernum & eius cruciatus æternos pro ijs qui Dei legem trãsgrediuntur, illam tamen ita ego transgredior, atque si infernum esse non credam; & credens Deum vbique esse præsentem, ita illum offendo, atque si præsens mihi non esset. Quæ insania innumeros homines inficit. Nã vt Sap. ait a *Stultorum infinitus est numerus.* Et Christus Dominus noster Ecclesiam similem esse dixit decem Virginibus, quarum quinque essent fatuæ, vt postea videbimus. O bone Iesu libera me à tali stultitia ex tua infinita misericordia: & siquidem gratiam mihi dedisti ad credendum quidquid dicis, da etiã ad exequendum, quod præcipis.

a *Eccl.1.15.*

Tentationum varietas.

DEINDE considerabo omnes domos & cõscientias tam sapientum quam stultorum oppugnari tribus generibus tentationum, quæ indicantur fluminibus, quæ fluunt per terram; ventis, qui mouentur per aerem; & pluuijs, quæ de cœlo descendunt: A tentationibus vi-

delicet & tribulationibus, quæ à carne nostra & hominibus terrenis, quibuscum versamur, nascuntur; aut à dœmonibus, qui sunt principes aeris huius tenebrosi; aut denique à secretis diuinæ prouidentiæ iudicijs ad nostram exercitationem eueniunt: quales sunt internæ desolationes, auiditates spiritus, & varia alia infortunia, & persecutiones, quæ etiam à pijs viris, & bono zelo, sed non secundum scientiam eueniunt. Similiter sapientes & stulti à tentationibus sensualitatis & auaritiæ vrgentur, quæ per flumina indicantur, à vanitate & curiositate quæ ventis; à superbia & ambitione dignitatum & excellentiarum, quæ pluuijs super tecta descendentibus significantur. iuxta illud sancti Ioannis: b *omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Denique sicut flumina domum per fundamenta inuadunt, venti per muros laterales, pluuiæ per tecta: ita aliquæ tentationes inuadunt nos initio vitæ nostræ & actionum nostrarum, aliæ in medio, aliæ ad finem. Aliquæ impugnant Tyrones, qui Deo seruire incipiunt: aliæ proficientes in ipso exercitio virtutum, aliæ perfectos; & qui iam ad culmen peruenerunt: vt omnes in quacunque ætate, quocunque tempore, & in quouis statu vitæ c *præparemus animam nostram ad tentationem.*

b 1. *Ioh. 2. 16*

c *Eccl. 2. 1.*

III. Ex quo agnoscam: differentiam inter sapientes & stultos, perfectos & imperfectos,

non

non in eo consistere, quòd horum domus & conscientiæ impugnentur, illorum non impugnentur: quandoquidem vtræque reuera impugnantur; sed hoc differunt, quòd sapientes se ad illas præparent, domosque suas ita ædificent, vt etiam accedentibus tentationibus, non corruant; insipientes autem & stulti hæc non attendentes, aut negligentes facilè vincuntur. Ac propterea tentationes verè, non faciunt hominem improbum; sed qualis sit manifestant: num videlicet sapiens sit an stultus in suæ domus ædificatione. Ex quo colligam, errorem esse & ignorantiam, fugere virtutem & religiosum statum, ad quem sentio me à Deo vocari, ob tentationum & tribulationum metum: siquidem etiam improbi & seculares homines illis vrgentur, &, interdum etiam grauioribus: nam, vt ait Iob, d *qui timent pruinam, irruet super eos nix*: & e *fugientes arma ferrea, irruent in arcum æreum*. incidentes videlicet in grauiores tentationes, dum leuiores fugiunt: quare prudentiæ est amplecti virtutem & statum illum, ad quem me Deus vocat: præparando me tamen ad conflictus, qui mihi euenient. *Cassia. col. 18. c. 13.* d *Iob. 6. 16.* e *c. 20. 24.*

PVNCTVM II.

CONSIDERANDVM deinde, domum & conscientiam insipientium propterea ruere, quod sit fundata super arenam.

Hæc enim aperta fuit eius stultitia: quod ædificauerit super adeò debili fundamẽto, sciens illam fore oppugnandam. considerandum igitur hic est, quid sit super arenam ædificare, & quam sit pernicioſa ruina eius ædificij, quod super illam fundatur.

I. PRIMVM itaque ædificare super arenã est, vitam fundare super solam fidem ita, vt solùm velimus credere, quod Deus dicit; sed absque proposito exequendi quod dicit, aut certè cũ debili & instabili proposito. Item est fundare vitam in fide, commixta terræ mutabili nostrarum affectionum ad res terrenas, quales sunt honores & delitiæ. nam vt arena propterea non est apta, vt sit fundamentum ædificij, quòd partes suas disiunctas habeat: ita nec cor varijs affectionibus diuisum, quæ non sunt in Deo vnitæ. Denique super arenam ædificare est, constituere fundamentum super propriã naturam, & inniti proprijs viribus, & inconstantiæ propriæ voluntatis, & proprij iudicij ac sententiæ.

S. Basil. de const. monast. c. 21.

II. HINC prouenit, vt stulti & insipientes tẽtationibus succumbant, & eorum domus ruat eò quòd non habeant vires ad eius pondus sustinendum: & vt a *statua*, quam vidit Nabuchodonosor, quamuis *eius caput ex auro optimo esset; pectus autem & brachia de argẽto; porrò venter & femora ex ære; tibiæ autem ferreæ: sed quoniam pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis, lapillus vnicus percutiens statuam in pedibus eius, totam illam comminuit.*

a Dan. 2. 32

Ita

Ita licet vita nostra eleuata sit, & donis humanæ sapientiæ, altis dignitatibus, etiam gratijs prophetię & miraculorum clara, si fundetur in sola fide, coniuncta arenæ rerum prædictarum, quælibet tentatio illam obscurat, ac deijcit, *& fit magna ruina domus illius*, quia perit gratia & amicitia Dei, euanescunt Spiritus S. dona & virtutes, quæ charitatẽ comitantur; & interdum religiosus malè fundatus, deserit religionem; & Christianus, etiam fidẽ; super quam erat fundatus ob mixturam ineptam, cui illam adiunxit. Ruina autem talis domus propterea magna est, quia magnum excitat strepitum, magni scandali. Quare benè respice anima mea, quo pacto tuæ conscientiæ domum fundes, ne ruat; ne illam fundes in amore rei inconstantis; quia, ea mota, & tu moueberis. b *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, nec proprio consilio; c *quia consilium tuum præcipitabit te*, nec fundes illam in sola fide, etiãsi miracula facias, quia in die vltimæ rationis d *cõfitebitur tibi Christus, quia nunquam nouit te.* nec diuidatur cor tuum sicut arena, ne tibi eueniat quod ait Propheta, *diuisum est cor eorũ, nũc interibunt*; & ita tu æterna morte interias.

b *Pro. 3. 5.*
c *Iob. 18. 7.*
d *Mat. 7. 23.*

PVNCTVM III.

VLTIMÒ considerabo, propterea domũ & conscientiam sapientum non corruere, quòd sit fundata super petram vel rupem viuam, hoc est in fide viua, quæ charitatem coniunctam habet iuxta illud A-

a *Eph. 3.17.* postoli a *Christus habitet per fidem in cordibus vestris in charitate radicati & fundati*: illa est enim, quæ omnes affectiones & desideria coniungit & vnit in vnum Christum. Eadem conscientia fundatur etiam in mortificatione & abnegatione sui ipsius, carnis suæ, amoris proprij, propriæ voluntatis, ac proprij iudicij: sicut qui cor suum fodit, vt, quidquid in eo terrenum & instabile est, eijciat, donec perueniat ad cognitionem sui nihili, iuxta illud

b *Iob. 26.7.* Iob b *qui appendit terram super nihilum*, super

c *Eccl. 1.4.* quod tanta firmitate c *terra* fundata est, vt *in æternum stet*. Denique fundatur etiam eadem domus in firmo & stabili animi decreto, faciendi quod Deus mandat: non innitendo

d *1.Cor.3.11* proprijs viribus sed diuinæ gratiæ, & d *Christi* Domini nostri virtuti, *qui est* Petra viua & firmum ac solidum totius sanctitatis *fundamentum* propter quem dicere audeat cum

e *Rom. 8.35* Apostolo: e *quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustiæ? an persecutio? an gladius? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque creatura vlla poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu* radicata & fundata. O dulcis Iesu qui tanquam Deus & homo sapientissimus, Ecclesiam tuam super petram tanta firmitate fundasti, vt

f *Mat.16.18* f *potestates inferi non possint prævalere aduersus eam*: funda Domine, ædificium animæ meæ supra teipsum, & sanctissimæ tuæ vitæ imitationem, vt nec exundantia flumina, nec validi venti, nec tempestates pluuiarum,

uiarum, nec inferni poteſtates contra eam præualeant: ſed in virtute permaneat firma, vſque ad æternam vitam.

MEDITATIO XLIV.

DE PARABOLA seminantis.

PVNCTVM I.

EXIIT *qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum*. Hanc parabolam dignatus eſt Chriſtus per ſeipſum declarare, cuius declarationem ſequentes, expendemus, quodnam ſemen illud ſit, quis ſeminans, in qua terra, cuius causâ & qua ratione ſeminetur. SEMEN, inquit Chriſtus, eſt verbũ Dei, ſiue externum illud ſit, quod auribus corporis percipitur; ſiue internum, quod intus in anima auditur, & eſt diuina inſpiratio: ex qua præcipuè naſcuntur fructus, quos producit cor noſtrum: illa enim dat ſenſum eius, quod auditur: eſtque inſtar virtutis ſeminalis, quæ intra granum quod ſeminatur, latet. a *Luc. 8. 5.*

I. De inſpiratione diuina.

QVI ſeminat Deus eſt trinus & vnus, qui illud ſeminat per ſuam inſpirationem, quam ſuggerit nũc per cõcionatores, nũc per bonos

libros ijs, qui illos legunt, aut per bona exempla, aut pias imagines, cùm cernuntur; interdum verò per seipsum, inspirationem repentè immittens in cor nostrum.

III. TERRA, in qua hoc semen seminatur, est anima cum suis potentijs: nam in memoria seminat sanctas cogitationes, & pias imagines, quales sunt memoria nostrorum peccatorum, pœnarum inferni, præmiorum cœlestium, breuitatis huius vitæ, mortis, & iudicij, præsentiæ Dei & beneficiorum eius. In intellectu seminat illustrationes cœlestes, quæ repentè secreta reuelat, quæ in fidei nostræ mysterijs latent; & sunt instar seminis ad meditationem & contemplationem. Seminat similiter bona consilia, inspirans consilium, quod sibi accipere, aut alijs dari posset. Conscientiæ item dictamina, quibus ad bonum exhortatur; &, quod malum est, reprehendit. In voluntate seminat sancta desideria & affectiones, qui scintillarum instar erumpentes producunt ignem perfecti amoris, & fructum virtutum: quales sunt aliqui affectus timoris Dei, inferni, & mortis, dolor de peccatis, amor Dei, desideria illum videndi, eidemque seruiendi seriò.

IV. CAVSA, cur hoc semen in anima nostra seminat, non est proprium commodum, quod alij seminantes respiciunt; sed est commodum & vtilitas ipsius animæ: habet enim hæc sementis singularem virtutem commutandi & perficiendi terram, in

qua

qua seminatur; quamuis illa ex se sit inepta, sterilis, arida, & inutilis, & in eum finem à Deo seminatur; non ob terræ propria merita, sed ob solam suã bonitatẽ & misericordiam. quia bonus & liberalis est & valde delectatur, dum sua dona nobis dispertit: & eis facit nos bonos. Hinc est quòd frequenter valde seminet hoc semen in omni loco, tempore, & occasione; præcipuè cum ad nostram salutem id magis expedit; & propterea Christus Dominus noster dixit: *exijt qui seminat*, significãs hoc illi ex officio incumbere, quòd vel hoc vel illo modo semper exerceat.

Ex omnibus his considerationibus & earum singulis, affectus eliciam laudis & gratitudinis diuino huic seminanti: magnam etiam sementis ipsius æstimationem & feruentia desideria cõcipiam, vt illam in anima mea seminet: id quod ex toto corde petam, instituris colloquiis cum omnibus tribus personis diuinis. O Pater cœlestis, qui æternum tuum verbum intra te ipsum genitum, in hũc mundum misisti, vt sementis esset omnium sementum, & verbum omnium verborum, quæ boni nostri sunt semen: per idem verbum Filium tuum supplex oro, vt in memoria mea copiosam sanctarum cogitationum sementem seminẽs, vt ex ea, copiosi bonorum operum fructus proueniant. O verbum æternum, qui ex paterno sinu prodiens, ex cœlo in hanc nostram terram descendisti, vt semen veræ doctrinæ tuæ, quæ propriè tua est sementis, &

non alienam nec ab alio mendicatam seminares; exi Domine, seminare in meo intellectu copiosam diuinarum illustrationum sementem, quibus te cognoscam & me; & id quod credere & facere debeo: illudque opere exequar. *O Spiritus* sanctissime, qui *vbi vis, spiras*: visque inspirare, vbi tua inspiratione opus est: illâ quæso voluntatem meam tange, & sanctorum affectuum sementem in ea semina, & feruentium desideriorum scintillas in eam proiice, vt intra cor meum vehementissimus amoris ignis accẽdatur. vt ex tali semente copiosissimos proferat *fructus spiritus*, qui ex eo amore procedunt.

b *Ioan. 3. 8.*

c *Gal. 5. 22.*

O Trinitas beatissima, gratias tibi ago, quòd liberaliter adeo sementem tuam semines in adeo vili & contempta terra! ô sementis diuina, vtinam pro meritis te possim æstimare! ô vtinam tua virtute plenus essem! ô anima mea, terra inutilis, cur non hanc sementem desideras? suspira ad illam, pete, vrge, quia non denegabitur tibi.

PVNCTVM II.

DEINDE considerandum quod etsi hæc sementis adeo sit pretiosa & efficax, ipseque seminans opportunè eam seminet, eo fine ac desiderio, vt fructum referat; tres nihilominùs eius partes, ipsius terræ, cui committitur, causa & culpâ pereunt. curandum ergò mihi est examinare ac intelligere, quæ sint in me causæ & culpæ, cur hoc semen in me pereat, dolens, quod in me tales

sint

sint causæ ; & quærendo rationem illas remouendi : vicem quoque aliorum dolens, quòd similes in se causas habeãr; & quòd tanta pars sementis, & cum tanta seminantis iniuria pereat.

a *Dum seminat aliud cecidit secus viam, & conculcatũ est, & volucres cœli comederũt illud.* a *Luc. 8. 5. 1.*

itaque nec cæpit quidem fructũ adferre. Terra secus viam & absq; aggere est cor durum, sicut via valde trita & à prætereuntibus conculcata, quod audiens verbũ Dei exteriùs ruditer tantum illud percipit, nec penetrat nec amplectitur. potiùs omni terrenarum cogitationũ generi absq; vlla custodia aditũ præbet, quæ hoc semen cõterunt & cõculcant: dæmonesq; ipsi summâ velocitate & attentione accurrũt illudq; ex memoria & ex corde rapiũt. In hoc loco & cõditione me constituens, dicã, væ mihi, qui ob duritiẽ cordis mei, noluerim verbũ Dei suscipere: nam quod vna aure percepi, altera dimisi. Fui sicut via omnino communis & trita, aditum malis cogitationibus ac desideriis dando, quæ per cor meum pertransire volebant; Dedi locum inferni volucribus, vt rostris peruersarũ suggestionũ deprædarentur semen bonarum inspirationũ: illis locum dedi, has repuli. Pœnitet me, Deus meus, tam paruam me curam tui seminis gessisse : statuo verò animæ meæ terram aratro mortificationis colere, eiusq; duritiem mollire, quò verbi tui semen recipiam, b *& in corde meo abscondã* & cooperiam *eloquia tua,* b *Psal. 118. 11.*

ne hostium

ſemen recipiam, ne hoſtium inſultibus & de prædationi pateant, *& peccem tibi.* Sed qui imbecillitatem meam agnoſcis, effice, vt inſpiratio tua cor meum mollificet adiuuetque, vt eum fructum proferat, quem tu ad gloriam tuam deſideras. Amen.

II. ALIVD *cecidit in petroſa, vbi non habebant terram multam;* quia propè erat ſaxum: *& continuò exortum eſt, quia non habebat altitudinem terræ. Sole autem orto aruit, quia habebat radicem.* Tales ſunt qui naturalem quandam mollitiem & facilitatem habent, vt cum voluptate Dei verbum audiant, pios libros legant, bona deſideria & propoſita concipientes; immò etiam exſecutioni ea mandare incipientes: & tamen, tentationibus exurgentibus dæmonis, & carnis, & hominum perſecutionibus, exareſcit illud bonum quod habebant, ac benè inceptũ deſerunt; quia mutabiles ſunt & incõſtantes, nec radices egerunt in humilitate, & fiducia Dei; ideoque nec humorem nec ſuccum veræ deuotionis habent, ſed, vt ait S. Marcus, d *temporales ſunt*, hoc eſt ad tempus tantùm deuotionem habent, quæ citò euaneſcit; & vt Propheta ait, e *quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane pertranſiens*, aut ſicut flos, qui quocunque æſtu accedente marceſcit. Nec tamen myſterio vacat, quòd Chriſtus Dominus perſecutiones comparet Soli, cuius proprietates ſunt, luce reſplendere; calore verò adurere: quibus duo genera perſecutionum exprimũtur, vnum proſperitatum

d *Marc. 4. 17.*
Matt. 13. 21
e *Oſea 6. 4.*

ſecu-

secularium, laudum, adulationum, inanis gloriæ, & ambitionum; alterum aduersitatum, calumniarum, dedecoris, paupertatis, timoris, & aliarum afflictionum: & contra vtrumque genus oportet nos esse fortes, & bene radicatos; ne fructus, quos diuina inspiratio in nobis operatur, arescãt: studentes, vt ait Apostolus, fideles esse Dei ministros in prosperis & aduersis, f *per infamiam & bonam famam.* f 2. Cor. 6. 8
O Deus æterne, cui magna mea inconstantia est nota, corrobora me gratiâ tuâ, vt profundas adeo radices in charitate iaciam, ne *creatura vlla possit me ab ea separare,* Amen.

III.

ET g *aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud: & hi sunt qui audierunt, & à solicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.* Tria itaque sunt, quæ diuinam inspirationem suffocant; & profectũ nostrum spiritualem impediunt: diuitiæ videlicet, solicitæ curæ, & sensuum voluptates: quæ omnia vno vocabulo à Christo *spinæ* appellantur. O Magister supreme, quàm tua iudicia à nostris distant! quod enim mundus diuitias, & voluptates appellat, tu *spinas* dicis & vepres: nam etsi corpori indulgeant, spiritum tamen pungere solent & cruentare multumq; sanguinis, hoc est peccata multa ex eo elicere, eumq; doloribus anxietatibus & remorsibus configere! libera me Domine, ab hisce spinis; tuis verò me corona, quæ, etsi pungentes, carnem lacerent; spiritum tamen conso-

g *Luc. 8. 14.*

lantur

lantur & lætificant: nihil siquidem plus consolationis adfert, quàm spineam tuam coronam in terra amplecti, spe coronam gloriæ in cœlo obtinendi.

PVNCTVM III.

a Luc. 8. 15. QVOD *autem* a *cecidit in terram bonam, ortũ fecit fructum centuplum: & hi sunt, qui in corde bono & optimo audiẽtes, verbum retinent: & fructum afferunt in patientia:* b *alij quidem centesimum, alij autem sexagesimum, alij verò tricesimum.*

b Mat. 13. 23 SICVT itaq; tria sunt genera improborum, qui sementem destruunt; ita sunt tria genera bonorum, qui fructũ ex ea referũt. Alij in statu Tyronum mediocrẽ adferunt fructum: Alij in statu Proficientium proferunt ampliorem: Alij deniq; in statu Perfectorũ plurimum adferunt: omnes autem in patientia & longanimitate laborant, mercedem suam expectantes. Et quamuis pauciores sint numero, quàm mali; lucro tamen suo compensant iacturam trium partium sementis. Exulto, supreme seminans, esse tales aliquas terras, in quibus tua sementis virtutem suam exerens, centum pro vno proferat! Vtinam plurimæ essent tales terræ, vt plurimi te glorificarent, tibique, vt par est, seruirent! excitare, ô anima mea, vt Deo seruias diligenter, nec quiescas in fructu tricesimo, aut sexagesimo; sed contende proferre centesimũ: siquidem fructui huius vitæ

correspondet præmium in futura; imò c *etiam in hac vita, si ei feruenter inseruias, centuplum est daturus.*

c *Matt.19. 29.*
c *Marc. 10. 30.*

Aliæ applicationes huius Parabolæ possūt perperpendi, vt sancti interpretantur. fructum triceſimum tribuendo coniugatis; ſexageſimum viduis & virginibus; centeſimum Martyribus aut etiam religioſis, qui vitam profitentur contemplatiuam aut myſticam, docētes alios viam perfectionis, quam ipſi ſequuntur. In quocunque autem horum ſtatu contendere nos docet, perfectiorem fructum proferre: fieri enim poteſt, quòd ſtatus quidem ſit fructus triceſimi, proferat tamen centeſimum, ob inſignem feruorem, qui ſupplet imperfectionem ſtatus.

MEDITATIO XLV.

DE PARABOLA ZIzaniorum.

PVNCTVM I.

SIMILE a *factum eſt regnum cœlorum homini qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo, cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici; & abiit. Cùm autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet: tunc apparuerunt & zizania.*

a *Matt.13. 24.*

I. HANC etiam Parabolam Christus ipse declarauit, dicens, se esse qui seminet; cuius officium est in campo huius mũdi seminare bonum semen, hoc est filios Regni, iustos videlicet, qui cœlestis regni futuri sunt hæredes. vocantur autem Christi semen, eò quòd sint eius filij, ex generosa & cœlesti prosapia geniti in statu gratiæ, virtute sementis diuinæ inspirationis, quæ fuit in illorum cordibus seminata. Imò etiam semen censentur, ex quo alij ipsis similes nascuntur: perfecti enim ad imitationem sui magistri, cõtendunt alios iustos generare, qui Deo sicut ipsi deseruiant.

II. SED inimicus, qui est dæmon, in medio boni seminis zizania seminauit, hoc est homines nequam: nam vt zizania in gramine similia sunt tritico; cum autem creuerint nigrescũt, suntq; tritico, cum quo simul nutriuntur pernitiosa, imò & homini, qui illis vescitur, quia obtundit visum, prouocant vomitum, sensumq; perturbant: sic iniqui iustis sunt similes in natura humana, & interdum etiam in fide, & externis Christianorum cæremonijs; in rei tamẽ veritate, nigri sunt in anima, propter peccata; visumque interiorem valde turbatum habent ignorantiis & erroribus multis, iam contra fidem, iam contra bonos mores, quibus alios scandalizant, & dissensiones inter eos faciunt, ac denique b *Deum* prouocant, vt illos *ex ore suo euomat*. Faciens ergo comparationẽ duorum horum seminũ, mihi ipsi dicam: vtrum esse mauis, Christine semẽ,

Salmeron. Tom. 7. tract. 6.

b *Apoc. 3. 16*

qui

qui tuus est amicus, tuamque salutem quærit; an dæmonis, qui tuus est hostis, & tuam quærit condemnationem? O Deus animæ meæ, semen tuum esse volo, diuinæ tuæ inspirationi obtẽperans, ne me permittas, Dñe, mei & tui hostis suggestioni obedire, ne fiã zizania tuæ Ecclesię, & te prouocem, vt ab ea me euomas.

CONSIDERABO tertiò, quòd inimicus ille homo zizania seminauit, postquam seminatum fuit triticum; idque dormientibus hominibus; vt significetur, priùs fuisse bonos, quàm malos, tum inter Angelos in cœlo, tum inter homines in Paradiso: & vniuersim, postquam CHRISTVS Dñs noster in Ecclesia sua iustorũ sementem seminat per Baptismum, & alia sacramenta, accedit satanas, vt superseminans zizania, illos procuret in nigellã siue melanthium conuertere: quod facit dormientibus hominib⁹, in nocte videlicet, repentè, & quãdo ipsi minimam sui curam gerunt, aut illam relaxantes dormiunt pigritiæ somnũ. O dulcissime IESV, omnis boni seminis seminator, qui semper vigilas & nunquã dormis, ac propterea vides zizania, quę hostis tuus in campo tuo seminare contendit: ne quæso dormire te ostendas, permittens in me tale aliquid seminari, quod me separet à te. Quòd si ego ex negligentia dormiuero, vigilet tua misericordia; vt me excitet, & hosti resistam priùs quàm is mei possessionem accipiat. III.

DENIQVE perpendam, quod inimicus post seminata zizania *abijt*, vt significet, quòd se IV.

abſcondat, ne agnoſcatur, ſicut qui lapidem in alium iacit, & manum abſondit, ne iecisſe notetur. Et interdum ſe transfigurat in amicum & in Angelum lucis, quò nos faciliùs decipiat. Interdum etiam diſcedit, deſiſtens à tẽtationibus, vt quaſi ſecuri ab eo eſſe videamur: ſed mox rabie maiori reuertitur, vt nos proſternat. Ex quo fit, vt, propter ſimilitudinem zizaniorum ad triticum, non potuerint diſcerni, donec ad fructum peruentum eſt: vt intelligamus, ſæpè bonos & malos in initio valde ſimiles eſſe; quia mali induunt habitum & figuram bonorum & c *lupi* (ſicut Chriſtus dixit) *veniunt in veſtimentis ouium*. Sed tempore proferendi fructũ, deprehenditur quis quiſque ſit; & num veræ ſint an tantum apparentes virtutes, quas habet, ex operibus quæ facit.

S. Chryſoſt. hom. 47. in Mat. S. Hier tom. 9.

c Matt. 7. 15.

PVNCTVM II.

a Matt. 13. 27.

ACCEDENTES *autem ſerui patriſfamilias dixerunt ei, Domine, nonne bonũ ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? & ait illis, inimicus homo hoc fecit.*

I.

CONSIDERANDVM primo, quòd Apoſtoli & viri apoſtolici eorum ſucceſſores, videntes multitudinem improborum, & errorũ ac vitiorum, quæ ſunt in mundo, ſtupentes & dolentes ad Deum recurrunt dicentes: Domine, qui fit, vt cùm tu in mundo tam præclarum ſemen ieceris, tot nũc admixta ſint illi zizania? vnde hoc, quòd cùm duodecim Apoſtolos ele-

elegisses, vnus eorum fuerit Iudas? Et in horto Ecclesiæ tuę inter *lilia* iustorum, tot reperiantur *spinæ* peccatorum? In domibus Religiosis cum tritico Perfectorũ sint commixti tot, qui aliis sunt scãdalo? Et ingressus meipsum, cernensque tantam vitiorum & perturbationum multitudinem, quę animam meam cõturbant; possum etiam Christo Domino dicere. Num, Domine, non seminasti in corde meo bonum semen Sanctorum desideriorum, & firma animi decreta, relinquendi omnia, vt expeditiùs tibi & cum perfectione seruirem? Vnde ergo tanta prodiere Zizania; quæ in me esse animaduerto? Aperi mihi Deus meus, huius radicem & causam, vt contendam cum gratia tua ádhibere remedium.

b *Ioan. 6. 64*
c *Cant. 2. 1.*

II.

DEINDE Christi responsio est perpendẽda. *Inimicus*, inquit, *homo hoc fecit*. Quibus verbis tria insinuat. *Primum*, quòd Deus Dñs noster non sit Zizaniorũ *seminator*, aut mali seminis; sed boni tantùm: quia ipse est summa bonitas, & à summa bonitate nihil mali potest prouenire; nec illa potest quenquam ad id inducere. *Secundum* est, quod dæmon præcipuus sit Zizaniorum seminator; & ab eo tentationes proueniunt, propter inimicitias, quas habet aduersus Deum, & homines: & propterea in Scriptura appellatur, e *Tentator*, & *qui* sunt zizania, & f *faciunt peccatũ*, dicuntur *ex diabolo esse*, & filij eius, qui g *patris sui* imitatores sunt, cuius *desideria volunt facere*. *Tertium* est, quòd licet ipse dæmon præcipuus sit

d *Iacob. 1. 13*
e *Matt. 4. 3.*
f *1. Ioan. 3. 8.*
g *Ioan. 8. 44.*

1. p. q. 114. ar. 3. ex S. Iacob. c. 3.

pessimi feminis seminator, ipsi nihilominus homines (teste S. Thoma) arbitrij sui libertate, & à suis passionibus & carne stimulati seipsos zizania faciunt. & fors propterea dixit: *Inimicus homo*, quasi diceret, homo qui suiipsius, & h *animæ suæ inimicus est*, & meus *hoc fecit*, hæc Zizania seminauit in mundo & in seipso, huiusq; tanti damni est causa. Ex triplici hac certa veritate documentum sumam adculparum, & turbationum mearum originem inueniendam, conatus verò diligens est adhibendus, vt horum hostium conatus & gressus, qui tantum mihi detrimentum adferunt, intercipiam.

h Psal. 10. 5.

III. HINC verò ad occultiorem alium sensum illius interrogationis perpendendũ progrediar: *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet Zizania?* Quasi à Christo Domino quæreretur. Cur, Domine, si huius mundi cãpus tuus est, quia tu eum tua omnipotentia condidisti: & postea etiã proprio sanguine redemisti; in eoque adeo bonas, præstantesq; semẽtes seminasti, permittis inimico tuo tanta in eodem zizania superseminare? Nisi enim tu id illi permitteres, nisi ad id faciendum illi faceres potestatem; nunquam is adeo temerè auderet in proprio tuo campo, optimo tuo semini, pessimũ suum cõmiscêre. Huic quæstioni in hoc sensu Christus non respondit: quia non vult nos curiosè arcana ipsius iudicia scrutari; sed vt demisso animo eadem veneremur, dicentes cum Dauide: i *Iustus*

i Psal. 118. 137.

es Do-

es Domine, & rectum iudicium tuũ. Debeo tamen certò credere, tantam esse Dei bonitatẽ, & adeo immensum eius in suos iustos amorẽ, vt, nisi ex ea permissione inimico facta, malorum Zizania inter iustos seminãdi, maiora ipsis iustis bona elicere potuisset, ac voluisset, nunquam id illi fuisset permissurus: sicut nec malum tentationũ suarum semen in nobis seminare eidẽ permitteret; nisi easdẽ voluisset in maius nostrum bonũ & vtilitatem conuertere. & quamuis ego in particulari nõ possim omnia illa commoda obtinere; possum tamen ea in genere cognoscere, credens, Deum permittere improbos, ad bonos in patientia, & humilitate exercendos; & vt illi in omni perfectione excellant; & vt magis appareat gratiæ ipsius efficacitas in vasis misericordiæ ipsius: & boni magis honorificentur, dum inter tot infideles suã ipsi fidelitatem strenuè tuentur; & vt hominũ libertati consulat, dum singulis liberũ relinquit facere quod velint, sufficienti interim auxilio eis oblato ad resistendum malo, & sequendum bonũ. O seminator iustissime, qui summâ tuâ bonitate in Ecclesia tua zizania tot iniquorum permittis, & in anima mea tot tentationum sementem; fac, quæso, ne in meum cedat detrimentum, quod tu permittis ob meum maius bonum! Ostende in me tuæ misericordiæ magnitudinem, magnam bonorum copiam ex tanta malorum segete educens, vt propterea glorificeris in secula, Amen.

PVNCTVM III.

a *Matt.13. 29.*

SERVI *autem* a *dixerunt ei: vis imus & colligimus ea? Et ait, Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.*

I. IN secunda hac seruorum interrogatione cõsiderare licet iustorum zelum, cùm tot mala in mundo cernunt inundare. Qui zelus in aliquibus ex aliqua quatuor causarum nimius esse potest. *Prima,* quia feruore suo cuperent omnia simul zizania, & tractu vno euellere: & auferre ex mundo, aut ex Ecclesia, aut ex Religiosa congregatione omnes malos; & à seipso omnia vitia & passiones simul: quod tamen ex ordinaria lege est impossibile. *Secunda* causa est, quod velint zizania ante tempus & intempestiuè colligere. Ex quo maius sequitur incommodum: nam fortè qui hodie est zizania, cras conuertetur in triticum; & si malus cum patientia & spe longa toleretur, tandem blandè correctus, conuertitur & fit bonus. & qui nimium festinat ad perfectionem consequendam, destruit sæpè sanitatem, & amittit quod fuerat assecutus. *Tertia* causa est, quæ in ipsa Parabola insinuatur: quia volunt zizania colligere, cum periculo simul tritici euellendi. quod euenit volentibus improbos castigare cum bonorum damno, ob scandala, bella, & turbationes publicas, quæ inde oriuntur. Quod quidẽ perinde esse videtur, atq; aliqua zizania colligere quidem; sed

alia

alia interim magis noxia seminare. *Quarta* denique causa est, quòd iracundiæ & vltionis spiritu zizania euellere velint, indignatione potiùs quàm cõpassione ducti: sicut Ioanni & Iacobo Apostolis euenit, qui cũ b *Samaritani Christũ non recepissent, ignẽ de cælo descendere volebant, qui illos consumeret*: ob quam causam ab ipso Christo reprehensi fuerunt. b *Luc. 9. 53.*

DEINDE infinitam Christi charitatem II.
considerabo, quæ in ea responsione resplendet, quam nomine huius patris familias seruis dedit. Etiamsi enim seueriſſimum se aduersus Angelos in cœlo ostenderit, & eodem momento, quo Lucifer zizania ibi seminauit, eundem simul cum seminatis ab eo zizanijs euulserit, & in æternum ignem præcipitauerit: cum hominibus tamẽ ea seueritate vti noluit; sed lõgo illos tempore tollerare, & pœnitẽdi spacium eis concedere: desiderans huiusmodi zizania in triticum potiùs conuertere, quàm euellere. Dei enim voluntas non est perdere animas; sed eas saluare. & licet velit peccata destruere, non vellet tamen ipsos peccatores. O dulcissime Saluator, gratias tibi ago, quòd eorũ vicem doleas, qui sunt zizania; eius ratione ducens, quòd manuum tuarum sint opus quoad naturam; licèt inimicus fecerit suos propter culpam. Destrue Deus in eis quod hostis fecit; vt repares quod tu fecisti: vt reipsa semẽ tuum effecti & triticum bonum, ad cœlestia tua horrea congregentur. Amen.

RESPLENDET quoq; infinita Dei misericordia III.

in eo, quòd ob amorem, quem habet ad triticum, velit tolerare zizania; malos videlicet propter bonos: vt ostendit ipse, cùm Abrahamo dixit: se c *non deleturū ciuitatē Sodomorū, si decem in ea iustos inueniret*, quanuis ciues illi innumeris essent peccatis irretiti. & cum eosdem voluit pro meritis castigare, priùs Loth inde eduxit, priùs rationem habens saluandi tritici, quàm zizania comburendi. Quod ipsum magnam bonis adfert consolationem: quia ex eo illis oriri potest hæc animi tranquillitas, & securitas: quòd non accedet ad eos malum propterea quòd maneant inter malos; sed ipse eripiet eos. Denique aduertam, Deum Dominum nostrum non prohibere euelli zizania, quando id absque tritici periculo, & potiùs cum eius commodo fieri potest. Sicut reipsa nunc Ecclesia peccatores quosdam castigat, vt aliis ea pœna sit exemplum, ne zizania vires & incrementa sumat, & bonis tranquillè viuere liceat. Sed vult tamen Deus euitari quatuor illos nimios excessus zeli supra notatos. & in hoc sensu prohibuit seruis, facere quod volebant.

c *Gen.18.33*

PVNCTVM IV.

CONCLVDENS Paterfamilias suam responsionem: a *Sinite, ait, vtraq; crescere vsq; ad messem, & in tēpore messis dicam messoribus: Colligite primū zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.*

a *Mat.13.30*

CON-

CONSIDERANDVM hic primùm, quod Christus in hac parabola certos nos reddit, ad finem vsque mundi (quod tempus erit messis) semper triticũ futurum simul cũ zizanijs, bonos videlicet cum malis cõmixtos: quia nunquam diuina prouidentia intermittet bonam sementem in Ecclesia sua, & in Religiosis Congregationibus seminare, crepet licet dæmon, zizania etiam superseminando. Nec animum abijcere nos decet, quanuis plurimos videamus improbos: nam vbi existimamus paucos esse bonos, quia illos non nouimus; sunt plurimi noti Deo, de quibus se ipse iactat apud Heliam, qui se solum Deo fidelem relictum affirmanti, respondit: b *Reliqui mihi septem millia virorum in Israel, quorum genua non sunt incuruata ante Baal.* I.

b 3. Re. 19. 18 Rom. 11. 4.

DEINDE attendendum, toto tempore ante messem, triticum & zizania multiplicari, & crescere. tam enim optimi, quam improbissimi tempore vitæ suæ crescunt, illi in sanctitate, hi in improbitate, iuxta illud Christi in Apocalypsi: c *Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est sordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc: Ecce venio cito. & merces mea mecum est, reddere vnicuiq; secundum opera sua.* Sed hoc interest hic: quòd triticum crescere, & quotidie à bono in melius proficere, id est ex directa Christi voluntate; ad quod etiam auxilium suum particulare præbet: Zizania autem crescere, & à malo in peius ruere vsque II.

c Apo. 22. 41

ad ipsam messem; id ex permissione proue-nit, non ex directa voluntate. Messis autem ipsius duplex est tempus, vnum messis vni-uersalis in fine mundi; alterum particularis in fine vitæ vniuscuiusque, cùm eius boni ma-live augmentum peruenit ad terminum à di-uinæ prouidentiæ ordinatione aut permis-sione præscriptum. & tunc, qui lolium esse deprehendetur, eradicabitur ex hac vita & ad ignis æterni incendia comburendum mit-tetur; qui verò triticum purum nitidumque esse inuenietur; is [illegible]ectur, & in horrea cœ-lestia recipietur.

III.

d *Mat. 13. 41.*

ACCEDENTE autem vniuersalis messis tempore, d *mittet* Christus Dominus *Angelos suos*, qui ipsius sunt messores, & diuinæ iusti-tiæ ministri: *qui colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem; & mittent eos in caminum ignis*: tam videlicet eos, qui deprauatis suis moribus & peruersa doctrina alijs fuerunt scandalo, & occasioni peccandi; quàm qui sibi ipsis tantùm iniqui fuerunt. Omnesq; eos ita in diuersos fascicu-los distributos ligabunt, vt in vnũ colligent eos, qui similes aut cõplices in culpa fuerunt; vt sintquoque simul in pęna: itaq; ligati in æ-ternas mittentur flãmas; quas effugere nunquã possint. Et vt fasciculi se mutuò iuuant ad comburendum; ita infelices illi erunt sibi in-uicem cruciatus & tormentum: *eritq; ibi fletus & stridor dentium.* rabie incredibili vo-ciferãtium in seipsos, & in eos, qui tanti dãni

causam

causam illis dederunt. O anima mea quomodo non contremiscis de tremendo hoc iudicio cogitans! Quis potestati adeò robustorum messorum resistere poterit! Quis se poterit à vinculis adeò fortibus expedire! Quis poterit habitare cum ardoribus sempiternis! & abominandis socijs conuiuere! Quis adeò amarum fletum poterit sustinere, & rabidum illum dentium stridorem pati! O zizania infelicissima, quæ vt dissensiones inter bonos in terra seminatis; ita in inferno easdem feretis æternas cum ipsis impijs pœnas. Libera me Deus ab hisce culpis, ne in tremendas adeò incidam pœnas.

IPSI denique Angeli triticum congregabunt in horreum cœlorum: boni enim à zizanijs separati in cœlestibus sedibus collocabuntur. & e *tunc fulgebunt iusti sicut sol in Regno Patris eorum.* O Pater amantissime, gratias tibi ago pro fauore, quo iustos te prosequi ostendis, f *suscitans de puluere egenos, vt eos colloces cum Principibus in Regno tuo*, & vt solem in firmamento. Nam qui in tuo seruitio excelluerunt, lucentes sicut sol, bonis editis operibus; excellent quoque in tui fruitione, lucentes sicut sol in præmium eorum. Hic splenduerunt sicut sol iustitiæ Iesus Christus filius tuus, eius vitæ imitatione; & ibi splendebunt sicut ipsemet sol, imitantes etiam eius gloriam in secula. Amen.

IV.

e *Mat. 13. 43*

f *Psal. 112. 8*

MEDI-

MEDITATIO XLVI.

DE PARABOLA GRANI Sinapis.

a Mat. 13. 31

SIMILE *est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminat in agro suo, quod minimum quidem est omnibus seminibus: cùm autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor ita, vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.*

PVNCTVM I.

I. PERPENDENDVM primùm, quid granum hoc sinapis significet; ad tria præcipua capita eius significata reuocando. Primùm enim significat, aut refert nobis ipsum Christum Dominum, supremum regni cœlorum Regem. Vt enim Sinapis granum externâ formâ est minimum inter omnia semina, ipso aspectu vile, sine ferè colore, & odore grato, magnum tamen est in virtute inflammata, quam habet, quæ proditur, cùm teritur & comeditur: ita Christus Dominus noster, qua homo in externa specie paruus fuit & humilis, & hominum minimus, adeò vt per os Dauidis de se dixerit; a *Ego sum vermis & non homo; opprobrium hominum & abiectio plebis.*

a Psal. 21. 7

At interius quoad animam, ac multò magis quoad diuinitatem fuit infinitæ virtutis & efficacitatis: intra se enim continebat omnes thesauros sapientiæ, bonitatis, & charitatis Dei, qua omnes ad se accedentes amore inflammabat: virtutem ita condiebat, vt eam comedere delectaret; eos à tepiditate & frigiditate purificabat, & peccatorum venenum ab eis remouebat, dissoluens infernalis serpentis opera: & vniuersim ea officia præstabat, quæ minimum hoc sed efficax tamen sinapis semen repræsentat. Sed tunc maximè suam virtutem ostendit, quando tot cruciatibus fuit in cruce contritus: & nunc etiam eandem ostendit, cùm à pijs ac deuotis in sanctissimo altaris sacramento comeditur: vbi verè granum sinapis appellari potest: quia in exteriori forma est minimus; quandoquidem in qualibet hostiæ sacræ particula, etiam minori quam sit granum sinapis, totus est Christus; sed internè tamen immensam habet virtutem, ad animas, illum comedentes, amoris igne inflammandas: estque instar condimenti suauissimi, quo omnes huius vitæ asperitates dulcescunt. O verbum diuinum, Fili æterni Patris, gratias tibi quantas possum maximas, quod eousque te demiseris, vt abiecto alioqui sinapis grano potueris comparari; adeoque hac paruitate delecteris, vt vsque ad finem mundi in hoc Sacramento velis in ea perseuerare. Concede mihi, Domine, vt vsque ad finem vitæ meæ imiter te, meipsum propter

Sacra Eucharistia est sicut granum sinapis.

propter te humiliando, ſicut te humiliaſti propter me. Amen.

II. Ex his fit, vt hoc ſinapis granum referat etiam omnes iuſtos, cœleſtis regni ciues, & Chriſti diſcipulos, qui ad eius imitationem externè quidem parui ſunt, & in oculis hominum deſpecti; ſed internè magnæ ſunt virtutis & efficacitatis, ob charitatis magnitudinem, & ſpiritus feruorem, quem eò magis manifeſtant, quò maiores ſuſtinent perſecutiones & moleſtias, exemplo ſui capitanei. Ac propterea de ſeipſa loquens Eccleſia, b *Nigra, inquit, ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.*

b *Cant. 1. 5.*

III. Ex ijſdem quoque efficitur, vt granum hoc ſinapis virtutes illas exprimat, quibus regnum cœlorum obtinetur: nam & illæ in ſpecie ſunt paruæ, ſed valore efficaciſſimæ. Fides enim diuinorum myſteriorum, quæ in Scriptura ſacra reuelantur, externè videtur res parua, & contemptibilis: eſt tamen immenſæ virtutis pro ijs, qui illa in meditatione conterunt & comminuunt: in qua meditatione ignis amoris accenditur. Sicut ait Apoſtolus c *Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam eſſe; ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis Chriſtum eſſe Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Eandem conſiderationem adhibere licet circa humilitatem & obedientiam, & octo illas virtutes, quas qui poſſident, ipſe

c *1 Cor. 1. 23.*

Chri-

Christus d *beatos* appellauit: quæ omninò in specie viles sunt, & mundus eas pro infortunijs habet; sed in rei veritate & internè adeò sunt pretiosæ, vt in eis beatitudinem veram, & regni cœlestis possessionem Christus constituerit. O Deus omnipotens, qui vt omnipotentiam tuam manifestes, e *quæ stulta sunt mundi, eligis vt confundas sapientes: & infirma mundi eligis, vt confundas fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia eligis & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destruas*; & qui paruis & vilibus instrumentis maxima operaris, *vt non glorietur omnis caro in conspectu tuo* in se, sed in te: Concede mihi, vt ex corde amem & amplectar res illas paruas, quas tu elegisti; vt efficiar dignus, qui magnas, quas in paruis illis inclusisti, obtineam: Sim itaque ego, Saluator mi, sinapis granum, contemptu & cruciatibus contritus vt tu: vt æternam possim requiem obtinere. Amen.

d *Mat.5.3. &c.*

1. *Cor.1.27*

PVNCTVM II.

DEINDE considerandum, quomodo sinapis granum crescat, vt fiat magna arbor; & in quo eius hæc magnitudo consistat; ratiocinando circa tria illa quæ granum hoc repræsentat.

PRIMVM, sicut granum sinapis necesse est vt seminetur in terra, ibique moriatur, & mittat radices; & tunc crescit, & extendit ramos I.

ramos tuos, & fit arbor: ita magna; vt cùm priùs omnium seminum fuerit minimum, ea proportione crescat, vt sit omnium olerum maximum; & cùm esset vnicum & solum, innumerabilia alia sibi in omnibus suis proprietatibus similia proferat: ita Christus Dominus noster, cùm se humiliasset, factus pro nobis homo, voluit instar grani sinapis, (& vt ipse alibi dixit, a *sicut granum frumenti*) in terra seminari, & in ea mori: Quia tota vita ipsius magnis mortificationibus fuit semper coniuncta, & postea in horto graues tristitias sustinuit, & in campo horrendis cruciatibus fuit occisus, & in alio horto sepultus, & sub terra collocatus, & hoc modo radices iecit vsque ad Lymbum; ex quo deduxit animas sanctorum Patrum, & glorioſus ad nouam vitam resurrexit: creuitque & ascendit ad tantum honorem & altitudinem, vt qui paulò ante iudicatus fuerat omnium hominum minimus, eò perueniret; vt tanquam caput, & supremus hominum & Angelorum Dominus adoraretur: & b *in nomine Iesu quod est super omne nomen omne genu flecteretur*, vt etiam impleretur illud Prophetæ c *in die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria & fructus terræ sublimis*: quia genuit innumeros spirituales filios, in virtute & sanctitate sibi ipsi similes. O Redemptor dulcissime, vehementer gaudeo de ista tua magnificentia, quam, in præmium abiectionis pro me susceptæ, obtinuisti. Felix tua d *mors*, quæ nisi

a *Ioh. 12. 24*

b *Phil 2. 10.*

c *Isai. 4. 2.*

d *Ioh 12. 24*

fuisset,

fuisset, *solus*, vt tu dixisti, *mansisses*; sed quia illam sustinuisti: adeò copiosum *fructum attulisti* vt terram impleat, & cœlum augeat. Et quandoquidem ignominiosa tua morte e *exaltatus à terra, omnia ad te ipsum traxisti*, trahe etiam me quæso vt per omnia tibi similis efficiar. Amen. e Ioh. 12. 32

II.

DEINDE considerabo, omnes Christi discipulos, qui & ipsi grana sinapis fuerunt, eâdem viâ ad imitationem eius creuisse, & factos fuisse arbores magnas, iuxta illud, quod prædixit de illis Christus Iudæis loquens. f *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes, & scribas; & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem*. Et de ipsis Apostolis dicit ipse Apostolus: g *semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes*: & idem Apostolus eisdem applicat illud Psalmi: h *quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis*. & tandem eo crescentes deuenerunt, vt fierent principes Ecclesiæ, & fidem per totum orbem propagantes, innumerabiles Christo animas lucrarentur: vt omnes propterea Patriarchas & Prophetas omnesque iustos veteris testamenti, altitudine excelluerint. Eodem modo creuerunt Martyres & Confessores: & ego ipse crescam; certò mihi persuadens, quamuis sim granum sinapis in Ecclesiæ terra & in concluso sacræ religionis horto seminatum, f Mat. 23. 34

g 2. Cor. 4. 10.

h Ps 43. 22 Rom. 8. 36.

nisi me tamen mortificem, & mundo moriar, non crescîturum me in virtutibus & meritis; sed remansurum solum absque fructu bonorum operum, & lucro animarum: immò, quod deterius est etiã in ipsa oratione remansurum solum sine comite Deo, qui nihil delectatur agere cum immortificatis: si tamen verè mundo moriar, in his omnibus crescîturum.

III. HINC fit, vt hac eadem via ipsæ virtutes crescant, adeoque altè ramos suos extendant, vt pertingant ad cœlum. Fides enim peruenit ad visionem Dei per contemplationem: quia suam conuersationem habet in cœlis: Spes peruenit ad delibandam premiorum cœlestium dulcedinem: Charitas ad perfectam cum Deo vnitionem crescit: Obedientia eousque progreditur, vt voluntatem Dei exsequatur in terra, sicut exsequuntur qui sunt in cœlo: & si i *fiducia tanta est sicut granum sinapis, potens esset mentes ex vno loco in alterum transferre*, & k *arbores eradicare & transplantare in mare*, vt suprà est declaratum.

i *Mat.17.20*
k *Luc. 17.6.*

PVNCTVM III.

TERTIÒ considerandum est, qua ratione a *granum sinapis ita fiat arbor, vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius*, & b *sub eius vmbra requiescant.*

a *Mat.13.32*
a *Mar.4.32*
b *Luc.13.19.*

IN

I.

In quo est primùm perpendendum, Christum Dominũ multos ex se ramos produxisse, doctrinam videlicet Euangelij, quod prædicauit; legem perfectionis cum omnibus consiliis, quæ proposuit: sacramenta & sacrificia, quæ instituit; admiranda etiam exempla vitæ, quæ præbuit; miracula & insignia opera, quæ præstitit, cum cæteris gloriosæ vitæ suæ mysteriis, donec ad eam altitudinem ascendit, quam habet in cœlis. Ad hos ramos accedunt aues cœli, non aquilæ aut aliæ valde magnæ aues, quæ sunt figura superborum; sed aues exiguæ, animæ scilicet iustæ & humiles, illæ præcipuè quæ omnia terrena abiicientes, cupiunt per contemplationem in cœlis conuersari, ad quarum imitationem, sedebo ego magna quiete sub horum ramorum vmbra, considerans fructuum eorum dulcedinem; & gaudens de protectione & tutela, quæ mihi ex eis accedit, dicens cum sponsa: c *sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi; & fructus eius dulcis gutturi meo*. Construam quoque mihi nidum & habitationem in hisce ramis, in his mysteriis videlicet meditando, nunc in mysterio Præsepij, nunc volando ad arborem crucis, nunc ad ipsum cœlum Empyreum, vbi totam meam fiduciam & amorem in Christo ponam: ibi cantica laudum & gratiarum actionis cantabo, ibi in noctibus tribulationum quiescam, & cibo animæ, quem inuenero, me sustentabo. Quis mihi det

c *Cant. 2. 3.*

alas auis, vt volem ad diuinam hanc arborem! O altissima & suprema arbor, etiamsi ascendas altissimè, possum tamen ad te peruenire, volando alis contemplationis, quas tu mihi dederis! leua me, Domine, supra me ipsum, & supra omne quod creatum est; vt in te creatore meo, per infinita secula requiescam. Amen.

EADEM ratione considerare licet, quòd Apostoli & sancti plurimos ramos produxerint, & per orbem vniuersum extenderint: doctrinam videlicet, quam prædicarunt; libros, quos conscripserunt; heroicas virtutes, quas exercuerunt: in quorum meditatione exercentur etiam spirituales animæ, seipsas excitando ad eorum imitationem: vt, sicut illi creuerunt, & ipsæ crescant. Nominatim verò religiosi considerare possunt, suum fundatorem, & religionem ipsam, sicut granum esse sinapis; paruum in humilitate, vnde aliqui vocantur *Minores*, alij *Minimi*; & religionem nostram fundator eius appellauit *minimam Societatem Iesu*: sed vnaquæque tamen est magna in virtute; creuitque sicut arbor, extendens ramos suos per totum mundum, in varias domos & conuentus; & excellentibus sanctitatis exercitijs, bono animarum valdè vtilibus: quæ sicut aues cœli ab Spiritu sancto motæ, ad hosce ramos aduolant; in quibus suos nidos & mansiones perpetuas construentes, viuunt sub vmbra illorum; meditantes &

Religionē esse granū sinapis.

tes & contemplantes vitas suorum Fundatorum; eosque imitantes, sicut illi Christum fuerunt imitati; eorum regulas legesque seruantes; Deumque canticis & musicis tam vocum quam affectuum laudantes, ob continuata beneficia, quibus illos afficit. Simul etiam conantur volare per omnium virtutum ramos, in quarum altissimis gradibus nidos suos collocant, vt ad culmen perfectionis, quam sunt professi, perueniant.

O sapientia diuina, c *cuius fructus sunt honoris & honestatis*, qui nos DEO gratiosos faciunt, Angelis amabiles, hominibus honoratos, & in toto mundo venerabiles: admitte me sub eius vmbra, eius floribus me conforta, folijs sana, fructibus sustenta, & perpetuam in eius culmine habitationem mihi concede; vt semper crescens in virtute, ad culmen perueniam gloriæ, in qua per infinita secula requiescam. Amen.

c *Eccl. 24. 23.*

MEDITATIO XLVII.

DE PARABOLA NEGOtiatoris quærentis bonas Margaritas.

PVNCTVM I.

a *Mat.13.45*

SIMILE *est* a *regnum cælorum homini Negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa margarita, abijt & vēdidit omnia quæ habuit, & emit eam.*

I. PRIMVM est considerandum officiū & studium omnium hominum esse, bonas quærere margaritas: oēs enim, quod bonum & pretiosum est, quærunt; quamuis aliter atque aliter. Alij enim gemmas quærunt bonorū temporalium, diuitias, dignitates, & alia, quæ mundus pretiosa iudicat; alij gemmas quærunt artium & scientiarum humanarum, aut solo intuitu sciendi, aut honores & lucra acquirendi; alij margaritas quærunt moralium & politicarū virtutum, vt in sua Republica & cōmunitate, vt rerum periti viuant: Officium aūt & studiū Christiani, qui regnum cęlorū assequi desiderat, est, quęrere gemmas veritatū, & virtutum cœlestiū, ac diuinarum: quæ reipsa, & pleno vt dicitur ore, bonæ sunt & pretiosæ; quæ ipsum habentem, faciunt bonum & pretiosum

in ocu-

in oculis Dei. Et quoniam huiusmodi margaritæ seu gemmæ dicuntur Vniones, quia vna quæq; est in propriis excellentijs vnica, & inter alias singularis; ita vnaquæque virtus est vnica & singularis in aliqua excellentia: quãuis hæc varietas non obstet, quò minùs omnes perfecta vnione coniungantur ad eum ditandum, qui illas inuenit, & eundem cum suo creatore coniungendum. *Ex Plinio lib. 9. c. 35.*

HINC colligam, studium & negotiationem meam præcipuam eam esse debere, vt veras margaritas seu vniones quæram, mihi persuadens, quandoquidem mercator sum & negotiator, non debere me vilibus mercibus & abiectis, & ex quibus exiguum lucrum sperem, occupari; & multò minùs si & fortunas & operam in eis perdam. Nec studium meum principale esse debet, margaritas quærere bonorum temporaliũ; quæ nec bonũ me facient, nec sufficient vt me ad regnum cœlorum deducant: ac propterea non debeo tales pretiosas iudicare; potiùs ex toto corde contemnere & conculcare: quatenus secularis superbiæ, ambitionis, auaritiæ, & aliorum vitiorum occasionem præbent. Nec præcipuus meus scopus esse debet, quærere gemmas sciẽtiarum humanarum: quia vt ait Apostolus b *scientia inflat*: suntque curiositatis & vanitatis alimentum; possumque sine eis saluari. Nec satis mihi esse debet, gemmas quærere virtutum politicarum, quæ sæpè nihil aliud habent, quàm externam virtu- II b *1. Cor. 8. 2*

tum ſpeciem: quia in externis operibus apud homines ſplendent: aut certè ſunt gemmæ falſæ & fictitiæ, quales ſunt hypocritarum; qui probi, ſtudioſi haberi ſtudent: quibus ſi velim eſſe contentus, in hora mortis me valdè deceptum deprehendam; & credens me valdè eſſe diuitem, inueniam me pauperem & miſerabilem.

PRAECIPVE itaque quærendi mihi ſunt pretioſi vniones veritatum, quas Deus reuelauit, vt eas intelligam, & credam viuâ fide, c *ſine qua, impoßibile eſt placere Deo*. Deinde quærendæ mihi ſunt virtutes ſupernaturales, gratia, charitas, obedientia, patientia, humilitas, oratio, & ſimiles: quibus fiam bonus & ſanctus; & regnum cœlorum ingrediar: Reliqua illa temporalia bona aut ſcientias ſecundo loco quærere licet, quatenus iuuare me poſſunt ad veros & pretioſos vniones quærendos.

c *Heb. 11. 6*

III. SVPER omnia tamen ſtudium & negotiatio mea eſſe debet, Ieſum Chriſtum verum Deum & hominem quærere, qui orientalis eſt margarita pretioſiſſima; quæ roris inſtar de cœlo deſcendens in beatiſſimæ Virginis vtero, virtute Spiritus ſancti factus eſt homo, ad honorem & ornatum hominum. hæc eſt margarita eminenter bona, à qua vniuerſa bonitas promanat: quam procurare debeo poſſidere, & mecum ſemper retinere, & theſauris eius gratiarum & virtutum ita ditari, vt vnus ſim ex illis, de quibus Dauid

d *hæc*

d *hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob.* O mundi Saluator verus margaritarum negotiator, quatenus è cœlo ad quærendas animas descendisti, margarita verè pretiosissima, quam negotiatores omnes, vt ditemur, quærere debemus: siquidē venisti in terram, vt bonas & pretiosas margaritas veritatum & virtutum cœlestium nobis indicares; ostende mihi illas, vt quæram, non specie tantùm externa, sed in veritate: non, vt per illas honorem meum, voluptatem, aut lucrum quæram; sed tibi placere, teque per infinita secula possidere. Amen. d *Psal. 23.6.*

PVNCTVM II.

CONSIDERANDVM deinde, qua ratione quærendæ sint hæ margaritæ: siquidem vult Christus, vt illas quæramus, & nos in hac negotiatione occupemus.

PRIMVM quæruntur pretiosæ margaritæ oratione; qua petimus à Deo, vt illas nobis ostendat; idque incessanter, & importunè: siquidem ipse iussit: a *petite, & dabitur vobis; quærite & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis.* I. a *Matt. 7.7*

DEINDE quæruntur Meditatione intellectus; diuina illustratione eum præueniente & adiuuante; fodiendo adeo altè circa veritates & mysteria fidei, & circa virtutum excellentiam; donec veram earum intelligentiam, & æstimationem assequamur. II.

TERTIÒ quæruntur desideriis & affectibus

voluntatis, quæ, diuina inſpiratione præuenta, ſuſpirat, vt has margaritas poſſit obtinere; applicatque proprij arbitrij libertatem, vt eis mediis illas quærat, per quæ Deus quæri illas voluit: qualia ſunt opera pœnitentiæ, lectio piorũ librorum, frequentia Sacramentorum, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ præcipuè, quæ inſtar eſt conchæ, intra quam pretioſiſſima margarita Chriſtus Dominus noſter continetur; vt reliquarum virtutũ gemmas nobis communicet. Et hoc eſt vere negotiatores nos eſſe; &, vt Apoſtolus loquitur, b *negotium noſtrum agere.* Quodſi huius mundi negotiatores adeo ſunt cupidi & in gemmis terrænis quærendis ſoliciti, vt plurimis ſe periculis eas inueniendi gratiâ exponant: quantò magis rationi eſt conſonum, me eſſe ſolicitum, vt has cœleſtes margaritas quæram, eas petens oratonibus, quærens meditationibus, affectibus & deſideriis ſuſpirans, Deoque obediens, in mediis illis adhibendis, quæ ipſe ſtatuit, vt inuenirentur? O mundi Saluator, fac me negotiatorem diligentem & cupidum, vt diuinæ ſapientiæ margaritam c *quaſi pecuniam quæram, & ſicut theſauros effodiam* ſiquidem hac ratione quærẽti promittis, me *eam inuenturum.*

b 1. *Theſal.* 4. 11.

c *Prou.* 2. 4.

PVNCTVM III.

a *Matt.* 13. 46.

I. NEGOTIATOR, a *inuenta vna pretioſa margarita, vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* PERPENDENDVM primò: hanc margaritã appellari *vnam* & *pretioſam:*

quia

quia Christus Dominus noster est vnus, verus Deus & homo; & quamuis virtutes sint plurimæ, omnes tamen ita vnitæ sunt, & cohærent, atque si vna essent, coniunctæ b *charitate, quæ*, vt ait Apostolus, *vinculum est perfectionis*: & illa est, quæ hominem cum Deo & cum Christo, & cum proximis omnibus coniungit, & vnum cum illis facit, atq; si c *cor illorum esset vnum & anima vna*. Et sicut inter cōchas maris, in quibus margaritæ continentur, vna est quasi dux, quam cæteræ sequuntur; & qua capta, facilè reliquæ capiuntur: ita quia charitas dux est omnium virtutū, qui illam obtinuerit, reliquas obtinuerit: vt enim Apost. ait d *charitas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*, & in omnibus obedit.

b *Coll.3.14.*

c *Act.4.32.*

d *1.Cor.13.7*

DEINDE pretiosam hanc gemmam inuenire, est luce fidei ad eam penetrare, eius excellentiam & pulchritudinem videre, eius dulcedine & suauitate frui: quæ tanta est, vt mox eam inuenientis cor ita ad se rapiat, vt absque mora, & sponte, quæcunque habet, vendat; &, quęcunque impedimento illi esse possunt, abijciat; vt integrè illam possidere possit: immò omnē amorem & affectus rerū terrænarū, quę illi cōparandæ, & intra se possidendæ contrariæ sunt, exuat ac deponat: imò hoc totū, quod pro illa obtinenda à se abiicit, parum esse indicat, iuxta illud e *si dederit homo omnē substātiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*. O charitas pretiosissima, ô amoris vnio excellentissime, ô Deus amabilissime,

II.

e *Cant.8.7.*

qui

qui & vocaris charitas, & margarita es infiniti valoris, ita vnus in essentia, vt quamuis trinus sis in personis, adeo sis vnitatis amator, vt omnes qui ad te accedunt, tibique iunguntur, f *vnum* facias eos *spiritū tecum!* ostende mihi margaritam hanc *vnam* & *pretiosam*; fac me affici erga illam, & eam reuera possidere: ecce pro illa offero quidquid habeo, & si plus haberem, plus etiam pro illa offerrem: quia eius valoris comparatione, quidquid habeo est parum. Dona mihi ergo illam gratis, vt ego etiam tibi non propter mercedem, sed gratis & ex puro amore deseruiam.

f 1. *Cor.* 6. 17.

III. IVXTA hæc prædicta meipsum ingrediens, diligenter interiùs examinabo, *primùm*, num quęram fictitias & in specie tantùm apparentes margaritas? deflebo autem, si quid temporis in hoc consumpsi hactenus, aut etiamnum consumo. *Deinde*, num veras margaritas quidem, sed adeo negligenter & oscitanter quæram, vt eas non inueniam, propterea quod apta ad id media non adhibeam? *Tertiò*, num decreuerim omninò pretium dignum pro illis dare, hoc est renuntiare omnibus, quæ possideo, saltem affectu? & exquiram, num in corde meo aliquid amoris proprij & terrenarum affectionū resideat? & statuam viriliter, quidquid tale est mortificare, & ex anima mea extirpare: quia cupiditatis iminutio est augmentum charitatis.

PVNC-

PVNCTVM IV.

QVARTÒ considerabo, hanc margaritam *vnam* & *pretiosam* esse etiam Euangelicam perfectionem, quam religiosi profitentur, ad imitationem Christi Domini nostri; quæ eminenterdicitur *vna*, quia eminenter complectitur executionem duorum præceptorum charitatis, a *diligere* scilicet *Deum ex toto corde, & in tota anima & ex omnibus viribus* & alterũ, quod Christus *huic simile* appellat *diligere proximum tuum sicut teipsum*, aut b *sicut ipse* Christus *dilexit nos*. Et vt apud homines duæ perlæ sibi similes, magni sunt pretij, & pro inauribus solent appendi; ita duæ istæ margaritæ dilectionis Dei, & proximi propter Deum, quæ sibi sunt similes, & admirandas faciunt cõiunctiones, pretiosissimæ sunt, & plurimi eas Deus & Angeli faciunt; & in religiosis congregationibus excellenter exercentur, eisque tanquam inauribus ornantur aures animæ, quæ sunt Fides & obedientia; concurrentibus omnibus religiosis in vnum, ad omnia exercitia religionis, non ex necessitate aut c *coacti, sed spontaneè & voluntariè* ex charitate, quod adeo cœlesti sponso arridet, vt dixerit: d *vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*: in vnione videlicet iustorum tuorum: nam sicut vterque hominis oculus sunt sibi similes, & simul faciunt suas operationes, & quo vnus tendit alter sequitur;

a *Matt.22. 37.*

b *Ioan.13. 34. & 15.12.*

c *1. Pet. 5.2.*

d *Can.4. 9.*

Ex D. *Gregor. ibid.*

tur; ita religiosi sunt sibi similes in moribus, & simul ad actiones religiosas concurrunt. Deniq; tanta est huius gemmę pretiositas & valor, vt cui Deus sua illustratione illam reuelat, mox ille magnâ suâ voluptate vendat omnia sua, deserat mundũ, exeat ex terra sua, & affectum omnẽ ad res suas exuens, oẽs tradat pro hac gemma, & statũ adeat religionis.

In eius vita.

Et, vt dixit S. Laurentius Iustinianus, studio Deus huius margaritæ valorem non omnibus aperit: quia si illam viderent, oẽs illam vellẽt sibi comparare; & sic nõ esset, qui vellet in seculo remanere. O Deus æterne, qui dixisti: e *inuenerunt me qui nõ quæsiuerunt*, quia tuis inspirationibus eos prævenis, vt te inueniant; ostende mihi valorem harum gemmarum, vt ita eas quæram, vt etiã inueniam. Ne permittas, vt vulnerem cor tuũ plagâ doloris, ob dissensionem cum fratribus meis; sed plagâ amoris, ob vnitionem & cõiunctionem cum illis. Aperi etiam pretium & valorem vitę religiosæ illis, qui ad illam sunt apti; vt cum voluptate illam sibi comparent; multoq; amplius eandem illis manifesta, qui iam illam comparârũt, & in ea viuunt; & gaudio exultent, quòd eam compararint; & finem illum assequantur, propter quem illam adierunt, Amen.

e *Isai. 65. 1.*

Ratio & modus, quo Christus Dominus noster pretiosas animarum margaritas quærit, in proxima Meditatione ponetur.

MEDI-

MEDITATIO XLVIII.

DE PASTORE QVI PERditam ouem quæsiuit.

MVRMVRANTIBVS Phariseis de Christo, ac dicentibus: a *quia hic peccatores recipit* ait ad illos Parabolã istam: *Quis ex vobis homo qui habet centum oues: & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam?* a *Luc.15.3.*

PVNCTVM I.

CIRCA hanc primam Parabolæ partem considerandum est. Quis hic sit Pastor, quę istę oues, quæ illa quę perit, & quo pacto Pastor illam quærat, & inueniat.

PRIMVM, hic homo est IESVS Christus Dominus noster, qui de cœlo descendit, vt esset b *Pastor* hominum, qui admirabili prouidentia magnaque vigilantia oues suas gubernat, *& cognoscit eas*; signoque gratiæ & charitatis suæ eas signat, & *ante eas vadit*, dans illis exemplũ vitæ sãctæ, curat illas ab scabie peccatorũ, defendit ab inferni lupis, dat illis selecta doctrinæ & Sacramentorũ pascua, tãtusque ei' est in eas amor, vt se ipsum illis det in cibũ ita, vt pascat eas proprio suo corpore & sanguine, quãuis panis & vini specieb' velato: I. b *Ioan.10.14*

ac de-

ac deniq; propriam *vitam suam posuit pro ouibus suis*. O bone Pastor, & quidem eminenter bone, felices oues, quæ sub tua sunt gubernatione, tuâ prouidentiâ gubernatæ, & protectione defensæ: gratias tibi, quòd tale assumpseris officium; illudque tam solicitè exsequaris: mecum quęso idem præsta plenè; quia, a *si tu regis me, nihil mihi deerit.*

a *Psal.22.11* 11.

CENTVM oues in genere sunt omnes Ecclesiæ fideles; sed magis in particulari sunt iusti, centenario numero, qui perfectionis est, significati: quos Deus numeratos habet, nouitque benè qui sint eius. Hæ oues, quamdiu pastori suo subiectæ manent, optimè illum nouerunt per fidem & cõtemplationem; vocem eius audiunt, eique obediunt in omnibus, quæ ille præcipit; eius gressus sequuntur, dum virtutes eius imitantur; recipiunt pabulum doctrinæ & Sacramẽtorum ab ipso oblatum, nõ declinantes ad aliud illi cõtrarium; gaudent se diuinis pascuis ab eo pasci: Reddunt illi totam suam lanam, dum facultates suas eius seruitio offerunt; reddunt illi lac pectorum suorum, dum cordis sui affectus omnes illi offerunt, & corporis delitiis ipsius causâ renuntiant; reddunt illi fœtus & agnus suos, dum sua opera ad eius gloriam dirigunt: Et, si opus est, propriam etiam carnem & sanguinem ei dabunt, ac vitam eius amore ponent: Sicut itaque pastor se totum illis dat; ita illæ se totas pastori reddunt, singulis dicentibus,

b *Can.2.16.* b *dilectus meus mihi, & ego illi.* O Pastor su-

preme

preme, imprime cordi meo ouium tuarum signum, & accipe in tuum obsequiũ quidquid habeo: si quidem tu quidquid habes tribuis, vt mihi indulgeas.

III. TERTIÒ ouis, quæ perit, est peccator, qui ex congregatione iustorum, & ex subiectione & obedientia pastoris sui recedit, non defectu aut culpa pastoris, sed noxiâ suâ libertate: quia pastor nullam ouem contra eius voluntatem vult in grege suo retinere. Sed cur illa exit ex grege & perit? quia defecit in proprietatibus ouis fidelis: quia videlicet pastorem suum non agnoscit, nec bona, quæ in illo habet; nec æstimat quòd sub eius sit protectione, & in congregatione iustorum; Deinde graue illi est, vocem eius audire; & custodire mandata, iudicans esse dura & grauia; grauiter fert pastoris sequi vestigia, tanquam aspera, vtpotè crucis & mortificationis; Fastidit pascua doctrinæ & sacramentorum eius; delectatur verò mundi & carnis pascuis; ac denique sibi ipsi retinet lanam, lac, & fœtus suos: dum facultates, dignitates, officia, & omnia sua opera ad proprium honorem & commodum dirigit; seipsum proprio & inordinato diligens amore, & recusans aliquid horum Deo offerre. Ob has causas aut aliquas illarum separat se eius à grege, & exponit se periculo damnationis æternæ, & incidendi in dentes luporum inferni, qui rugientes circũeunt, vt lacerent illam, ac deuorent. O ouem infelicem, si pastor illam omninò desereret!

ô me miserum, qui tam diu sicut ouis errans vixerim, meas sequens appetitiones! meamque contra Dei voluntatem faciens! ô quot oues sic errant in mundo, & vt ait Prophe-
c Isaiæ 53. 6. ta c *omnes nos, quasi oues errauimus vnusquisque in viam suam declinauit:* cuius terminus est ipse infernus! ô Pastor piissime, voca tu illas sibilo tuæ inspirationis; aperi illis internos oculos, vt suum errorem priùs agnoscant, quàm remedij tempus elabatur.

IV. QVARTÒ perpendenda est infinita huius Pastoris charitas, qui, nonaginta nouem ouibus in tuto relictis, venit quærere perditam vnam; nec priùs requiescit, quàm illam inueniat. Hac de causa ex cœlo in terram descendit, vt vocaret & quæreret peccatores: & in hac exercitatione posuit tres vitæ suæ vltimos annos, grauissimos propterea tolerans labores & persecutiones, vsq; ad ipsam mortem, quam horrendis etiam cruciatibus sustinuit. Et quamuis sit verum, mortuum ipsum fuisse pro omnibus centum ouibus, nam ex virtute mortis eius prouenit hominibus, & quodcunq; bonum supernaturale illis conceditur: verùm maiori omninò solicitudine eas quærebat, quæ suo tempore erant perditæ, incessanter attendens ad varia media illas inueniendi. O supreme Pastor, quam tibi stant carè istæ oues, cum tamen nulla illarum opus habeas! etsi enim illæ perirent, quid tibi decederet? num illarũ lana te indues? aut lacte illarũ nutrieris? aut earũ diteſces fœtibus? Q

si oues

si oues omninò vis: num alias meliores in cœlo non habes, quæ obsequio tuo fidelissime assistunt? sed charitas tua Deus meus, omnium horum est causa: & cùm illarum referat sub tua esse gubernatione, dicis nihilominus, referre tua, ad tuum eas gregem reducere, dicens: *& illas oportet me adducere*. Reduc ergo illas, Domine, ad tuam obedientiam: vt sicut Pastor vnus es & perfectissimus, ita sit grex eius vnus & plenissimus. d*Ioan.10.16*

V.

MODVS denique perpendendus est, quo CHRISTVS Dominus nunc quærit perditam ouem, donec inueniat eam: nam illam quærit inspirationibus, & illustrationibus cœlestibus; pulsans internè cor eius, linguas prædicatorum mouens, vt illam quasi alloquantur, & pœnitentiam illi persuadeant; alloquitur illam medijs pijs libris, bonis exemplis propositis, aut etiam pœnis aliis illatis: mille denique media tentat, vt sine vlla requie illam quærat, donec inueniat. Et cùm ego aliquam ex his inspirationibus in anima mea sensero, cogitare me decet, CHRISTVM Dominum nostrum venire, vt me quærat: & agnitâ eius præsentiâ, merito obediam, amplectarque quidquid ipse suggesserit, vt ad gregem, à quo exieram, ab ipso deducar.

PVNCTVM II.

a *Luc.15.5.* ET *cùm a inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: & veniens domum, conuocat amicos & vicinos dicens illis: congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.*

I. *Primùm* perpendendum est, quod S. Matthæus eandem referens Parabolam, dixit: b *si contigerit, vt inueniat eam:* nam oues

b *Mat.18.13* aliquæ pereunt, quas etsi Christus quęrat, non tamen inuenit: non defectu diligentiæ ipsius, sed quòd illæ ipsum fugiant, ipsiusque inspirationibus & vocibus resistant: sic enim periit Iudas, quamuis eius Magister Christus Dominus multum in eo reuocando laborasset.

c *Psal.118. 176.* O Pastor dulcissime, c *erraui sicut ouis, quæ periit; quære seruum tuum* priùs quàm omninò pereat. Ne quæso desistas à me quærendo, etiamsi ego fugiam, & me sicut Adam abscondam; nec cesses vocare me, quantumuis resistentem, & contradicentem tibi, sicut Cain; compatere tanto periculo meo, & multiplica auxilia tua, donec me inuenias, & ad gregem reducas Electorum tuorum, cum quibus te fruar in æternum. Amen.

II. DEINDE perpendam immensam diuini huius pastoris charitatem, qui inuentã ouem non percussit baculo pastorali; nec illam per terram traxit, aut calcibus impulit, vt rediret; sed magno cum gaudio accepit eam in humeris suis, donec ad gregem suum reduceret, quasi nobis diceretur, eum valde comiter &

aman-

amanter agere cum peccatoribus, qui cõuertuntur: non enim illos trahere inuitos, & pœnis inflictis, aut baculis, sicut mancipia; sed spontanea voluntate, quã gratia sua mutauit; nec pmittit illos pedites redire, qa nec gressum vaũ in via cęlesti ipsi ex seipsis ambulare possent: Ipse illis est oculus, dando eis lumen fidei, & sapientiam cœlestẽ; est etiã illis pes, eorum gressus & affectus dirigẽdo, ne à recta via declinent, aut diuinam legem deserant; est illis & manus, in omnibus eos bonis operibus adiuuans; imponit denique eos super humeros suos, quia illos iuuat ferre cum suauitate onera huius vitæ; soluitque pro illis debita peccatorum ipsorum, dum satisfactiones suas & propria merita illis applicat. O Pastor dulcissime, quid tibi pro tot fauoribus & indulgentiis, quibus me prosequeris reddam! cur non tibi sponte & lubẽs seruiam! iugumque tuum, & onus super humeros meos tollã? siquidem tu me tollis super tuos, Iure optimo dicere potes d *iugum tuum suaue esse, & onus leue* siquidem tantum opis prębes ad ferendũ. Ego tollam Domine magno meo gaudio tui amoris intuitu; siquidem cum me ipsum tollis, etiã tollis onus quod imposuisti super me.

d *Matt.* 11. 30.

III.

PERPENDAM tertiò, quousque pastoris nostri supremi charitas progrediatur; qui non solùm exultat, dum huiusmodi oues inuenit, & peccatores conuertuntur; sed conuocat etiam & inuitat omnes Angelos cœli, & omnes iustos qui sunt in terra, & omnes habitatores

domus suæ & Ecclesiæ suæ triumphantis & militantis, vt & ipsi gaudeant, & sibi congratulentur, quòd perditam ouem inuenerit. O Pater amantissime, congratulatio hæc oui esset deferenda, cuia inter est, quòd sit inuenta? Sed vis tibi congratulari: quia ouis est tua, magnoque labore tibi constitit eam quærere & inuenire. Congratulor itaque tibi, Domine, de peccatoribus gratiâ tuâ à peccatis eductis; gaudeoque de lætitia, qua tu propterea afficeris: vtinam omnes, qui nũc sunt in mundo, conuerterentur, vt millies tibi congratularer; & exultarem de gaudio, quo afficeris de illorum conuersionibus.

PVNCTVM III.

a *Luc. 15. 7.* DICO *vobis*, a *quod ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiã agente, quã supra nonaginta nouẽ iustos, qui non indigent pœnitentiam.* Conclusio huius Parabolæ talis est, quòd sicut parens aliquis plures habens filios sanos & in prosperitate bene habentes, si illorum aliquis in grauem morbum aut aduersitatem incidisset, si ex eo periculo euadat, nouo quodã & magno actuali gaudio afficitur, diuerso ab illo, quo ex aliorum sanitate & prosperitate afficiebatur: ita ex cõuersione alicuius peccatoris afficiũtur Angeli nouo accidẽtali gaudio, diuerso ab eo, quod ex cæteris iustis habebant, qui non indigebant pœnitentia, qua ad Deum conuerterentur: quia reipsa conuersi erant.

EX

Ex hoc igitur deducere licet *Primùm*, esse voluntatem Christi Domini nostri, vt de conuersione peccatorum gaudeamus: nec solùm non murmuremus sicut Pharisæi, de eo qui contendit tales conuertere; sed vt nos idem facere studeamus, adiuuantes huiusmodi conuersionem, vt simus cooperatores Christi in quærendis ouibus perditis, & ad gregem suum reducendis: magnæ hoc felicitati nostræ tribuentes, si id reipsa præstemus. I.

Deinde deducam, si quando ego ero ouis perdita, vt operam dem ad Christi gregem redire, vel hoc nomine, vt hanc ei gaudendi materiam adferam; & angelos cœli exhilarem. Quod si Deus hoc me beneficio affecit, vt in sua gratia, constituerit, operam dabo, ne ab illa excidam. Nam vt peccatoris conuersio lætificat Angelos, contristat verò dæmones; ita iusti lapsus lætificat dæmones, &, quod in se est, contristat b *Angelos pacis, qui amare flerent* nostram perditionem, si talium lacrymarum & amaritudinum essent capaces. II.

b *Isai. 33. 7.*

O Angeli pacis, supplicate Pastori supremo, & Pastorum principi, vt sanctum suum amorem mihi concedat, in eoque conseruet: quòd si infortunio meo ab eius amore excidero, statim mihi sit præsto vt recuperem: quò mea conuersio gaudij materiam cælo adferat, egoque Deo vobiscum fuar in æternum, Amen.

MEDITATIO XLIX.

DE FILIO PRODIGO.

PVNCTVM I.

DESIDERANS Christus Dominus noster, vt omnes intelligerent, quanta ipse benignitate pœnitentes peccatores reciperet, hãc proposuit Parabolam: a *Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri, pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam: & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.*

a *Luc. 15. 11.*

I. CONSIDERANDVM primò, quod Dominus Deus noster, huius parabolæ parente expressus, duo genera habeat filiorum, vnum bonorum, quos maior filius refert; quia virtus & antiquior est & pretiosior; & in ea consistit vera sapientia, & in hac venerabilis senectus: aliud iniquorũ, qui per minorem filium adolescentem significantur, nam cum vitio coniuncta est imprudentia & leuitas, quam ille ostendit, dum à parente petiit hæreditatem, quæ ad se spectabat; vt eam per seipsum administra-

nistraret: insinuans secretâ quadam superbiâ, Deum aliquid ipsi debere: ac præsumens, se solum & per se ipsum scire & posse illud gubernare. Contrà quàm faciant boni filij, qui demissè credunt, ex gratia se habere quicquid habent; nec prudentiæ suę in eius gubernatione fidunt.

HINC, ad liberalitatem diuinam infinitam considerandam ascendam, qua vtitur in distribuendis donis ac talentis naturalibus, & multis etiã supernaturalibus tàm bonis quàm iniquis filiis, illorum libertati relinquens bonum & malum illorum vsum; manere in domo sua, aut ab ea exire, nulla vlli illata violentia: vt enim ait Sapiens: b *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, apposuitq; illi aquam & ignem, vt ad quod voluerit porrigat manum suam: ante hominem vita & mors, bonum & malum, vt eligat quod placuerit*: ita tamen, vt suggerat semper bonam electionem, & bonum vsum eius, quod illis dedit: ad quod etiam præbet auxilium. II.

b *Eccl.15.17* b *Deut.30. 15.19.*

HINC tertiò pergam considerare, filiorum felicitatem in eo esse, vt in cœlestis patris domo maneant, & sub eius protectione; vt ab eo gubernentur, & in talentorum ac donorum acceptorum vsu dirigantur, eique in omnibus obediant. quem enim c *Deus gubernat in via qua ambulat is obtinebit* (sicut ipse per Isaiam promittit) *pacem sicut flumen, & iustitiam sicut gurgites maris.* Contrà vero malorum filio- III.

c *Isai.48.18.*

rum infelicitas initium sumit ab eo, quòd ex paterna domo, & eius gubernatione discedere velint, vt seipsos iudicio proprio & voluntate gubernantes, laxiorem vitam instituant. Ex quo efficitur, vt in regionem longinquam statim se conferant, procul à Deo discedentes ob culpam, & vitæ dissimilitudinem, & obliuionem diuinæ præsentiæ; exponentes & expendentes quidquid habent, viuendo luxuriosè; & ita cum creaturis in concubinatu manentes, quia plus illas, quàm creatorem amant. Ex quo intelligitur; secretam superbiam labi in manifestam luxuriam; & multum sibi fidere eò hominem adducere, vt procul à Deo recedat; & multum Dei obliuisci hoc efficere, vt nimium homo creaturis adhæreat: donec supernaturalia bona gratiæ & charitatis amittat; & ipsa etiam naturalia deturpet, & obfuscet, cum iactura interdum facultatum, honoris, & quietis.

In hoc adolescente meipsum considerabo, dicamque Deo Domino nostro: ô Pater cœlestis, ecce hîc filium vnum prodigum, qui cum magna dona à liberali manu tua accepissem, è domo tua discessi; tuamq; gubernationem reliqui, vt propriam meam voluntatem & iudicium sequerer: Procul à tua præsentia innumerabilibus meis peccatis discessi; bona, quæ mihi dedisti, ad meam voluptatẽ illis vtens, contempsi! ô Domine quanta me patientiâ, & quamdiu sustinuisti! vtinam domum tuam nunquam deseruissem! ô me miserum,

qui

qui vti iuuenem, & liberum, maleque expertum permisi me à mea sensualitate decipi! Deus meus miserere mei & non mihi neges d *misericordiam: quia ignorans feci.* d *1. Timot. 1.13.*

PVNCTVM II.

ET a *postquam omnia consumasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. Et abijt & adhæsit vni ciuiū regionis illius. Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Perpendendæ hic sunt spirituales & corporales miseriæ, in quas incidūt peccatores, ob superbiam & rebellionem suam, quãdo bona gratiæ dissiparunt, & b *in profundum peccatorum peruenerunt contemnentes.* a *Luc. 15.14* b *Prou. 18.3.*

PRIMA miseria est ingens c *fames non panis, sed audiendi verbum Dei*, ob defectum spiritualis cibi: quæ fames prævalet valde in regione malorum, apud quos nemo est, qui possit adferre remedium: est autẽ hæc fames quia non recipiuntur sacramenta, nõ auditur verbum Dei, non leguntur pij libri, non videntur exempla bona, non percipiuntur internæ animæ consolationes. I. c *Amos 8.11*

SECVNDA miseria est, quòd maximo illius regioni ciui, qui est dæmon, sese subiiciunt & seruiunt, strictissimo amore miserrimè amantes quod debuissent odisse; eidemq; obediunt in rebus infamibus, & in vitijs hominis generositate indignis. II.

TER-

III. TERTIA est, pascere porcos, occupare videlicet se in sola sensuum suorum & carnalium appetitionum gubernatione; solicitè quærentes quomodo illos allant; & in pascendis dæmonibus, quorum cibus est luxuria nostra, & sensualitas nostra: quibus illi vehementer delectantur.

IV. QVARTA est, quòd voluptatum ipsarum fames est etiam insatiabilis: nunquam enim vsque ad satietatem potest peruenire, qui se illis tradit, neq; quod quærit assequitur: quia cibus, quo vescitur, non est hominum, sed immundarum bestiarũ; qui non sufficit ad illum satiandum. Quæ igitur maior miseria accidere potest homini, qui erat Filius Dei, & poterat cum honore & saturitate in domo cœlestis patris sui permanere? O cœcitatem cordis mei, quæ ad tantũ malũ me deducis! absit absit, vt viuere velim in regione adeo famelica, aut hero adeo crudeli seruire, aut officio adeo vili me occupare.

CONSIDERANDVM denique est, Christum Dominum nostrum affligere interdum peccatores (& vt per Prophetam dixit) *sepire viam ipsorum spinis*, vt saltem formidine pœnæ sapiant, & conuertantur ad Deum: quare illos castigat paupertate, fame, dedecore, & seruitute; & quò maiores sunt peccatores, eò in maiores permittit incidere miserias, vt animæ suæ oculos aperientes, conuertantur: quæ maior est Dei in illos misericordia, quàm si in temporali prosperitate manere permit-

d Osea 2.6.

teret:

teret: iuxta illud Prophetæ: e *miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam*; & illud f *requieſcet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar amplius*: Quia hoc, ſignũ videtur reprobationis illorum. ô Deus animæ meæ, ne auferas zelum miſericordiæ tuæ à me, ſi ego à te receſſero; ſed ſtatim calamitatibus me reple, donec per peccatorum meorum pœnitentiam ad te conuertar.

e *Iſa.26.10.*

f *Ezec.16. 42.*

PVNCTVM III.

IN *ſe autem* a *reuerſus dixit* filius prodigus: *quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo! ſurgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, Pater peccaui in cœlum & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis. Et ſurgens venit ad Patrem ſuum.*

a *Luc.15.17.*

HIC conſiderandum primò, conuerſionem peccatoris ab eo initium ſumere, vt ſeipſum ingreſſus, ſuas miſerias conſideret, quarum obliuiſcitur, quia ambulat quaſi extra ſe, effuſus in creaturas. Ad hoc itaque præuenit illum Deus inſpiratione & illuſtratione interna, quæ nunquam ceſſat, ſed potiùs in medio ſcelerum eius inculcat illud Prophetæ: b *redite prænaricatores ad cor*. quaſi dicat, ingredimini cor veſtrum, & recipite ſenſum, quem amiſiſtis. *Audite duri corde, qui lõge eſtis à iuſtitia: Prope feci iuſtitiam meam, non elongabitur, & ſalus mea non morabitur*: venite &

I.

b *Iſaiæ 46.8 12.*

acci-

accipite si vultis. O anima mea, quæ extra te ambulas, ingredere in cor tuum, & stude te cognoscere, vt inuenias Deum, qui tibi subuenire potest.

II. DEINDE considerabo, quanti referat peccatori, conferre miserandum suũ statum cum statu iustorum, etiam imperfectissimorum, & qui Deo, vt mercenarij, & propter sui laboris mercedem, seruiunt. Nam hac ratione clariùs aduertit famem, & necessitatem suam, abundantiam verò qua Deus illis prospicit, qui ipsi seruiunt; & beneficia, quæ illis confert in vsu Sacramentorum, Concionum, & aliorum animæ alimentorum. Ex quo sese excitat ad desiderandum & procurandũ statum illum, qui tot partibus suo præstat. Et si quando fuit iustus, vixitque ordinatè & secundùm Dei legẽ, decet ipsum comparare præsentem suũ statum, cũ præterito, vt confusus ob præsentem miseriã, vsurpet illud Prophetæ: c *vadam, & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc, magis quàm nunc.* O anima mea, conuertere ad Dominum Deum tuum, qui non potest verbo suo deesse, quo dixit d *conuertimini, & videbitis, quid sit inter iustum & impium: & inter seruientem Deo, & non seruientem ei,* quod cito experiri poteris, si tuam properes mutare vitam.

c *Osea 2. 7.*

d *Malach. 3. 18.*

III. TERTIÒ considerandum, quanti referat, magna & firma proposita concipere, nos ad Deũ conuertendi: quæ ex parte vna humilitati & propriæ indignitatis cognitioni innitã-

tur;

tur; ex altera verò bonitati & misericordiæ patris nostri cœlestis: sic enim expeditiùs fit nostrum remedium. Agnosco, Pater mi, me adeo esse miserũ, vt non merear vocari filius tuus, nec decet nomen adeo glorioſum tribui homini adeo infami; qui se ad pascendos porcos abiecerit: veruntamen simul agnosco; quòd quamuis ego indignus sim nomine filij; tu non desieris esse Pater. En ad domum tuam redeo, confidens de tua misericordia, quod me recipies in illa. Peccaui, Domine, in cœlum & contra te, tot scelera, videntibus Angelis, & coram tuis purissimis oculis faciens; peccaui in cœlum, vtens eius lumine & influentijs ad te offendendum; peccaui coram te, exiens ex domo tua & gubernatione tua, præferendo voluntatem meam tuæ voluntati: pœnitet me sceleris mei, non sum dignus admitti ad delitias filiorum dilectissimorum: Admitte me saltem ad commoditatem mercenariorum: magnæ enim felicitati meæ tribuã esse in domo tua, q̃uis minimus sim in ea.

IV. DENIQVE considerandum, plurimùm referre, si bona proposita opere exsequamur, antequàm eorum calor refrigescat: sicut prodigus iste filius fecit, qui statim atque ad patrem suum redire statuit, cœpit ire versus illum. neq; enim decet manu super manũ collocata hærere, & expectare vt De⁹ ipse omnia faciat, nos ꝙrat, & per capillos, vt dicitur, trahat: sed vult ipse, vt quandoquidẽ nos gratiâ suâ præueniens, excitat, nos illũ quæramus, & facia-

faciamus aliquid, deserentes prauam vitam, & obedientes iis, quæ nobis inspirat, vt bonam inchoemus.

PVNCTVM IV.

a Luc. 15, 20. CVM a *autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & occurrens cecidit super collũ eius, & osculatus est eum. Dixitq; ei filius: Pater, peccaui in cælum & coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos: cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedibus eius. Et adducite vitulum saginatum, & occidite; & manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit; perierat & inuẽtus est. Et cœperunt epulari.* Adhibita etiam Musica, & Symphonia instrumentorum & vocum.

HIC est consideranda infinita charitas & bonitas patris nostri cœlestis, quæ in multis resplendet.

I. PRIMVM, quod oculis misericordiæ peccatorem respiciat, quãuis procul adhuc agentem, & necdum ad ipsum conuersum, sed tamen de conuersione cogitantem: & hac pietate festinans accurrit ad iuuandum inspirationibus & pulsibus internis, donec omninò sit ille conuersus: & tunc seipsum illi coniungens, illum amplectitur, datq; ei osculum pacis, hoc est gratiæ & amicitiæ suæ illum restituit. O Pater benignissime & purissime,

non

non horres, non mouet tibi stomachum amplecti porcorum custodem, fetidum & deformem, filium impudentem, & qui te non nouerit, hominem turpem, nudum sine calceis, sine vestibus: apparet benè Domine, quod sis Pater; & quod amor patris facit te extra te exire, vt te in filios effundas.

DEINDE in eo ostendit suam charitatem, quòd magna liberalitate id restituat filio, quod ille amiserat: nam reddit illi stolam primam, vestem gratiæ & charitatis; annulum Spiritus sancti, & familiaris cum Deo cõuersationis; & exercitium bonorum operum manibus eius; calceamentum pro pedibus diuinæ protectionis, & virtutum, quæ affectus animæ mortificant, & gressus eius dirigunt, ornantque; vt alijs possit prædicare Euangelium pacis: inuitat illum ad saginatum vitulum Sacratissimi sui corporis in Sacramento altaris, & copiam consolationum ac delitiarum spiritualium, quas ibi illi communicat. O Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, quot simul misericordias accumulas in vnum peccatorem; & quantum cumulum consolationum ei das immerenti? II.

TERTIÒ eandem misericordiam ostendit, cùm hæc omnia magno suo gustu & voluptate præstat peccatori, atque si ipsius referret talis conuersio, volens vt omnes serui gaudeant & lætentur, & conuiuium habeant lætitiæ propter eam. Plurimum tibi debeo, pater mi, propter bona, quæ mihi das; sed multo magis III

obstrictum me sentio propter gustum & excessum amoris, quo illa largiris. Cupio pari gustu & voluptate tibi seruire, aliquid reddendo eorum, quæ tibi debeo; siquidē amori nihil, quod par sit, redāi potest, nisi amor.

IV. DENIQVE perpendam, filium prodigum admirantem tantam misericordiam, & charitatem patris erga se, eiusque visceribus eâ cōmotis, non petuisse admitti se, sicut vnum ex mercenariis, sicut petere statuerat; sed proiecisse se potiùs in manus patris, confidentem, quod ipsum admitteret ad filii dignitatem. O quàm meritò, pater mi, de tua misericordia confido, quem video tanto fauore prosequi eos, qui ad illam confugiunt. Et præterea das operam, vt hoc ipsum in omnium notitiam perueniat; ne magni peccatores desperent, videntes quàm benignè tales recipias, & ad quantam dignitatem eos tam liberaliter eleues.

S. Bern. ser. 85. in Cant.

PVNCTVM V.

a Luc. 15. 25. CVM a autem senior filius veniret ex agro & appropinquaret domui: audiuit symphoniam & chorum, & cùm cognouisset causam, indignatus nolebat introire; sed pater egressus cœpit rogare illum. At ille respondit: ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui; & nunquam dedisti mihi hædū, vt cum amicis meis epularer: sed post quam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus venit, occidisti illi vitulum saginatum.

natum. At ipse dixit illi: fili tu semper mecũ es, & omnia mea tua sunt. Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.

CONSIDERANDVM hic primò, qua ratione imperfecti quidam, qui fuerunt innocentes, & à grauibus peccatis præseruati; soleant interdum inuidiâ tangi ob illos fauores, quos vident Deum ostendere iis, qui magni fuerunt peccatores, & ita murmurantes conqueruntur, quod Christus Dominus noster non ita ipsis atque illis indulgeat, iudicantes se plura adhuc esse promeritos. Hoc autem oritur ex defectu humilitatis, & charitatis, displicetque vehementer Deo: cui contra multum placet, si nos gaudeamus de bonis, quæ ipse fratribus nostris confert, dicamusque cum Moyse b *quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum:* Vtinam Domine peccatores omnes recipias, eosque ad magnum iustitiæ & sanctitatis altitudinem promoueas. I.

b *Num. 11. 29.*

DEINDE considerandus est scopus Christi Domini nostri in hoc responso filii senioris: voluit enim extollere misericordiam & & liberalitatem, quam filio minori exhibuit, quæ tanta erat vt posset prouocare ad inuidiã & quærimonias ipsos iustos, quãuis ipsi virtute sua huiusmodi vitiis aditum nõ darent venerantes occulta Dei iudicia, & eiusdẽ bonitatis magnitudinem, dũ se creaturis cõmunicat: maiora interim amoris & benignitati II.

indicia ijs præbens, qui magis indigni eorum esse videntur.

III. Tertiò perpendenda est Patris misericordiarum interna responsio, quam iustis illis dat, qui seriò illi deseruiunt: fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. O Pater amantissime, vbi maior fauor & indulgentia, quàm ista, esse potest? quę stola? quis annulus? quæ calceamenta? quis vitulus saginatus? pluris æstimari potest, quam me semper esse tecum? in domo tua, in obedientia tua, sub gubernatione tua? & quòd omnia tua mea sint? si omnia mea sunt, mea est gratia tua, mea sunt dona tua, meum cœlum, meus filius tuus & redemptor meus, & tu quoque ipse meus es: quia in te omnia tua sunt! O Pater meus, Deus meus, & omnia mea! tu delitiæ meæ, honor meus, & diuitiæ meæ! & si tua sunt mea, mea quoque sunt tua! hoc solo fauore contentus sum, vt semper ego tecum sim, & tu mecum: & quod tua omnia mea sint eo pacto, vt nihil ego velim, nisi quod à tua manu mihi prouenerit: & hoc mihi sufficere existimem, si tantùm seruiam tibi Patri meo cęlesti, cui sit gloria & honor in secula, Amen.

MEDI-

MEDITATIO L.

DE EO QVI INCIDIT IN Latrones, & fuit à Samaritano adiutus.

PVNCTVM I.

INTERROGANTI legisperito Christum Dominũ, quis esset eius proximus, vt illũ sicut seipsum amaret, respondit Christus hac parabola aperiens in illa compassionem, quam ipse habuit de peccatoribus: *Homo*, ait, *quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones; qui etiam despoliauerunt eum: & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.* a Luc.10.30

CONSIDERANDVM hic primò, quis iste sit homo, & qui illi latrones, quibus bonis illum spoliarint, quæ vulnera illi inflixerint, & quâ ratione semiuiuus aut semi mortuus remanserit?

HIC homo est quilibet filius Adam terreni, qui exemplo sui patris, cùm esset in gratia & amicitia Dei; ac porrò designatus hæres ciuitatis cęlestis Hierusalem, sensim ab eo statu cadit, inclinans se ad bona miseri huius & inconstantis mundi, quem Iericho, qui lunæ interpretatur, significat. Huius lapsus siue de- I.

census initium est, affici erga res huius mũdi aliquo modo inordinato, & occupari nimiũ in negotiis terrenis.

II. HVIC homini occurrunt in itinere isto dæmones, qui sunt latrones, prædones & hostes nostri, qui suis tentationibus & iniquis suggestionibus, nunc apertè nunc ex insidiis, & fraudibus nos conantur perdere: ad quod sæpè vtuntur visibilibus hostibus, qui sunt hic mundus & caro: hoc est impij, qui viuunt in mundo, & carnis nostræ appetitiones. Is autem dicitur incidere in manibus eorum: qui infeliciter eorum suggestionibus dat locum, & culpam admittit, quam læthalem vocamus.

III. BONA, quibus miser ille spoliatur, sunt Dei gratia, septem spiritus sancti dona, charitas cum infusis virtutibus, quæ semper illam comitantur: nominatim verò quosdam spoliant castitate, alios humilitate, alios patientia, temperantia, obedientia, & similibus: & interdum eò peruenitur, vt etiam Fide spolient, & præcipitent in peccata infidelitatis; & etiam spe, eos in desperationem præcipitantes: quia id omninò conantur hostes, vt spolient ac destruant quidquid à Deo habemus iuxta illud Psalmi: *exinanite exinanite vsque ad fundamentum in ea.*

b *Psal.136.7*

IV. VVLNERA & plagæ quæ infliguntur, sunt illa dãna, quæ in potentiis nostris relinquunt, qualis ignorantia intellectus obscurati eorum

eorũ tenebris; debilitas liberi arbitrij, quod debile manet ad resistendum vitiis; impetus inordinatus appetitionum & perturbationum, quæ trahunt ad terræna: Totque plagas iudicatur quisque accepisse quot ignorantias, passiones, & peruersas inclinationes habet.

HAC ratione manet iste miser homo semiuiuus, quia solùm illi remanet lumen fidei, aut rationis tantùm naturalis; sed manet idem etiam semimortuus, quia propè est vt æternùm moriatur. His benè consideratis, fingam me esse infelicem hunc hominem, de quo est hæc parabola: & deflebo meum infortunium. Ego enim sum qui neglexi conseruare gratiam, quam Deus mihi dedit in baptismo, quia ad bona huius vitæ delectabilia me inclinaui; Ego incidi in manus dæmonum hostium meorum, idque mea culpa: nam c *si ego illis restitissem, ipsi fugissent à me:* & , si ego Deum & Angelos in meum auxilium vocassem illi ad defendendum accurissent: tam enim plenum est hoc iter Angelis, qui nos custodiunt, atque dæmonibus qui nos oppugnant: immò (vt Propheta Eliseus dixit:) d *plures nobiscum sunt, quàm cum illis.* O me miserũ, qui passus um me ab his hostib' spoliari, cùm potuissem ab eis me defendere! heu mihi, qui amisi gratiam Dei, & eius dona cœlestia! ô quot plagas, quot vulnera in anima mea accepi, e *à planta pedis vsq; ad verticẽ capitis nõ est in me sanitas.* Nõ est potentia, nõ

V.

c *Iac. 4. 7.*

d *4 Reg. 6. 16.*

e *Isa. 1. 6.*

est sensus, qui propriam non habeat plagã,& peruersam inclinationem; & quamuis aliquid vitæ superfit, plus tamen sum mortuus, quàm viuus; & in periculo mortis æternæ. O Deus æterne, aspice hunc miserum oculis misericordiæ, & gratia tua illi subueni, priusquam vitam finiat infeliciter.

PVNCTVM II.

a Luc. 10. 31. ACCIDIT *autem, a vt sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo, præterijt. Similiter & Leuita, cùm esset secus locum & videret eum, pertransijt. Samaritanus autem quidã iter faciens venit secus eum: & videns eum misericordia motus est.* In hoc puncto considerandum est, qui sint Sacerdos iste & Leuita, qui, etsi vulneratum hominem viderunt, nullo remedio adhibito, pertransierunt; & quisnam ille sit Samaritanus, qui curam eius gessit.

I. PRIMVM Sacerdos & Leuita eos homines hic nobis repræsentant, qui etsi in aliqua dignitate & sublimi loco sint constituti, non tamen sufficiunt, vt peccatori remedium adferant: ideoque tanquam progredientes vlteriùs, illum sine remedio relinquunt: nam quamuis oculos habeant ad eius miseriam cognoscendam, non tamen in seipsis habent vires & facultatem vt illi possint, subuenire. Præterea sunt qui non multum tangantur cõpassione malorum alienorum; quia proprijs commoditatibus sunt nimium immersi; alij

pro-

propterea auxilium non ferunt, quia satis habent, quod secum agant; & se à latronibus, ipsos in itinere inuadentibus, defendant, timentes, si hęreant alterius, qui vulneratus est, causa, se quoque vulnerandos & casuros. Denique nulla pura creatura huic miserabili potest succurrere, aut eius vulnera sanare: ideoque nisi è cœlo illi veniat auxilium, necessario tandem peribit.

II. SAMARITANVS, qui misericordiâ & compassione fuit motus, est verbum æternum Filius Dei viui, custos & protector desertorum, hoc enim significat Samaritanus. Hoc verbum diuinum videns periculum, & desertionem nostram, voluit ex cœlesti Hierusalem in hûc mundum descẽdens fieri homo, & viuere more hominum, ambulans per easdem vias, per quas alij homines, sed sine peccato, quamuis conuersaretur & accederet ad peccatores: quam ob causam peccator fuit habitus, & *Samaritanus*, quod apud Iudæos erat in horrore: sed nihilominùs beneuolos semper coniicit oculos in quemcunque peccatorem, quem videt gratiâ suâ spoliatum, & dæmonibus subiectum, cum periculo æternæ suæ damnationis. O benignissime Samaritane, Deus & homo vere, custos & protector eorum, qui nec sciunt, nec possunt se custodire! quis nos à tot hostibus & periculis potuisset defendere, nisi tu nos custodires? *Nisi* enim *Dominus custodierit ciuitatem frustra vigilat qui custodit eam.* Quid fuisset de nobis miseris, nisi tu mi-

Ioan. 8. 48.

Psal. 126. 2.

seriæ nostræ fuisses compassus? Moyses transijt cum toto statu sacerdotum & prophetarum antiquorum, nec potuerunt infirmitati nostræ mederi: quia & ipsi infirmabantur, & eadem indigebant curatione. Transijt & genus Scribarum & Pharisæorum, qui vt superbi & duro corde, nulla eorum commiseratione tangebantur, qui erant in peccato: sed tu piissime Samaritane, de cœlo descédens transiensque per hunc mundum, d *pertransisti bene faciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo.* Gratias tibi pro misericordia nobis exhibita, remedium adferendo nostræ miseriæ, quæ omnino sine remedio permansisset, nisi magna tua misericordia illi succurrisset.

d *Act.10.38*

PVNCTVM III.

a *Luc.10.34.* ET *appropians a alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum: & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait, curam illius habe: & quodcunque supererogaueris, ego, cùm rediero, reddam tibi.*

CONSIDERANDVS est hic modus, quo diuinus hic Samaritanus nostri misertus est, & innumera bona quæ nobis contulit, quia eius misericordia infinita non sistit in sola commiseratione, nec solis verbis contentus est; sed opera exhibet infinitæ charitatis.

PRI-

I.

PRIMVM itaque appropiauit ad vulneratum, nisi enim ipse quæsitum veniſſet peccatorem, non potuiſſet peccator illum quęrere. O amantiſſime IESV, fateor me inſtar filij prodigi, ex domo tua exiuiſſe, & procul à te diſceſſiſſe, & in tantam miſeriam propterea incidiſſe, vt in terram proſtratus, pedes non habuerim ad ſurgendum, & te quærendum, vt mihi remedium afferres; ſed charitas tua præuenit me, ac viſitauit, ſanctas ſuggerens inſpirationes, & appropians mihi pulſibus internis, & tangens ipſum cor meum eo fine & deſiderio, vt illud omninò curares: gratias tibi Domine quod appropiaueris ad me, cùm ego procul à te diſceſſiſſem.

II.

DEINDE alligauit omnia vulnera eius, nullo non ligato aut non curato relicto: ſed quo linteo, aut quibus faſcijs illa ligauit? O Medice piiſſime, qui noſtrum ſanguinem recipis, & noſtrorũ peccatorum fluxum intercludis, perturbationumque noſtrarum impetum puriſſima gratiæ tuæ, charitatis, & cæterarum virtutum, quas nobis communicas, vitta conſtringis, vt animas noſtras iuſtifices; præteritas omnes culpas, expurges, & quæ euenire poſſent, pręueniendo impedias. O quàm es in nos miſericors, qui adeo fuiſti in teipſum ſeuerus! permittens te ob noſtras culpas horrendis plagis vulnerari, crudelibus funib⁹ ligari, & clauis duriſſimis acutiſſimiſque cruci affigi. Per vulnera tua te ſupplex oro, vt mea curare digneris; & per tua illa

ſeue-

seueriſſima vincula peto, me quoque ita ligari; ne vnquam amplius carnis libertatem recipiam, aut ad vitia relaxer; ſed firmiſſimè virtutes omnes amplectar.

III. TERTIÒ infudit in vulnera oleum & vinum: quia nobis applicat efficaciſſima ſacramenta, miſericordia, & virtute cœleſti pleniſſima, quibus nos vngens, ſanitati reſtituit, confortat, nutrit, & cor noſtrum exhilarat. O Samaritane dulciſſime, quàm benè tibi è cœlo deſcendens proſpexeras, ſiquidem ita in promptu habuiſti noſtrorum vulnerum remedium, ſacramenta enim, quæ inſtituiſti, quid ſunt aliud, quàm vaſa olei gratiæ, & vini charitatis? quam noſtris vulneribus infundens, illa ſanantur? Vnge me Domine hoc oleo lætitiæ; conforta me hoc vino ſpiritus: & ſana me, vt ſanum me totum conſecrem & offeram in obſequium eius, qui adeò benevolè mea vulnera ſanat. Aliud quoque antidotum nobis applicat, verbum ſcilicet Dei, & ipſam diuinam Scripturam, quæ oleo vinoque redundat, veritatibus ſcilicet blandis ac beneuolis, quæ comiter & blandè ad pœnitentiam alliciunt; & alijs duris & aſperis, quę terrent, vrgentque ad peccatorum dolorem ex timore concipiendum: & vtriſque permouet nos ad varios affectus deſideriaque ſancta, quibus noſtram ſalutem negotiamur.

IV. QVARTÒ, nec his contentus fuit, ſed cùm ęgroti tantam debilitatem aduerteret, vt propriis pedibus non poſſet incedere, eum impo-

ſuit

posuit in iumentum suum: quia super sanctissimum suum corpus imposuit onera peccatorum nostrorũ; & inspirationum suarum subsidiis nos adiuuat, ducitque tanquam pedibus alienis per viam virtutum, sic reddens suaue iugum suæ legis, & præceptorum eius obseruationem.

PERGENSQVE in sua misericordia educit infirmum ex via, in qua prostratus iacet, hoc est ex occasionibus & periculis peccandi; & eum in apto decentique hospitio constituit, in Catholicæ scilicet Ecclesię gremio, vbi necessaria omnia illi suppetent, ad integrè conualescendum, & sanitatem magna securitate & iucunditate recuperandam: *cuius* ipsemet amantissimè *curam agit*, parentis instar illi prouidet atque indulget. O infinita IESV charitas, quas tibi referre possum gratias pro tot fauoribus, & indulgentia tanta mihi tã amanter impensis? Angeli omnes te propterea laudent, & anima mea liquescat in tuis laudibus. Sis benedictus propter oleum & vinum, quibus mea vulnera sanas; milliesque sis benedictus, ob tantum subsidium meis imbecillitatibus submissum; & centies millies, quòd me à tot periculis erueris, & in glorioſissimo Ecclesiæ tuæ hospitio constitueris; ac millies millies sis benedictus, quòd me à mundi vanitate & secularibus negotijs eductum, in securissimo Sacræ Religionis diuersorio (quod intra Ecclesiæ tuæ mœnia situm est, ad recipiendos in eo quos ad altiores perfectionis gra-

V.

dus

dus præelegisti) manu tua benignissimè collocaueris.

VI. DENIQVE ascendens hic Dominus ad cœlum, & secundũ humanitatem sese nobis subtrahens, (quanuis nostri curã nec sic deposuit) commisit tamen Stabulario, suo videlicet visibili Vicario, omnibusque Ecclesiæ Prælatis, & Religionum superioribus, vt huius infirmi curam gerant: cuius causa duos illis denarios tradit, quidquid videlicet ad infirmi integram gubernationem & curationem est necessarium: Offert enim illis virtutem & scientiam; gratias sanctitatis; & gratias gratis datas in vtilitatem aliorum: Potestatem Ordinis, & Iurisdictionis: simulque committit, vt ex parte sua his addant quicquid poterunt, in vtilitatem infirmi; non contenti ea adhibere, quæ præcepti sunt; sed multa etiam præstent, quæ sunt supererogationis, & gratiæ: nam cum redierit iudicare; omnia, quæ in infirmi vtilitatem præstiterint, se illis redditurum. Hîc, Deus meus, deficio sensu; nec scio quid dicam: nisi vt te in silentio laudem ob misericordiæ magnitudinem, & paternam prouidentiam, quam de indigentibus geris; & vt Maiestati tuæ supplicem, vt Ecclesiæ tuæ Prælatis efficaciter suggeras, vt omni fidelitate & solicitudine præstent, quæ à te in commissis habent: vt, cùm ad iudicandum redieris, inuenias integrè sanos & valentes eos, qui infirmi & peccatores illis commissi fuerant: ipsos verò Præ-

latos plenos multis meritis in muneris sui administratione.

PVNCTVM V.

VLTIMÒ expendenda est Parabolæ conclusio: Nam interrogauit Christus Legisperitum: a *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in Latrones?* Illumque vt talem dilexit: *ille ait Qui fecit misericordiam in illum: & ait illi* IESVS: *vade, & tu fac similiter.* In quo multo adhuc magis splendet infinita huius Domini charitas. a Luc. 10. 36

Primùm, quòd velit nos omnes inuicem ita diligere, vt vicem infirmorum doleamus; misericordiâ in alterutrum vtamur; necessitatibus tàm corporis, quàm spiritus subueniamus, vt hic fecit Samaritanus: qui etsi alienigena, commiseratione tamen vulnerati Israëlitæ præ Sacerdotibus & Leuitis eius Nationis tactus est. *Deinde*, quod tacitè sese nobis proponat exemplũ; vt sicut ipse per Samaritanum significatus, misericordiam nobis exhibuit; sic nos ad inuicẽ exhibeamus. Aspicite quid ego infirmo huic peccatori fecerim; & idem vos mutuò præstate, subueniens quisque quoad poterit alterius corporis & animæ necessitatibus. Nec parci in hoc sitis, sed liberales; multò etiã plura prẹstãtes, quàm præcepto teneamini; sicut ego incomparabiliter plura vestri gratiâ prẹstiti, quàm fuisset vobis

necessa-

necessarium: in hoc enim volo respondeatis amori, quo ego vos prosequor. & cùm ego rediero ad iudicandum, reddam vobis quicquid feceritis, liberalissimè b *mensuram bonam, & coagitatam, & superefluentem in sinũ vestrum.* O dulcissime Saluator, ego ex gratia tua statuo, proximos meos diligere, sicut tu nos dilexisti; eorum misertus, sicut tu nostri misertus es: vt sic te, cui tantum debeo, imiter iuxta tuam voluntatem: cui sit honor & gloria in secula. Amen.

b *Luc. 6. 38.*

MEDITATIO LI.

DE SERVO QVI DECEM millia Talenta debebat Domino suo.

HAEC Parabola est veluti exemplar quoddam viuum liberalissimæ DEI misericordiæ in condonandis iniurijs etiã plurimis & grauib⁹; & simul horrendæ duritiei hominis nolentis illatas sibi à proximo etiam paruas & paucas condonare. & vtroque nomine erit materia huius Meditationis.

PVNCTVM I.

ASSIMILATVM *est a regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis, & cùm cœpisset rationem*

a *Matt. 18. 27.*

ponere,

ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. Cùm autem non haberet vnde redderet, iussit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios & omnia quæ habebat & reddi.

PRIMVM considerandum: Deum Dominum nostrum rationem exacturum ab omnibus hominibus de omnibus, quæ in hac vita gesserũt; quam exigit à singulis in mortis momento, vbi tota ratio expeditur: sed ante illud tempus incipit eam exigere, cum scilicet internè nos monet eorũ, quæ illi debemus; exigitque, vt in hac vita per pœnitentiam illi soluamus; præcipuè autẽ id exigit, cùm graui aliquo morbo nos premit, aut sumus aliàs in periculo mortis: id enim speciem quandam præ se fert exigendæ rationis. Est tamen obseruãda differentia: nam si tẽpore mortis inuenior aliquid Deo debere, eò quòd grauibus culpis sim oneratus, expediuntur rationes absq; vlla spe veniæ; cùm autem hæc ratio in vita exigitur, semper est spes, quòd feliciter succedet rationis redditio, ob infinitam æterni Regis liberalitatem. Quare, anima mea, cura rationes cum Deo tuo componere in vitâ; & attende, quid illi debeas; siquidem tempus hoc est misericordiæ: nam illud vltimum est seueræ iustitiæ. I.

SERVVS, qui decem millium talentorum est reus, est peccator peccatis onustus, cuius proprietates insinuantur decem illis mille talentis. *Prima* proprietas est, quòd illa sint contra II.

decem mandata legis Dei, quorum transgressio cedit in iniuriam legislatoris: & quamuis peccatum sit contra solum vnum mandatum, est tamen eiusmodi, vt quodam modo (sicut ait S. Iacobus Apostolus) iniuria fiat contra omnia: b *qui enim dixit: non mœchaberis, dixit &: non occides: quòd si non mœchaberis, occides autem; factus es transgressor legis: vt propterea qui offendit in vno factus sit omnium reus.* *Secunda* est quòd plurima sint & innumerabilia: nam propterea comparantur numero decem millium, quòd si huic numero etiam venialia adiungantur, dicere licet, plura esse, quàm sint capilli capitis, & arenæ maris. *Tertia* quòd sint grauissima, & singula ponderosa instar talenti: & complectuntur magnum onus, & grauissimam iniuriam: quia fiunt contra Deum infinitè bonum, & contra innumera & altissima eius beneficia; & quòd fiant cum contemptu sanguinis IESV Christi, qui est infiniti valoris; & cedant in damnum animarum, quæ infinito illo pretio fuerunt comparatæ: & denique destruunt dona & talenta, quæ Deus infinita charitate nobis largitur. *Quarta* proprietas, quæ ex prædictis sequitur, est, quod nullus homo possit ex se ipso hoc debitum soluere, nec facultates habet, vt soluat Deo vel vnicum peccatum mortale, ac multo minùs tot: cùm enim per peccatum fiat inimicus Dei, nihil efficere potest quod illi satis faciat; & quidquid dare potest est nihil, si cùm infinito debito, cuius est reus,

b Iacob. 2. 10

com-

comparetur. *Quinta* est, quòd propterea sit subiectus pœnæ adeo terribili, vt & ipse & eius vxor & filij & quidquid habet vendatur, vt possit satis facere, hoc est propriã libertatem amittat, fiat perpetuũ dæmonis mancipium in inferno, amittatq; omnia bona, quæ Deus illi dederat, corporis & spiritus: quia auferuntur illi tanquam proditori & indigno eorũ. Ipse itaq; homo; & vxor eius, quæ est sensualitas; & filij, qui sunt opera; & fortunæ siue facultates, quæ sunt dona gratiæ accepta, hæc inquam omnia auferẽtur ab eo, qui illa habebat: & naturalia, quę retinet, maiorem illi adferũt cruciatum. Perpendens quinq; hæc capita, excitabo in anima mea ingentem dolorem, ob iniurias Christo Domino nostro illatas: ob quas tot debitis obstrictum me video. Magnum etiam cõcipiam timorem eius iustitiæ & pœnæ, quam propter ea sum promeritus: confugiam autem ad illud remedium, quo seruus hic veniam à suo Domino impetrauit.

PVNCTVM II.

PROCIDENS *autem a seruus ille orabat eũ dicens: patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* a *Mat. 18. 26*

PERPENDENDA in hoc seruo sunt media quæ apta sunt ad veniam peccatorum impetrandam, vt eadem nobis vsui esse possint. *Primum* est, debitum non negare, sed illud agnoscens, integrè & sincerè confiteri cum ingenti dolore ob lapsum in illud. *Secundum* I.

est, seipsum in conspectu Dei profundâ reuerentiâ humiliare, & vsque ad terram procidere, agnoscendo suum Nihil & suam miseriam. *Tertium* est, orare & petere demissè misericordiam & spatium pœnitentiæ, vt possimus pro offensis cõtra eum admissis satisfacere. *Quartum* est, firmũ & efficax propositum concipere, reddendi integrũ debitum; faciendi scilicet ex parte nostra cum ipsius gratia quidquid poterimus, vt omnia soluamus. His ergo affectibus bene dispositus & coram Deo constitutus, dicam illi: *patientiã habe in me, & omnia reddam tibi.* O patiẽtissime Domine, qui infinita tua patiẽtia sustines eos, qui tõties adeoque grauiter te offendunt; hanc quoque ei quam hactenus habuisti adiunge, vt hac vice des mihi locum pœnitentiæ, vt soluere possim quod debeo. & quia mihi non est ad id facultas, accipiam in hunc finem solutionem quam Redemptor meus sanguinis sui pretio obtulit, qua solutione & gratiæ tuæ auxilio reddam tibi quidquid pro meo debito potero.

II. DEINDE in Rege illo expressam perpendam magni nostri Dei misericordiam & liberalitatem infinitam, dum peccatoribus se humiliantib⁹ multo plus largitur, quàm ipsi petere aut desiderare sint ausi: quandoquidem merâ gratiâ sententiam pœnæ reuocat, quam aduersus eos minando protulerat; & remittit totum debitum, nõ habita ratione quòd adeo esset grande. Sed totum hoc merâ præstat

mise-

misericordiâ. Nam venia culpæ & æternæ pœnæ non datur propter merita nostra. O benignissime liberalissime & magnificentissime Rex, omnes Angeli infinitam istam tuam misericordiam extollãt, & omnes homines immensam tuam liberalitatem vbiqúe promulgent, & anima mea te magnificet ob ineffabilem tuam magnificentiam. Necessarius erat Deus adeo misericors sicut tu es, in hominem adeo miserum, atq; sum ego; & necessaria erat tanta liberalitas & magnificentia atque ista est tua, ad tanta debita remittenda quanta sunt mea. Et quandoquidem adeo te liberalem ostendisti in dimittenda mihi culpa & pœna æterna; non negligam ego temporalibus pœnis me castigare, vt pro modulo meo soluam quod potero, loco æternarum pœnarum, quas eram promeritus; adiuncto simul desiderio non amplius offendendi eum, qui tantâ misericordiâ in me est vsus, omnia mihi condonando.

PVNCTVM III.

EGRESSVS *autem a seruus ille inuenit vnum de conseruis suis, qui ei debebat centum denarios: & tenens suffocabat eum dicens, Redde quod debes. Et procidens conseruus eius rogabat eum dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abÿt & misit eum in carcerem donec redderet debitum.*

a *Matt.18. 28.*

I. CIRCA hoc punctum considerandum primo est, esse valde vulgare & ordinarium vt inter homines alij alijs aliquid debeãt, aut ob iniurias verbis aut operibus sibi illatas, aut ob alias causas: id quod ex nostra imbecillitate procedit; estque à Diuina prouidentia ita permissum, vt probi occasionem habeant merendi apud ipsum, dum sustinent & dimittunt iniurias, vt possint dicere Deo: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Quòd si tamen attentè inspiciamus debita, quibus Deo obstricti sumus, excedent ea, quæ alij nobis debent, sicut decem millia talenta excedunt centum nummos aut denarios: est enim excessus hic maximus, eò quòd vel vnica iniuria Deo illata sit infinitè maior omnibus iniurijs, quæ hominibus inferuntur. Eò siquidem iniuria censetur maior, quo excellentior est is qui illam accipit: vt itaque Deus infinitè maior est omnibus hominibus simul; sic iniuria illi illata: vt alibi perpendimus. *Medit 5. p. 1.*

II. PERPENDENDA deinde est iniqui huius serui in conseruum suum crudelitas. *Primò* in ira & odio, quod in eum ostendit non contentus debitum suum verbo petere, sed violenter illum inuadere & ita fauces cõprimere, vt illũ suffocandi esset periculum. *Deinde*, quòd in procidentem ad pedes ipsius, & expectari sibi humiliter deprecantem, & ad totum debitum reddendũ eisdem verbis se offerẽtem, quibus ipse apud suum Dñm vsus fuerat; nullã commise-

miſeratiõnem oſtenderit; nec eum audire, aut remittere, nec ad breue quidem tempus expectare voluerit. *Tertiò* in prȩcipiti illo furore, quo illum miſit in carcerem; donec ſolueret debitum: tanto in his omnib⁹ rigore erga ſuũ conſeruũ vſus. *Quartò* in illa ingenti ingratitudine, quam oſtẽdit in propriũ ſuum Dominum, cuius debitor ille ſeruus erat: Iniuria enim huic ſeruo irrogata cedebat in dedecus ſui Domini. & quia adeo ſe diſſimilem & contrariũ oſtendit ingenuis Dñi ſui moribus; vt qui nihil ad cõmiſerationem ſit permotus eiſdem verbis, quibus Dñs ipſe permotus fuerat. Hoc totum habet locũ in illis peccatoribus, qui iniurias à proximis ſibi illatas, & debita, quæ ipſis debent, remittere nolũt; potiùs rancore quodam vltionem de illis accipiunt.

DENIQVE conſideranda eſt radix, ex qua mala iſta proueniũt: quam inſinuat Parabola cum ait: ſeruum illũ egreſſum fuiſſe è conſpectu Domini ſui. perſpicuum eſt enim, in eius conſpectu non futurum fuiſſe adeo temerarium, vt conſeruum ſuum ita vrgeret, atque opprimeret. Et eodem modo dicendum eſt, cauſam peccatorum noſtrorum in Deum & proximos noſtros eſſe, quòd è cõſpectu Dei egrediamur, & obliuioni tradamus, quòd ipſe ſit præſens, & noſter ſit Iudex; & ſimiliter beneficiorum, quæ in nos contulit; & gratitudinis & obſequij, quod propterea illi debemus obliuiſcamur: ſi. n. hæc recenti memoriâ & fide viua teneremus; non haberemus animũ illum III.

offendendi. Quamobrem anima mea, attende quòd te Deus respiciat, ambula semper in eius præsentia, esto memor beneficiorum, quæ in te confert; quorum rationem etiam exiget: si enim horum memineris, etiam eris memor non offendere eum, cui tot nominibus seruire tenêris.

PVNCTVM IV.

a *Mat.18.31.* VIDENTES *autem* a *conserui eius quæ fiebant, contristati sunt valde: & venerunt & narrauerunt Domino suo omnia, quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum Dominus suus: & ait illi, Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? & iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum.*

I. CONSIDERANDVM hîc primùm, quòd nostra scelera & iniuriæ in proximos, hominibus, & Angelis improbantur: omnesque Dei serui, cùm vident, tristantur & grauiter affliguntur; tum ex commiseratione læsi; tum ex ipsius lædentis damno: & quòd Deus ea re offendatur. Et obseruabo, sicut à bono spiritu est contristari de peccatis proximorũ; ita esse optimũ illa euitare, ne quod in me est, ipsos iustos & Angelos cõtristem. Hinc fit, vt quamuis nostra iniquitas & ingratitudo non possit Deo occultari, licèt ipse absens esse, & ea nõ videre dissimulet: at tristitia illa & do-

lor,

lor, quo iusti ob hominum scelera afficiũtur, & desideriũ, quo tenentur, sic afflictos & oppressos liberandi, est instar clamoris cuiusdam, & narrationis, quam de illis apud Deũ faciunt, ex quo solet interdum quasi euigilans Deus vindictam sumere de rebellibus & ingratis; & eripere ex crudelibus eorum manibus paruulos, iuxta illud quod Christus Dominus dixit b *nunquid non faciet Deus vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte? dico vobis, quia citò faciet vindictam eorum.* b *Luc.* 18. 7.

DEINDE est perpendendum, quod statim Dominus iusserit, seruũ illum ad se vocari vltima vocatione, & ad iudicium: quia in pœnam insignis alicuius sceleris solet Deus interdum dies vitæ abbreuiare, & peccatorem ex tempore ad vltimam rationem reddendam vocare; & reum inuentum tortoribus & inferni carnificibus tradere, donec integrum debitum persoluat: quod quia nunquam ille perficere poterit; nec illi vnquam ab eo torquendo cessabunt. O si vltimam illam vocationem semper tibi præsentem faceres, quàm suauiter proximos tuos tractares, vt te Deus blandè, vt tu desideras, tractaret! ô si meminisses tortorum & cruciatuum, qui te expectant ob debita, quæ in hac vita non exsolueris! omni dubio procul contenderes statim illa exsoluere apud Deum, agẽdo pro illorum remissione. II.

DENIQVE perpendam, nequam hunc III.

S. Thom. 3. p. q. 88. a. 3.

seruum non solùm ob vltimum illud peccatũ in suum conseruum, sed etiam ob præterita, quę fuerant illi condonata pœnas illas dedisse, eò quod peccatum plurimum exercuerit, ob ingratitudinem beneficii, quod à suo Domino acceperat; & modi, quo in remittendo ille vsus fuerat: siquidem nullam horum rationem duxit; quando oportuit suo conseruo debitum remittere: vt hinc tremam ego, horreamq; vitium ingratitudinis aduersus Deũ, quæ valdè auget culpæ grauitatem: quot enim peccata Deus mihi remisit, tot ingratitudines cogitare possum in peccato, quod postea admitto: ideoque etsi vnicum illud sit, virtute tamen continet multa. O abominandam ingratitudinem, postquam c *ingrediuntur* in animam *septem spiritus priori* quod iam exiuerat *nequiores*. Libera me Deus à tali scelere, tibi adeò inuiso!

c Luc. 11. 26.

PVNCTVM V.

MOx Parabolæ conclusionem perpendã *sic*, inquit Christus, *& Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

IN hoc est perpendenda infinita Christi Domini nostri caritas, quæ in eo elucet, quod velit nos inuicem nobis remittere, nõ verbis & ad speciem tantũ, sed ex corde: quod longe caritatis instituitur, vt ex verbis hic positis colligitur. *Primùm*, quod ita velit Pater noster cœlestis, cuius filii sumus: idq; sufficit, vt illi

I. Causæ cur fiat iniurię condonãdę.

in

in ijs,quæ nobis mādat ſatisfaciamus. *Deinde* quod omnes nos ſimus: fratres, eiuſdē Patris filij: eſt autem rationi conſonū, vt frater vnus remittat alteri. *Tertiò*, quia quiſq; habet aliquid quod frater eius in ipſo ſuſtineat, & remittere debeat: eſt autem iuſtum, vt qui ſibi vult remitti; ipſe quoq; remittat. *Quartò*, quia Pater ipſe cęleſtis liberaliter omninò remittit nobis debita, abſq; vllâ cōparatione maiora, quò nos obliget, vt nos aliis remittamus, quæ nobis debent; cùm ſint multò pauciora; *Deniq;*, quia ſi lex amoris non ſatis nos ad hoc implendum conuincit; accedet lex timoris, & pœnæ formido; quæ erit horrenda: quia non remittetur ei iterum, qui fuit rebellis ad non remittendum: ideoque porrò tradetur dęmonibus, diuinæ iuſtitiæ carnificibus; à quibus pro meritis caſtigetur. Ex horum omnium conſideratione firma & efficacia concipiam propoſita miſerendi proximis meis, & illatas mihi iniurias remittendi: deſiderans (ſi abſq; noua Dei offenſione fieri poterit) iniuriis affici, vel ob id ſolùm, vt remittendi eas occaſionem habeam: quò Deus etiam mihi remittat. O Pater cæleſtis, ex toto corde remitto debita, quæ mihi debent, qui me iniuriis affecerunt, vt ita ſim tibi ſimilis, qui liberalis adeò es in remittendis iniurijs tibi illatis: par eſt enim filium Patri aſſimulari. Accepta nūc promptam hanc voluntatem, & confer gratiam, vt occurrente occaſione, eam reipſa exſequar.

II.

III.

IV.

V.

MEDITATIO LII.

DE VILLICO DISSIpante bona Domini sui

PVNCTVM I.

a *Luc. 16. 1.* HOMO a *quidam erat dives qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illū: quasi dissipasset bona ipsius.* Perpendendum hic est, quis sit iste homo dives, quis eius villicus, & qua ratione hic bona sui Domini dissipabat, & quomodo apud suum Dominū fuit diffamatus.

I. PRIMVM homo hic dives refert nobis Deum dominum nostrum, cuius sunt diuitiæ omnes cæli & terræ, quibus Angeli & homines fruuntur: quarum sunt tria genera. Quædam enim sunt diuitiæ corporis, quæ sunt illi vsui ad nutrimentum, vestitum, & ornatum; Aliæ sunt diuitiæ spiritus, quem ornant ac ditant b *gratia* scilicet & virtutibus; aliæ sunt virtutes æternæ, quæ sunt præmia *gloriæ* iustorum in cœlo. Has diuitias ita Deus hominibus distribuit, vt primas concedat bonis & malis, fidelibus & infidelibus; secundas solis fidelibus, immò aliquas ex illis tantum iustis; Postremas solis beatis in Cœlo. O Deus supreme c *dives in misericordia.* d *Dives in omnes qui te inuocant!* concede

b *Ephes. 1.* Ponit Apostolus diuitias gratiæ, 7. vers. & diuitias gloriæ. 18.

c *Ephes. 2 4*
d *Rom. 10. 12.*

mihi

mihi, ita diuitiis temporalibus vti, vt spirituales non amittam: & ita his negotiari, vt consequar æternas. Amen.

VILLICVS supremi huius Domini est homo, cui tradit administrationem diuitiarum, quas possidet, tam corporis quàm animæ: & quamuis eum faciat diuitiarum illarum dominum, semper tamen ille appellatur Villicus: quia ipsius dominium non absolutum est, sed Dei dominio eiusque legibus subiectum; nec licet ipsi distribuere, aut vti huiusmodi diuitiis, nisi iuxta voluntatem supremi Domini, qui illas est largitus: cui propterea rationem est redditurus, quando is illam exegerit. ad quod ipsum confectus est liber Accepti & Expensi, in quo distinctè notatur quidquid nobis est datum; & quomodo acceptum exposuerimus. I.

HINC tertiò sequitur, villicum illum censeri dissipare bona Domini sui, qui ea expendit aut illis vtitur contra diuinam illius voluntatem, & præcepta, quæ nobis in sancta sua lege præscripsit. Dissipo itaque cibum, si ob gulam comedo; & vestitum, si vtor ad solam iactantiam: & pecuniam, si in rebus prohibitis illam expendo, aut apud me retineo, & non distribuo in pauperes, quando Deus iubet: & eodem modo dissipare iudicor vitam, sanitatem, sensus, & omnes animæ facultates, quando eas insumo, aut occupo in re aliqua, quæ eum offendit, qui mihi ea dedit. III.

PRO-

IV. PROPTER huiusmodi ergo bonorum dissipationem diffamatur villicus apud Dominum suum: quia bona aut mala fama nostra apud Deum non ex hominum dictis & verbis dependet; sed ex nostris operibus: hæc enim nobis opinionem bonam conciliant, aut eam offuscant; honorem adferunt aut infamiam in ipsius oculis, quibus nihil esse potest occultum. Et quamuis totus mundus de me bonam opinionem habeat; si reuera sim malus: opera mea clamabunt contra me (sicut e *clamor Sodomorum & Gomorrheorum* clamauit ad Deum) & me apud eundem infamabunt. O Deus æterne qui ex tua infinita misericordia magnę domus huius mundi Villicum hominem constituisti, & f *omnia pedibus eius subiecisti*: ne permittas me vestigia sequi veteris Adam, qui non bonam reddidit rationem suæ villicationis in Paradyso terreno; sed gratia tua me adiuua, vt eiusmodi opera præstem, quæ me apud te commendent, vt postea me in cœlestem Paradysum admittas. Amen.

e *Gen. 18. 20.*

f *Psal. 8. 7.*

PVNCTVM II.

a *Luc. 16. 2.* VOCAVIT a *ad se Dominus villicum, & ait illi, quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.*

I. CONSIDERANDVM est primò, quod sicut homo hic diues ob informationem, quam de suo villico habuit, quod ipsius

sius bona dissiparet, officium villici illi ante tempus abstulit, & iussit reddere rationem: sic peccatorum nostrorum clamor accedens ad Tribunal Dei in causa est, cur dies vitæ nostræ minuantur; & vocamur ad reddendam rationem. Quamobrem dixit Sapiens b *ne impie agas multum: & noli esse stultus ne moriaris in tempore non tuo.* Hoc autem facit Deus Dominus noster, nunc ex iustitia in pœnam scelerum; nunc ex misericordia intercludendo malos eius gressus, qui quò diutiùs viueret, peiorem redderet rationem, & grauiorem sustineret pœnam.

b *Eccl. 7. 17*

II.

HAEC vocatio duob' solet modis accidere, *primus* est horrendus, cum Deus ita repentè vocat peccatores, vt nullam habeant præmonitionem quod iam iam sint morituri; nec tempus datur, quo possint se ad rationẽ reddendam pręparare: Alter est modus, cùm paulatim media aliqua infirmitate vocãtur, quæ præmonitio est instantis mortis; & præparationi ad reddendam rationem locũ relinquit, iuxta illud Dauidis c *pausitatem dierum meorũ nuntia mihi:* & tunc Deus dicit: *quid hoc audio de te?*

c *Psal. 101. 24.*

III.

HVIVS sententiæ vi reuocat nobis in memoriã omnia peccata, de quibus notati & diffamati apud ipsum sumus; vt audiẽtes quæ contra nos obijciuntur, purgare nos possimus in tempore: alioqui in puncto mortis eandem sententiam repetet, de culpa nos conuincens,

secun-

secundùm quam iudicij sentẽtiam feret. Quare anima mea audi nunc vocem Dei, qui suis inspirationibus & admonitionibus tibi dicit: *quid hoc audio de te?* quæ ista sunt peccata, quę perpetras? quæ ista tepiditas in qua vitam ducis? quæ ista tuæ salutationis obliuio? quæ istæ sunt pauperum & propter te afflictorum querelæ, quæ ad meas aures ascendunt? quæ hæc est incuria in tuo munere exsequendo circa ea, quæ tibi commisi? audi itaque statim hoc verbum! & tempestiuè emenda id de quo à Deo moneris: si enim in hora mortis emendatum non fuerit; verbum, quod nunc tibi dicit in salutem, dicet & tunc in tuam condemnationem.

IV. QVARTO perpendenda est horrenda seueritas illius verbi, *redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare*, quasi diceret: redde mihi rationem domûs & villæ huius mundi, quæ ad tuam habitationem creaui; plantarum etiam & animalium, quæ in tuam sustentationem condidi; thesaurorum & diuitiarum, officiorum & dignitatum quas habuisti; annorum vitæ, sanitatis, virium, & talentorum quæ tibi donaui. Redde item mihi rationem cogitationum, quas in tua memoria peruoluisti; verborum, quę ex ore tuo effutiuisti; actionum & operum, quę tuis manibus perfeciſti; gressuum, quos pedibus tuis confeciſti; & affectuum ac desideriorum omnium, quæ intus in corde tuo dispositi. Denique rationem mihi redde de omnibus quæ ad

Villici officium pertinent: *quia iam non poteris villicare.* præteriit enim iam dies, in quo licet negotiari; & d *venit nox quando nemo potest operari,* nec quicquam mereri. Peruenit iam hora, qua, licet inuitus, e *manifestari te oportet ante meum Tribunal, vt referas propria corporis tui: prout gessisti siue bonum siue malũ;* & præmium aut pœnam recipias. Hoc verbũ conabor semper ante oculos meos habere; siquidem est certum, quod perueniet aliquãdo hora, in qua mihi illud dicatur. Est autem magnæ prudentiæ ita viuere præparatum, vt bonam possim rationem reddere, quandocumque vocabor.

d *Ioan. 9. 4.*

e *2. Cor. 5. 10*

PVNCTVM III.

AIT *villicus intra se, Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationẽ? fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, vt cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaq; singulis debitoribus Domini sui, dicebat primò, Quantum debes Domino meo? at ille dixit: centum cados olei. Dixitq; illi, Accipe cautionem tuam: & sede, citò scribe quinquaginta. Deinde alij dixit, Tu verò quantum debes? Qui ait centum coros tritici. Ait illi, Accipe litteras tuas, & scribe octoginta. Et laudauit Dominus Villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.*

CONSIDERANDVM hîc primò est huius

Villici factum, sicut prima facie & in ipso cortice Parabolæ apparet: in quo ob oculos nobis proponitur genus quoddam hominum mundi huius astutorum, & sagacium ad omnem probitatem, qui nec fodere volunt, vt labore cibum suum quærant: sunt enim delicati, & otio dediti; nec mendicare volunt, quia se reputant honoratos, horrentque exercitia humilia. Quare suam sustentationem ex aliorum expensis fraude quærunt; vt suæ inopiæ consulant. In quo sensu non attulit Christus factum huius villici, vt illud imitemur; sed vt ex eius prouidentia, qua suis necessitatibus corporis tempestiuè prouidit, discamus prudentiam in prouidendo animæ nostræ necessitatibus: quia filii huius seculi in prudentia, qua negotia sua temporalia gerunt, excellunt filios lucis in ea, qua curant æterna: ideoque possunt prudentiam ab illis discere. O anima mea, conii-ce oculos in illam prudentiam & circumspectionem hominum huius seculi in modo vitæ suæ secularis; & erubesce, quod tantum tibi desit in tua religiosa & Christiana. Illi diligentes sunt & expediti ad vitium: tu deses & ignauus ad virtutem; illi vigilantes in excogitandis mediis ad malos suos fines obtinendos; tu verò iaces & dormis, negligens exsequi tua bona proposita; illi sine mora faciunt, quantum possunt, quamuis res sit difficultate plena: tu de die in diem tua protrahendo, non facis quod posses, etiamsi

illud

illud sit facilè. Pudeat itaque te minus prudentem & attentum esse ad bonum, quàm illi sint ad malum: & omisso eo quod in illis est malum, spiritu imitare quod in iisdem est bonum, tanto feruore tibi prouidens necessaria animæ, quantò illi necessaria præparant corpori.

II. Modi vitam ętetnam cõquirendi.

DEINDE perpendam spiritum, qui in hoc Villici huius facto latet, in quo varia insinuãtur exercitia, vitam æternam conquirendi: Nam alii illam quærunt fodiendo, hoc est pęnitentiam & carnis mortificationem tanquã præcipuum medium magnis rigoribus & asperitatibus assumendo. Sed hæc tamen vita, quamuis sit excellens, non est tamen pro omnibus, vt Apostolus insinuat Timotheo suo discipulo, eò quod mutli sint debiles & infirmi, nec possunt tantum rigorem ferre. Alii vitam æternã mendicando conquirunt, assumentes videlicet pro suo pręcipuo medio exercitia cõtẽplationis & orationis, in qua nihil fit aliud quã mendicare à Deo & eius Sanctis, quę necessaria sunt ad propriam salutẽ & perfectionem. Sed hæc ratio vitæ, quamuis etiam sit excellentissima, nõ tamẽ est pro omnibus: aliqui. n. non possunt semper separatæ huiusmodi & prolixæ orationi incũbere, sicut Eremitæ: eò quod præteritę vitę peccata vitia, & prauę propẽsiones verecũdiã quãdã & pudorẽ illis iniiciãt, in familiari tractatione cũ Deo; & vitæ ratio, officiũ & naturalis ipsa cõstitutio parũ ad id faueat. Qui ad neutrũ horũ vitæ

1. Tim. 4.

modum apti sunt, dicunt cum hoc Villico *fodere non valeo, & mendicare erubesco.* Quare tertia alia vitæ ratio illis superest, qua vitam æternam conquirant, eleemosynas videlicet largiendo, & alia misericordiæ opera corporalia aut spiritualia, iuxta suum talentum & capacitatem, exercendo cõsilium illud Apostoli sequentes: a *exerce teipsum ad pietatem, quæ ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ:* huiusmodi enim charitatis & misericordię operib⁹ obtinetur à Deo venia b *peccatorum*, & magna dona gratiæ in hac vita & postea æternæ vitæ præmiũ.

a 1. *Tim.* 4. 7.

b *Tob.* 4. 10 11.

b *Eccl.* 3. 34

HOC est autem quod Christus Dominus in fine parabolæ intulit: *& ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt, cũ defeceritis, recipiãt vos in æterna tabernacula.* Vbi nomine mammonæ iniquitatis intelligit diuitias temporales, quamuis licitè acquisitas: aut quia tantum mali, qui suam in eis felicitatem ponunt, & c *beatum dixerunt populũ cui hæc sunt*, diuitias appellant: iusti enim & perfecti, sicut Apost. d *omnia huiusmodi arbitrantur vt stercora*, & illas fugiunt; aut quia occasionem innumerabilium malorum culpæ & pœnæ adferunt, si inordinatè amentur, iuxta illud Apostoli: e *qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli & desideria multa inutilia & nociua*, &c. Possunt nihilominus esse instrumenta ad conquirẽdas diuitias spirituales iis, qui hoc Christi consiliũ amplectuntur, cũ exhortatur, vt ex huiusmodi

S. *Aug. lib.* 2. 99. *Euan.* c. 34. *tom.* 2.

c *Psal.* 143. 15.

d *Phil.* 3. 8.

S. *Ambros. lib.* 7. *in Luc. cap. vlt.*

e 1. *Tim.* 6. 9.

modi diuitiis *faciant sibi amicos; vt, cū defecerint, recipiant illos in æterna tabernacula*: exercentes erga pauperes omnia opera misericordiæ, quæ amici sunt fidelissimi & potētes, & e *fiducia magna erit* (vt ait Tobias) *coram summo Deo omni facienti eleemosynam*: vt, si culpæ morte moriatur, ab ea liberetur, collatis illi gratiæ suæ diuitiis; & quando temporali morte diē suum clauserit, liberabit eū ab æterna, replēdo illū sua gloria in Tabernaculis, quæ appellat æterna: quę eò amplius excedunt diuitias huius vitæ in præstantia & magnitudine, quò excedunt in diuturnitate. Et hoc permouere nos debet, ad gratias infinitas ei agendas, qui tale cambiū & commutationē instituit, qua facultas suppeteret, terrena pro cælestibus tam facilè commutare; & diuitiis adeo abiectis, quales sunt istæ terrenæ, posse nobis duo genera amicorum lucrari, qui nobis cęlestes negotientur: opera videlicet misericordiæ g *quæ posita in corde pauperis*, vt ait Sap. *pro nobis exorant ab omni malo*; & ipsos pauperes, quorū orationes exaudit Deus quādo pro eo orant, qui illis benè fecit. O benignissime Deus, illustra & accende corda h *diuitum huius sæculi* splēdore & igne tuæ gratiæ & charitatis; vt diuitiis, quas illis dedisti, *diuites fiant in bonis operibus*; & faciant sibi amicos pauperes & iustos terræ, & Angelos ac Sanctos cœli, quorum intercessione recipiātur in Tabernaculis æternis, apprehendentes vitam æternam. Amen.

c *Tob. 4. 11.* Ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.

g *Eccl. 29. 15.*

h *Tim. 6. 17. 18.*

MEDITATIO LIII.

DE PVBLICANO ET Phariſæo aſcendentibus in templum, vt orarent.

PVNCTVM I.

[a] *Luc. 18. 9.*

DIXIT IESVS *ad* [a] *quoſdam, qui in ſe confidebant tanquã iuſti, & aſpernabantur cæteros, Parabolam iſtam: Duo homines aſcendebãt in templũ vt orarent: vnus Phariſæus & alter Publicanus. Phariſæus ſtans: hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi quia non ſum ſicut cæteri hominum: raptores, iniuſti, adulteri: velut etiã hic Publicanus. Ieiuno bis in Sabbatho: decimas do omnium quæ poſſideo.*

Actus ſuperbiæ.

IN prima hac Parabolę parte notandi ſunt deteſtandi actus ſuperbiæ quos Phariſæus iſte in ſua oratione oſtendit, facienſque reflexionem in meipſum, videbo nũ ſimiles etiam in me ſint, vt eos repellam.

I. PRIMVS actus fuit, exiſtimare ſe ſanctum & virtutibus plenum: ex quo factum eſt vt nihil ſua oratione à Deo peteret, nec peccatorum veniã, nec vt ipſum Deus conſeruaret, aut dona augeret, atq; ſi nihil horum indigeret.

II. SECVNDVS actus fuit, prætextu actionis

gratia-

gratiarum, seipsum laudare, & iactare bona opera sua, voluptatem quandam ex eis sibi hauriens: ore itaque tantum gratias Deo agebat, & ideo dicit *apud se* & secum ipse, non apud Deum, *orabat*.

III. TERTIVS actus fuit; seipsum omnibus aliis hominibus præferre, seipsum meliorem & iustiorem reliquis iudicando, & ita in virtute singularem atque si inter omnes ipse solus bonus esset.

IV. QVARTVS fuit, magni facere sua bona opera, quamuis essent in se exigua: quia ea cum aliorum sceleribus conferebat; cùm cõtrà facere oportuisset: solumque æternorum operũ rationem habuit, qualia erant ieiunare & decimas dare, quæ tam ob inanem potiùs gloriã, & iactantiã faciebat; nihili faciens, quod b *similis esset sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia*, & fœtore grauium peccatorum.

b *Matt. 23. 27.*

V. QVINTVS fuit, reliquos homines contemnere, & inter alios etiam Publicanũ sociũ orationis: præterea de ipso temere iudicabat, quod adhuc esset peccator, cũ posset ex signis, quæ in illo videbat, existimare ipsum pœnitere, & iam esse conuersum. In his omnibus apparet, quàm cœcus esset hic Pharisæus, & quam ipsa superbia sit cœca ad res suas & alienas cognoscendas, quam delineat Christus Dominus noster in Apocalypsi in quodam prælato, huic Pharisæo simili, qui dicebat,

c *Apoc.3.17* c *Dicis sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis*, inquit Christus, *quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cœcus, & nudus.* O superbiam detestandam! ô bestiam prodigiosã! cœcam ad videnda propria mala, & præsumentem de bonis quæ non habes! d *Matt.7.3* d *videntem festucam in oculo fratris tui, trabem autem in proprio tuo oculo non videntem*! quia verè teipsam non vides: quia trabs es, quæ mentis oculos excęcat. Cõfiteor tibi Deus meus, quod fuerim huius Pharisæi vestigia secutus, qui cũ professione essem religiosus, fui in vita prophanus: sed tua gratia me ita potes mutare, vt vita sit conformis professioni.

PVNCTVM II.

a *Luc.18.13.* CONSIDERANDA secũdò est oratio Publicani, a *qui longè stans* (nõ audens accedere sicut Publicanus ad superiorẽ partem templi) *volebat nec oculos ad cælum leuare: sed percutiebat pectus suum dicens*: Deus propitius esto mihi peccatori.

Actus humilitatis.

PERPENDENDI sunt hic actus humilitatis, quos hic Publicanus edidit, contrarios illis, quos ediderat Pharisæus.

I. PRIMVS actus fuit humilitatis: indignum se agnoscere, qui esset propè Deum, immò & propè ipsum Pharisæum: ideoque secessit lõgè ad inferiorem partem templi, eligens ex humilitate locum vltimum inter omnes.

II. SECVNDVS actus fuit, non audere oculos suos in Cælum leuare: iudicans nullum se

præmium à Deo promereri, nec ſua opera poſſe coram eo comparere: ideoque ex pudore illos habebat defixos in terram.

TERTIVS fuit, percutere pectus ſuum, in ſignum doloris interni, quem de ſuis peccatis ſentiebat; & deſiderij, quod habebat, caſtigandi carnem ſuam propter illa: coniungens hac ratione tres partes humilis pœnitentiæ: cor videlicet contritum & humiliatum; humilem peccatorum confeſſionem; & pro eis ſatisfactionem eo modo, quo poterat. III.

QVARTVS fuit, petere à Deo veniam ſibi ſoli, atque ſi eſſet ipſe ſolus peccator in mundo: non iudicans de aliis, quòd peccatores eſſent, nec quidem de ipſo Phariſæo. Et ſi forte verba audiuit Phariſæi, quibus ſe videbat ab illo contemni: non tamen indignatus eſt contra illum, iudicans ſe vere dignum, qui contemneretur. IV.

QVINTVS actus fuit, plurimùm confidere in miſericordia Dei: nõ enim verbis prolixis orauit, iudicans, apud Deum pauca ſufficere; nec in verborum prolixitate ſe citius exaudiendum. O ſupremam humilitatis virtutem, virtutum omnium magiſtram! tu me doces amare Deum, in eo cõfidere, reuerentiam cum amore ei exhibere, neminem contemnere, ſed me potiùs omnibus ſubiicere, & omnium me viliſſimum iudicare. Vtinam liceret, felicem hunc Publicanum, non iam Publicanum, ſed Sanctum imitari! eius enim humilitas eiuſdem prodit ſanctitatem. Huius Publicani V.

spiritu repetam sæpiùs breuem, sed feruentem eius orationem dicens: *Deus propitius esto mihi maximo peccatori*, & in particulari exprimens aliqua peccata, dicam Deus propitius esto mihi superbo, mihi impatienti, mihi vltori, &c.

PVNCTVM III.

a *Luc. 18. 14* TERTIÒ loco expendenda est sententia, quam Christus Dominus, vt Iudex rectissimus, de duobus his hominibus tulit: *Dico*, ait, *vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur.*

I. PRIMVM in hac sententia perpendam, Christum tanquam Iudicem supremum non in externis rebus sistere, sed ad corda, ad intentiones, & affectus cordis penetrare, (ex quo externa proueniunt opera) & iuxta illos sententiam proferre iustificationis aut damnationis: contrà quàm homines faciunt, qui solùm externa considerantes, non rarò decipiuntur.

II. DEINDE considerandum, quàm sit potens humilitas, Deoque grata: siquidem publicos peccatores facit viros valde iustos: contrà verò, quàm sit detestanda superbia, siquidé eos, qui erant iusti, ita peruertit, vt mutet in magnos peccatores. Causa verò est, quòd superbus sibiipsi, ex vana complacentia, virtutes tribuens, illas destruit, Deo illum humiliãte, propterea quòd superbierit. At humilis tribuens sibi sua peccata, dolore illa & vera dis-

plicen-

plicentia dissoluit, Deo illum exaltante, quia se ipse humiliauit.

III.

HINC progrediar ad perpendendam generalem illam sententiam, qua Christus Dñs parabolã hanc concluſit: *Omnis qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur.* omnis itaq; homo cuiusq; sit status & cõditionis, Ecclesiasticus, Secularis, aut Religiosus, nobilis aut plebeius, doctus aut indoct⁹, magnus aut paruus, si verè se humiliat, exaltabitur; & in eo ipso, in quo se ipse humiliauerit, Deus exaltabit illum, vel in hac vita (si hoc illi expedit) ipsum honorando, aut eius opinionem apud homines augẽdo, ac donis suis magnum & insignem illum faciendo; & in futura vita amplius eum coronâ glorię clarificando, illumque cum principibus sui regni cęlestis collocando. Contrà verò quicunq; etiam fuerit, qui superbè se exaltauerit, humiliabitur in hac vita vel in altera, vt expẽdimus meditatione 17. 1. partis.

Prou. 16.19. & 18 12. & alibi. Luc. 18.14. & 14.11. Mat. 23.12.

EX his omnibus magnum concipiam humilitatis amorem, & horrorem superbiæ; ea firma spe in hac Christi promissione fundata, me propterea quòd sponte me humiliem non amissurum exaltationem, quæ mihi erit ad salutem obtinendam expediens; tremam verò, si superbiero: quia æquè tunc erit certa mea ruina & confusio.

MEDITATIO LIV.

DE PATREFAMILIAS conducente operarios in vineam suam.

PVNCTVM I.

2 Mat 20.1. SIMILE *est a regnum cœlorum homini Patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam. Conuenit autem cum operarijs ex denario diurno. Et egressus circa horam tertiam, (quæ erat nona hora) inuenit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis, ite & vos in vineam meam; & quod iustum fuerit dabo vobis. Iterum exijt circa sextam & nonam (*hoc est duodecimã, & tertiam post meridiem*) & fecit similiter: circa vndecimam verò (*hoc est quinta vespertina*) exijt, & inuenit alios, & dicit illis, quid hic statis tota die otiosi? dicunt ei, quia nemo nos conduxit. Dixit illis, ite & vos in vineam meam.*

CONSIDERANDVM hic est, quis hic sit Paterfamilias, quæ hæc vinea, qui operarij, quomodo, quibus horis, &, qua ratione vocentur?

I. PATERFAMILIAS est Deus Dominus noster verus Pater duarum familiarum, quas habet

bet in cœlo & in terra, Spiritus videlicet beatos, & homines peregrinos, solicitus valde de suorum bono, adeoque in particulari de singulis, atque si familia esset parua. Ac propterea, licet sit Rex supremus & Monarcha, vocatur tamen Paterfamilias, cuius curæ ad singula etiam minuta circa domesticos suos se extendit. O felicem illum, qui in tali domo versatur, sub tanto protectore & directore.

II. EIVS vinea est fidelium congregatio, quamuis magis in particulari illa quæ est iustorum: eò quòd illi sint vites aut palmites eius selectiores, qui & fructus benedictionis, & vinum amoris diuini proferunt; quos, cùm Paterfamilias hic amputat, transfert ad vineam cœlestem, quæ est congregatio beatorum.

III. OPERARII, huius vineæ sunt homines, ad quos spectat animas colere, fodiendo & putando illas ligone & putatoria falce mortificationis & pœnitentiæ; ac procurando, vt aptum & copiosum, nõ labrusca rum, sed botrorum & vuarum maturarum, hoc est operum Deo placentium fructum proferant. Sunt autem aptiores illi operarij, qui exẽplis & verbis laborant, vt doceant & colant alios, qui serio Deo seruiant: quales sunt Prælati & multi religiosi.

IV. AD hoc illos vocat ipsemet Deus: b *nemo enim potest venire ad me*, ait Christus Dominus, & ingredi in hanc vineam, & in ea operam suam collocare, *nisi Pater traxerit eum*. Vocat autem illos internis inspirationibus, b Ioan. 6. 44

& illu-

& illuſtrationibus; vtens tamen interdũ concionatoribus, aut alijs rebus externis tãquam inſtrumentis: interdum verò per ſeipſum, magnam eis lucem & vehementem inſpirationem iniiciendo.

V. EXIT tamen *primo mane*, quia deſiderat ipſe, omnes homines ſtatim atque rationis lumen illis illucet, eſſe aptos operarios, qui non otientur: ideoque omnes vocat; & ſufficienti vocatione, vt veniant, inuitat: licèt non omnes illi obediant, nec venire velint. Sed tanta eſt eius miſericordia, vt non deſiſtat à vocando in omni vitæ eorum ætate, idque ſæpiſſime. Aliqui efficaci vocationi annuentes, ab infantia cõuertuntur; alij in adoleſcentia, alij in media ætate, alij in ſenectute, alij denique paulò antè mortem. Aliquos vocat promiſſionibus, & pactis initis; qui cõuertuntur tanquam mercenarij ob intereſſe & ſpẽ præmij: Alios vocat repræhẽſionibus internis, iniquæ eorum vitæ turpitudinẽ oſtendendo, & ſimul aliquid præmij, prout par erit, illis, offerendo: Alios denique vocat imperio, & iubendo ire ad labores, ob amorem virtutis & ſtudioſæ occupationis.

EX his conſiderationibus varios hauriam affectus, gratitudinis, laudis huius Patrisfamilias ob ſolicitudinem, quam oſtendit in his vocationibus; affectus etiam doloris & pœnæ, quòd multi vocationi reſiſtant, & ego interdum reſtiterim: ſtatuens, in poſterum valde ſerio obedire. O ſupreme Paterfamilias, tuæ

vineæ, & operariorum ad eam vocationis ſolicitę! tu Domine in lege naturæ & ſcripta ſæpè exiuiſti ad operarios vocandos, & elegiſti magnum numerum Patriarcharum, Prophetarum, & iuſtorum aliorum tibi charorum: poſtea etiam per incarnationem factus homo prodiiſti, & prædicatione tua vocaſti, & elegiſti multos Apoſtolos & Diſcipulos, per quos etiam innumeros alios: nec ceſſas exire quotidie ad eos vocandos: Exi ergo nũc Domine ad illas Gentilium regiones, ipſosq; infideles efficaciter voca; vt fidem tuam recipiant. Exi etiam, & per Eccleſiam tuam efficaciter voca peccatores, vt ad te cõuertantur; exi etiam per iſtum orbem & voca multos iuſtos, qui te in via perfectionis ſequantur: nec me obliuioni tradas; ſed efficaciter & frequenter ad omnium virtutũ exercitationem voca: vt anima mea bene culta & exercita copioſos fructus proferat; quos tu deſideras.

PVNCTVM II.

CVM *ſerò a eſſet factum, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos. Dedit ergo ijs, qui circa vndecimam horam venerant, ſingulis denarios: & alijs operarijs ſimiliter.* a *Mat. 20. 8*

CONSIDERANDVM hic primùm, æternum Patrem IESV Chriſto Domino noſtro, qua homo eſt, iudicium operariorum & eorum

ad

ad mercedem accipiendam vocationem commisisse, iuxta illud b *Pater potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.* hoc autem fit in fine vitæ cuiusque, quæ tota reputatur vnius diei, quia etiamsi valde sit diuturna; si tamen cum æternitate conferatur, censebitur vnius diei, & quidē breuissimi, c *quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præterijt.* Item quia quotidie ita strenuè esset nobis laborandum, atque si vltimus ille esset totius vitæ nostræ. Memor itaque esto anima mea, postremæ huius vocationis ad coronam recipiendam; vt hac memoria teipsam excites ad consentiendum cuicunque vocationi, qua vocaberis ad labores: si enim huic primæ restiteris; nō peruenies ad secundam, qua merces distribuitur.

b *Ioan 5. 27*

c *Psal. 89. 4.*

II. DEINDE perpendendum, quòd omnes operarij tàm primi quàm nouissimi, tàm qui maturè incipiunt, quàm qui tarde veniunt, accepturi sint suam mercedē: nec vlla hora laboris sit absq; mercede transitura: ac porrò quo erunt opera plura & præstātiora, eò erit merces maior, iuxta id quod Christus Dominus dixit, d *Filium hominis venturum, & tunc redditurum vnicuique secundum opera sua.*

d *Matt. 16. 27.*

III. TERTIÒ præ aliis est considerandum: hunc laborem, quod ad eius præmium spectat, non tam æstimari ex temporis diuturnitate, quàm ex feruore, diligentiæ, & amore cum quo suscipitur. Ex quo prouenit, vt nouissimi operarij, vnius solius horæ labore tantum mercedis

promeriti sint, quantum reliqui labore totius diei, propter feruorem in laborando, propter humilitatem, & charitatē: quia se aliqua mercede indignos iudicabant, cùm cæteri ignauiter, & propter interesse laborarint; ac propterea de seipsis, & labore suo tanquam prolixiori, multū præsumebant; cùm tamen apud Deum pluris fiat vnius horæ labor feruens & expeditus, quàm duodecim horarum pigrè & ignauiter. Et ita præter essentiale præmium, datur illis nouissimis etiam accidentale, quod Euangelista appellat quod ipsi sint primi in præmio recipiendo.

EX quibus aliquot documenta in meam vtilitatem traham; nam si nouissimi operarij vna hora tantum præmium sunt promeriti; quantum promeriti fuissent, si toto vitæ tempore illo modo laborassent? & si possent in cœlo sancti dolore aliquo afici, quanto afficerentur, quòd non statim respondissent Diuinæ vocationi, & ab infantia Deo seruire cępissent; & qui ab infantia vocationem audientes seruire cæperunt, & diu quidem seruierūt sed remissè; quanto dolore propterea afficerentur, aduertentes, quòd, si toto illo tempore feruenter seruiuissent, ampliorem multo gloriam fuissent consecuti? O anima mea, si quidem adhuc es in tempore laborandi, excitare & labora nunc, sicut in die, quo merces reddenda est, velles laborasse: propera, quia tempus breue est, ingens vero præmium: & quilibet glorię gradus, qui obtinetur, est ęternus:

nus: nec decet ob ignauiam, iacturam facere eius boni, quod durat in æternum.

PVNCTVM III.

a *Matt. 20. 11.*

PRIMI operarij videntes se nihil plus accipere quàm nouissimi, a *murmurabant aduersus Patremfamilias dicentes: hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus. At ille respondens, vni eorum dixit; Amice non facio tibi iniuriam: nonne ex denario cõueniſti mecũ? tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*

I. PRIMVM est hic considerandus scopus Christi Domini in his verbis, quibus significauit, tanta esse præmia & fauores, quibus feruenter feruientes, qui breui tempore multum & valde exactè laborarunt, ipse prosequitur; vt, si cæteri beati, qui tam feruentes non fuerunt, non haberent diuinum lumen, quo Dei bonitatem & æquitatem cognoscerent, solumq; more hominũ huius mundi rem ipsam considerarent, murmurarent, conquererentur & tangerentur inuidiâ propter ea, quæ Deus cum feruentibus agit. Benedicta sit huius Patrisfamilias liberalitas, qui dans singulis meritum præmium, liberalissimè tamen retribuit & compensat, quòd ipsius amore & intuitu est factum.

DEIN-

DEINDE perpendendum, qua ratione CHRISTVS Dominus hic referat eorum proprietates, qui in hac vita multis annis illi seruiunt, sed remisse, illis contrarias, quas habent qui breui quidem tempore, sed cum feruore seruiunt. II.

Prima proprietas est, quòd præsumant de suis operibus & seruitiis propter eorum diuturnitatem; ideoque existimant magnum se præmiũ recepturos; cùm alij nec de se præsumant, nec præmio dignos se esse existiment.

Secunda, quòd portent pondus diei & æstus: quia tepiditas facit ipsa virtutum opera grauia, etiamsi alioqui sint parua: contrà verò feruor in causa est, vt virtutum labores, etiamsi alioqui graues, nec sentiantur tamen: Ex quo fit, vt tepidi multum defatigentur, & proficiant parum; feruentes contra parum defatigentur, proficiant verò multum.

Tertia, quod tepidi sint mercenarij; & lucra sua quærentes semper sint pleni querelis, & secretis aduersus DEVM murmurationibus: quòd ipsis non faueat, nec indulgeat, & aduersus homines, quòd ipsos non honorent, nec promoueant; cùm feruentes contrà Deo seruiant, non mercedis & lucri intuitu, sed solius amoris: ideoque nullam inueniunt causam, cur de Deo conquerantur; potiùs ex animi demissione quemcunque fauorem à Deo accipiant, magni æstimant; & eo se indignos iudicant. *Quarta*, quòd tepidi sint inuidi, & quasi carie consu-

mantur, cùm vident gratias & beneficia, quæ Deus feruentibus confert; quos propterea vellent è medio sublatos, eosq; contemnunt, & quasi in virtute Tyrones sugillant, obiicientes, quòd tarde ad laborandum in vinea & Ecclesia Dei accesserint: Feruentes verò laborant, & tacent; optantes, Deum omnibus benefacere. O Pater cœlestis, qui adeo faues operariis diligentibus & solicitis in tuo obsequio, euelle ex corde meo omnem teporem & laxitatem; & adiuua, vt semper feruenter seruiam, & gaudeam in corde meo, plurimos alios hac tibi ratione seruire. ne permittas me adeo esse nequam, vt oculus meus inuidiâ tabescat, eo quod tu sis bonus. Gaudeo & exulto Domine, quòd adeo sis bonus, & benignus, vt omnibus bene facias: lætorque de beneficiis, quæ aliis plus quàm mihi confers; quia scio te in omnibus esse bonum, iustum, & sanctum.

PVNCTVM IV.

CONCLVDIT Christus Dominus Parabolam dicens, a *sic erunt nouissimi, primi; & primi, nouissimi. Multi enim sunt vocati: pauci vero electi.*

a *Matt. 20. 16.*

I. CIRCA primam partem huius sententiæ est considerandum, multos in hac vita haberi primos in sanctitate, aut propter annorum & temporis diuturnitatem, qua Deo seruiunt; aut propter externorum operum speciem, quæ valdè mouent; aut propter statûs

& offi-

& officij excellentiam, quia est status perfectionis; aut propter famam & nomen iustorum, quod aliquo tempore obtinuerunt: qui tamen in die Iudicij & vltimæ rationis habebuntur nouissimi: quia in oculis Dei tepidi fuerunt; & proprium lucrum spectantes, valde fuerunt interiùs imperfecti. Contra verò aliquos, qui in hac vita nouissimi esse videntur, vel quòd aliquando magni fuerint peccatores; aut paruo tempore Deo seruierunt, aut se ex humilitate & patientia occultarunt, in rebus abiectis & humilibus operam suam collocantes: Et hi erunt postea primi, ob feruorem & puritatem, quam in Dei oculis habuerunt: sicut etiam eueniet, aliquos qui hic iusti videbantur, postea damnari tanquam peccatores; alios vero qui peccatores videbantur, postea exaltari tanquam iustos. Ex quo discam diligenter attendere, quo modo viuam; ac desiderare esse primum non in oculis hominum; sed in oculis Dei; qui videt omnia & iudicaturus est me, non habita ratione loci primi, aut nouissimi, quem in mundi opinione occupauerim. Simul verò timoris affectus concipiam, tremens iudicia Dei & sortem, quæ me continget: siquidem fieri potest, vt hodie reuera sim primus, & cras meâ culpâ sim nouissimus.

II. DEINDE perpendenda est altera illa sententiæ pars: *multi sunt vocati, pauci vero electi*. vt enim inter omnes homines huius vniuersi, qui à Deo vocantur, vt fidem & gratiam

eius recipiant, plurimi sunt peccatores, qui huic vocationi resistunt; pauci verò iusti qui ei consentientes eliguntur, vt ad cœlum perueniant: ita etiã inter ipsos iustos, qui vocantur ad vitam perfectam, multi huic vocationi resistunt, viuentes in quadam tepiditate; & quadam mediocritate contenti; pauci verò sunt electi & perfecti, quia semper quod est pretiosum, est rarum. O Deus infinite, qui omnes vocas, &, vt perfectionem sequantur, inuitas: supplico tuæ Maiestati, vt electorum numerum augeas, vt multi sint perfecti, sicut tu es perfectus. Fac etiam Domine, vt vnus ego sim horum, respondens perfectioni meæ vocationis, vt in me & per me glorificeris in secula. Amen.

MEDITATIO LV.

DE PARABOLA vineæ.

PVNCTVM I.

a *Matt. 21. 33.*
a *Marc. 12.1*
a *Luc. 20*
a *Isaiæ 5. 2.*

HOMO *erat* a *Paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis: & peregrè profectus est.*

I. PERPENDENDA primùm est suprema Dei prouidentia erga vineam Ecclesiæ suæ:

quæ

quæ in tribus præcipuè elucet, quæ *Sepe, Torculari,* & *Turri* significantur. SEPS est *Protectio* b *Angelorum*, qui illam *circundant*, & à Dæmonibus defendunt; prohibentes feras, hoc est eius persecutores, ne eam conculcent: & c *singulos* tanta vigilantia tuentur, atque si vnus solus esset vinea. Est autem multò fortior seps, ipsiusmet Dei protectio: quia d *Dominus in circuitu populi sui*, protegens eum subsidio inspirationum suarum: sepiuit enim illum præceptis; præmuniuit promissis magnorum præmiorum, iis qui illa custodierint; & horrendarum pœnarum minis in eos, qui illa transgredientur.

b *Psal.31. 7. 10.*

c *Psal.90.11.*

d *Psal.124.*

TORCVLAR est multitudo *Sacramentorum & Sacrificiorum*, in quibus colligitur sanguis IESV Christi calcatus & expressus trabe crucis; cuius virtute communicatur venia peccatorum; & distribuitur vinum charitatis: inter omnia autem primas tenet sanctissimum *Sacramentum & sacrificium Altaris*, in quo CHRISTVS Dominus ipsum Corpus suum & Sanguinem reposuit, vt nos vino sui amoris inebriaret. TORCVLAR est etiã Lex diuina cum suis præceptis & consiliis perfectionis; e *cuius finis*, vt ait Apostolus, *est purum charitatis vinum*, depuratum à rerum terrenarum folliculis, & à culpis omnibus defœcatum; trabe mortificationis & pœnitentiæ, & pondere humiliationis & obedientiæ expressum.

e *1.Tim.1.5.*

TVRRIS est specialis magni nostri Dei *prouidentia*, qua futura præuenit in bonũ Ecclesię suæ, & singularum animarũ: *Templum* item & orationis *domus*, in qua inuocatur f *nomen Domini* qp est *turris fortissima* ad nostrã defensionẽ, multitudo quoque Prælatorũ & Magistrorũ, qui speculatorũ instar vineę inuigilãt, ne aut ferę dilanient, aut vulpes destruãt. Denique TVRRIS est alta & suprema *doctrina* sacræ *Scripturæ* & *Euangeliorũ*, qua eleuatur cor nostrum à terrenis ad cœlestia: habetq; sicut *Turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis, ex qua mille clypei pendẽt, & omnis armatura fortiũ*, arma offensiua & defensiua magnorũ documentorum, & subsidiorũ aduersus tentamenta & molestias hostiũ nostrorũ, tàm occultorum, quàm manifestorum. O Paterfamilias supreme, gratias tibi ago pro beneficiis quæ g *vineæ huic* confers, *quam plantauit dexteratua*: & siquidem me in illa collocasti, accipe etiã sub tua protectione & tutela; inebria me vino amoris tui; lætifica in domo orationis tuæ; guberna per tuos ministros; & lumen mihi communica, quo fructum ex tua doctrina ita hauriam, vt perfectionem, ad quam illa dirigitur, obtineam.

f *Prou. 18. 10*

g *Psal. 79. 16*

II DEINDE considerandum, quo pacto Deus Dominus noster hãc vineam locauit agricolis & conductoribus, qui sunt homines; non venditione sed locatione. ipse enim retinet sibi dominium: exigit autem à nobis, vt ita illam colamus, vt benedictionis fructum adferat:

quis-

quisque autem partem, quæ sibi contingit, hoc est propriâ animâ, & animas illorum, qui ipsi sunt commissi, colere debet.

TRADITA autem vineâ, *peregrè profectus est:* vt significet se in hoc negotio gerere tanquam absentem, libertati nostræ nos relinquens, nulla vi adhibita, atque si nec nos videret: quamuis reipsa omnia videat, & sit vbique. In his considerationibus mecum ipse colloquens dicam: stude esse liberalis in Deũ sicut ipse est in te: Et quandoquidem Deus te fecit tam pretiosæ vineæ conductorem; redde fructus copiosos, vtendo in eum finem Sepe, Torculari, & Turri, quæ in ea sunt. Et siquidem ipse locator quasi absentem se facit, vt tuam experiatur fidelitatem: tu ita fideliter illi seruias, atque si præsentem semper cerneres; vt sic peruenias ad eum videndum, sicut habes in votis. O Deus liberalissime, qui huius vineæ prouentus à me exigis, non ob tuum, sed ob meum commodum: concede mihi abundantes proferre fructus, non ad meam, sed ad tuam gloriam, in secula Amen.

PVNCTVM II.

CVM *autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerant. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt* a *Matt. 21. 34.*

illis similiter. Nouissimè autem misit ad eos filium suum dicens: verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se, Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.

I. CONSIDERANDA hîc est suauis Dei prouidentia in hosce conductores: qua eos variis mediis ad bonum impellebat; & contra illorum detestanda in ipsum Deum malitia, qua omnia illa media repulerunt. Præmittendum est autem, tempus fructuum esse illud totum, quo mortalis hæc vita durat: nam post mundi finem, & cuiusque mortem, non est amplius tẽpus reddendi fructus, quamobrem dicit Apost. b *dum tempus habemus operemur bonum ad omnes*, nostras videlicet animas & proximorum nostrorum: elapso enim hoc tempore nullum suppetet nobis remedium.

c Gal. 6. 18.

II. HOC præmissio, perpendenda est eiusdem Patris familias Dei infinita charitas, qui semper & omni tempore hanc curam ostendit, mittendo Patriarchas, Prophetas, & Prædicatores; qui agricolas illos conductores exhortarentur ad laborandum in bonum animarum suarũ: & licet homines rebelles fuerint adeò, & impudentes, vt huiusmodi Prophetas & Prædicatores grauiter exceperint, & occiderint; ipse ex infinita sua benignitate, pro igne, quo tales homicidas incendere po-

tuit-

tuisset, dedit illis Filium suum vnigenitum, hominem factum: vt per seipsum veniens idem illis prædicaret, & ad idem exhortaretur, ad quod alii Prophetæ: Adeò tamen iniquitas cõductorum illius temporis creuit, vt (ô inauditum facinus) ausi fuerint vnigenitum Patrisfamilias filium extra vineam, quæ ipsius erat eiicere & occidere, tradentes eum Gentibus; à quibus tanquam Agnus mansuetus passus est se comprehendi, flagellari & crucifigi extra ciuitatem Ierusalem: qui suo pretioso sanguine irrigare voluit vineam, vt copiosos fructus proferret. O Pater æterne, quam tibi vtilitatem fructus attulerunt huius vineæ, vt ad illos vrgendos, proprium filium mitteres, benè conscius quam malè esset à conductoribus excipiendus? O Fili Dei viui, cur adeò deperis hanc vineam vt velis pro illa mori? O amorem filii Dei excellentissimum! nunc Domine video, quàm verè dixeris: c *quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei?* verè Domine summum fecisti, quod facere poteras; dum factus es homo, & mortuus pro homine. Sed homo ingratus & rebellis non potuit econtrà magis detestandum facinus admittere, quàm te vitâ priuare, tuæque prædicationi resistens, bona, quæ illi locaueras, sibi vt propria vsurpare, Sed hoc totum me, vt te amem, inuitat; & vt laborem, quò fructum, quem tibi debeo, reddam:

c Isa. 5. 4.

& fa-

& faciam ego ſummum quod potero oſequii tui causâ, ſicut tu feciſti quod ſummum poteras meæ vtilitatis intuitu.

III. Mox perpendam continuatam Dei ſolicitudinẽ in me mouendo per prædicatores, ſpiritûs Magiſtros, & alios ſuos inuiſibiles ſeruos, qui ſunt eius inſpirationes, vt vineæ animæ meæ curam diligentem habeam: quamuis ego adeo ſim improbus, vt ſæpè illos grauiter excipiam; & d *extinguam ſpiritum*, qui ad bonum me incitat; & conſcientiæ dictamen calcem, quod me reprehendit, quandocunque aliquid mali facio & e *rurſus crucifigo mihimetipſi filium Dei*: eundem expellens ex corde meo, vt peccato aditum præbeam. Et quamuis eouſque æterni patris bonitas ſit progreſſa, vt voluerit proprium filium in medio vineæ ſuę Eccleſiæ remanere, in ſanctiſſimo altaris ſacramento, vt huiuſmodi eius præſentiæ rationem habens, me ad laborandum, & animam meam colendam animarem, nec hoc tamen ſatis fuit, vt id ego exequerer. O rebellẽ duritiem, ô ingratam rebellionem, & ingratitudinem cordis mei deteſtandam! cur tot fauoribus Dei non molleſcis ad ſeruiendum, vt par eſt, huic Domino, à quo accipis tanta bona? adiuua me Deus gratia tua, vt ex nunc vitam nouam incipiam.

d 1. *Theſ.* 5. 19.

e *Heb* 6. 6.

PVNCTVM III.

ABSOLVTA Parabola dixit Chriſtus ad Phariſæos a *cùm ergo venerit Dominus*

a *Matt.* 21. 40.

vineæ

vineæ, quid faciet agricolis illis? aiunt illi, malos malè perdet: & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant illi fructum temporibus suis. Dixit illis IESVS, *ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei & dabitur genti faciēti fructus eius.*

PERPENDENDVM hic primò est, quâ sit iustus Deus in iudiciis suis! siquidem ipsimet eius inimici sententiam contra se protulerunt, quam ipse protulisset. quam verò sit detestanda hominis malitia contra Deum! siquidem idem ipse, qui eam habet, in tertio aliquo positam reprobat & condemnat, eandem contra se ferens sententiam, quam Deus iustissimè protulisset, vt pro meritis castigaret. O Pater misericordię & iustissime Iudex, moderare iustam iram tuam magnâ misericordiâ tuâ: & si huiusmodi Parabolis, nos velis cōuincere; ne id, quæso, fit ad nos condemnādos sicut istos Pharisæos; sed vt culpas nostras agnoscentes, sicut Dauid, pœnitentiam pro illis faciamus. I.

DEINDE perpendenda est horrenda illa, licet iustissima pœna, quam Christus minatus est Iudæis: *auferetur à vobis regnum Dei,* quod idem est, atque ipsa vinea cum sepe, torcular, & turri: illos ob suam pertinaciam deserens, quò facilè destruerētur. Abstulit illis ius, quod habebant ad sacramenta & sacrificia, ad sacros libros & leges regni Messiæ: omnia hæc transferens ad Gentes, ex quibus suam collegit Ecclesiam. Quare anima mea, II. 2. Reg. 12. 13

expe-

experimentum cape in capite alieno, priusquam vltio veniat super tuum: attende, quod Deus eos deserat, qui ipsum relinquunt. Et nouit benè, fidem suam ab vno regno in alterum, & regna ipsa & dignitates ab vno homine in alium transferre; auferendo illa ab eo qui habet, propter eius culpã; & alios in eius locum substituendo: & si aliquis deficit in fide, aut religione quam est professus, vocabit innumeros alios, qui in ea perseuerantes fructus eius proferant. b *Tene igitur quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.*

b *Apoc. 3. 11*

MEDITATIO LVI.

DE PARABOLIS AD NVptias, & ad cœnam inuitatis.

HAE duę Parabolę simul pro eadem meditatione assumi possunt, ob magnam affinitatem quam inter se habent, & quia ad eundem finem dirigi possunt.

PVNCTVM I.

a *Mat. 22. 2* a *Luc. 14. 16* SIMILE *est* a *Regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo, & vocauit multos* ad eas.

I. CONSIDERANDVM primò, quod Pater æternus Rex cæli & terræ sola sua bonita-

te &

te & misericordia voluit filium suum vnigenitum desponsare sibi naturam humanam, coniungendo illam sibi in vnitate personæ, tot monilibus gratiæ & virtutum ornatam, quot par erat habere sponsam talis filii, qui in omnibus esset æqualis Patri. O Pater supreme, quid te permouit, vt velles filium tuũ adeò abiectam & turpem sponsam ducere? nunquid non nobilior & pulchrior erat natura Angelica? cur ergo, Domine, hac omissa, illã ei dedisti? si propterea id fecisti quod etsi hæc vilior & deformior esset magis ea gratia indigeret, id quidem verum est: sed in hoc ipso aduerto excessum charitatis tuæ, quæ libentius se demittit ad honorandum, & opem ferendam iis qui & abiecti sunt & in maiori necessitate constituti. Laudent te propterea omnes creaturæ tuæ, & anima mea in tuis laudibus liquescat.

II.

SED vlterius adhuc cęlestis huius Patris bonitas est progressa: nam etiam voluit filium suum verum Deum & hominem desponsare sibi nuptiasque celebrare cum b *Ecclesia*, quæ est congregatio fidelium, coniungens sibi animas iustas vnitione charitatis, easque virtutibus ornans, prout decebat sponsas supremi Regis. Agnosce, ô anima mea, dignitatem ad quã Deus te vult eleuare: lauare pœnitẽtia, vngere deuotiõe, ornare virtutibus cęlestib⁹; vt in sponsam cælestis huius sponsi recipiare.

b *Osea 2. 7.*
b *2. Cor. 11. 2.*
b *Eph. 5. 25.*

III.

SED neque hic sistit nostri Dei bonitas: si enim hoc beneficium obtulisset paucis

aliqui-

aliquibus animabus tantum, illque hominum nobiliſſimorum, aut eruditiſſimorum, aut inſignis alicuius conditionis, fuiſſet procul dubio magnum beneficium: ſed maius omninò eſt, cùm vocat plurimos, qui ſint harum nuptiarum participes, nullo homine excluſo, etiam vili, rerum ignaro, aut magno peccatore, etiam qui diuinæ huius deſponſationis fidem violauerit. O immenſum charitatis Dei pelagus! quo modo abyſſum hanc charitatis conſiderans, non exeo extra meipſum! ô anima mea, excitare ad diuinam hanc deſpõſationem, quæ tibi offertur, acceptandam; qua ex deformi in pulcherrimam, ex vili in nobiliſſimam, ex inope in ditiſſimam, & ex terrena mutaberis in cœleſtem.

PVNCTVM II.

AD harum nuptiarum ſolennitatem tã Rex cœleſtis, quam eius filius IESVS Chriſtus ſolenne inſtituerunt conuiuium & a *cœnam magnam, & cùm iam omnia parata eſſent*, b *miſit Rex ſeruos ſuos vocare inuitatos, vt venirent ad cœnam,*

a *Luc.14.17*
b *Mat.22.4*

CONSIDERANDVS eſt huius cõuiuii ſplendor, quod Deus hominibus præparat: in quo tria fercula aut tria genera pretioſiſſimorum ciborum proponuntur. *Primum* eſt doctrinæ cœleſtis, ac diuinæ, ad nutrimẽtum intellectus fide illuſtrati, qui hoc cibo cenſetur veſci, cùm audit verbum Dei, cùm ſacros libros aut aliàs pios legit, aut cũ ſeor-

I.

ſim

sim eam meditatur; offerente illi Deo magnũ lnmen & voluptatem in illa. *Secundum* est II.
præceptorũ, & admirabiliũ magnæque perfectionis consiliorum, ad alimentum voluntatis salutis suę cupidæ: quo ferculo vescitur, cùm Dei voluntatem exequitur in omnibus quæ ille præscribit, & consulit; tribuens ei magnam lætitiam in benenola hac obedientia. *Tertium* est Sacramentorum, quæ magna III.
vi sunt plena, ad communicandam gratiam, virtutes & dona cœlestia; quæ viuificant, alunt, & perficiunt animas: inter quæ præstantissimum est sanctissimum altaris Sacramentum, in quo ipsemet sponsus IESVS Christus, verus Deus & homo, dat in cibum suum reale & verum corpus, speciebus panis velatum; & suum verum realemque sanguinem sub vini speciebus in potum ad nutritionem, & spiritualem animarum, quæ illum recipiunt, indulgentiam: & vt illas sibi tanquam sponsas coniungat, perfecti amoris coniunctione. O supremum conuiuium, ò cœna magna supra omnes quæ fuerunt hactenus, & futuræ sunt; & denique omnium excellentissima! c *O beatos illos qui ad cœnam hanc nuptiarum, Agni vocati sunt*, in qua Agnus ipse Dei, qui tollit peccata mundi, est, qui inuitat, est ipsum conuiuium, & qui illud instituit, & qui verè comeditur; hoc cibo, hoc est seipso purificans comedentem, eumque cœlestibus delitiis replens. Aperi ergo oculos anima mea, & diligenter attende, te non ad planctum sed ad c *Apoc.19.9*

nuptias & conuiuium vocari, quod si ad planctum vocaris, id erit, vt tua peccata, & exilem præparationem tuam, ad tale conuiuium plangas; & hac ratione te dignam efficies cui possis interesse.

IV. DENIQVE considerandum est, omnes huius mũdi homines inuitatos esse ad prædicta tria fercula; & p prædicatores, qui; huius Regis & sponsi sunt serui, & per secretas inspirationes, vt ad conuiuiũ veniant, vocari. Si quando igitur impulsum aliquem internũ in corde sensero, qui me ad trium rerum prædictarum exercitationem permoueat, intelligam me à Deo vocari, vt ipsius interesim conuiuio, & delitiis fruar.

PVNCTVM III.

a *Mat.22.3* b *Luc.14.18* DVM inuitati, vt ad nuptias venirẽt, vocarentur, a *nolebant venire* b *sed cœperunt simul omnes excusare* & negligentes a *abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam: reliqui verò tenuerũt seruos eius & contumelijs affectos occiderunt.*

CONSIDERANDVM hic est, tres fuisse, qui nominatim ad cœnam venire recusarunt; adferente vnoquoque proprium vitium, quo laborabat, & venire impediebatur; quibus nos etiam impedimur & retardamur: quæ S. Ioan. c *1 Ioa.2.16* enumerat dicens: c *omne quod est in mundo esse concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ.*

PRI-

PRIMVS dixit: *villam emi, & necesse habeo exire & videre illam: rogo te habe me excusatum.* Vbi notatur superbiam vitę, visusque, & aliorum sensuum curiositatē, & solicitudinē aspiciendi & ad res proprias attendendi, impedire nos, quo minus diuinæ vocationi respondeamus. I.

SECVNDVS dixit, *iuga boū emi quinq;, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum.* Ex quo intelligitur, quod rerū temporaliū cupiditas, & nimię negotiationes, & occupationum non necessariarū multitudo, illud ipsū impediāt. II.

TERTIVS dixit: *vxorē duxi, & ideo non possum venire.* hic non dixit: *habe me excusatum:* vt significetur, quod matrimonii voluptas hominē inebriauerat, & alienauerat à mente, q; si voluptas carnis ex se alioqui licita, quia tamen nimium illi attenditur, impedit ad tale conuiuiū venire, quid faciet illicita illa, & lege Dei prohibita voluptas? Ex quo intelligam ego quodnam istorum vitiorum impediat me ad tale cōuiuium accedere; & doctrinam Christi audire, & illam legere & meditari: & opere exequi, & Sacramenta suscipere; & cùm cognouero, operam dabo, illo impedimento remoto, Diuinæ vocationi respondere: alioqui comprehendet me seuera Christi sententia in istos rebelles lata, cùm dixit: *Amen dico vobis quod nullus virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Iusto enim DEI iudicio in pœnam rebellionis illorum permittuntur obire III.

IV.

mortem non susceptis Sacramentis; aut si fortè suscipiant, fructum tamen non sentiant. Ex quo fit, vt à cœna quoque & conuiuio, quod Deus in cælo præparauit pro iis qui illi hic obediuerunt, excludantur. Time igitur ac treme anima mea ab hac sententia: quod si te amor, vt nunc ad hanc cœnam accedas non vrget, vrgeat saltem timor ne ab illa æternum excludaris.

V. DENIQVE qui impudentius seruos Regis occidunt, à quibus vocantur, illi sunt qui horrent prædicatores, & confessarios, & eos qui eorum vitia reprehendũt; & consulunt, quod illis expedit: quibus ipsi gladio linguæ honorem & famam auferunt; &, quod in se est, etiã corporis & animæ vitam. In quos Rex cælestis vehementiùs indignatur, quia supra peccatum, non veniendi ad cœnam, hoc alterum addiderunt; quod ipsius nuntios affecerunt ignominia: quorum propterea pœna erit, non solùm à cœna excludi; sed occidi etiam & ciuitatem eorum, hoc est omnia quæ habent, succendi; crescente pœna ad mensuram culpæ. O Rex æterne, emollias duritiem rebellium Iudæorum, Hæreticorum & infidelium, qui diuinis tuis inspirationibus resistunt, & occidunt seruos & ministros tuos, qui illos ad nuptias & conuiuia tua conuocant: contine Deus iram tuam, & miserere eorum.

PVNCTVM IV.

TVNC *ait a Rex seruis suis; Nuptiæ quidem paratæ sunt: sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis vocate ad nuptias. Et egressi serui eius in vias congregauerunt omnes quos inuenerunt malos & bonos; & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* a Mat.22.8

PERPENDENDA hic est primùm immensa Dei liberalitas & charitas, qui non fastidit genus hominum, etiamsi multi, ipsius conuiuia & fauores contemnant, quamuis principes illi sint, eruditi, aut alias excellentes, quos par esset aliàs ciuiliores & minus impudentes esse: potius videns ipse, huiusmodi principes culpâ suâ indignos se reddere beneficiis, quæ ille offert, vult efficaciter vocare ad eadem, viles & despectos homines, & eos qui nihil in mundo habent, cui cor illorum sit implicatum. I.

ADMITTIT verò bonos & malos, eos scilicet qui aptam aut ineptam naturalem conditionem; bonas aut malas propensiones habent: vt omnes accedentes ad ipsius conuiuium, boni & sancti fiant: quamuis aliqui postea futuri sint mali. Maiorem verò adfert admirationem, quod nominatim iubeat vocari, b *pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos: quod si adhuc locus vacet, iubet in vias & sepes exire, & obuios* II. b Luc.14.21

quoſque compelli intrare, non brachiorum vi, ſed miraculorum & rationum; & ea vi, quam infert bona & ſancta vita concionatoris. Et idem Dominus diuinarum & efficacium ſuarum inſpirationũ lumine interne illos compellit, vt ſponte & magna ſua voluptate ſeſe dedant; ac veniant, quo vocantur.

O PATER miſericordiæ, qui neminem inuitum cogere vis tibi ſeruire; vrge & compelle me Domine; interna hac vi, vt rebellem voluntatem meam mutem, & lubens eam tuæ ſubiiciam. Reſpice ſupreme Pater, quod mundus iſte plenus ſit cœcis, claudis, debilibus, & miſeris peccatoribus, qui nec viam vident, qua ad nuptias tuas ſit veniendum; nec pedes habent, vt venire poſſint; nec vires, vt incipiant; nec facultatem vt proſequantur. Scio Domine te eſſe promptum ad illis dandum quidquid deeſt, vt reipſa venire poſſint: ſed bonitati tuæ ſupplico, vt reipſa des lumen cœcis; rectos pedes intentionis & affectionis rectæ claudis; robur debilibus; & gratiæ facultatem mendicis, compellendo eos iucunda vi tuæ inſpirationis; vt ſanctę tuę vocationi obediant.

III. DENIQVE perpendam, qua ratione domus & menſa Dei, vocatis ad eam impleatur: quia Deo nunquam deſunt media, quibus quæ deſignauit & decreuit, ad finem perducat; & ad electorum numerum explendum: nam, his reſiſtentibus & venire,

recu-

recusantibus, scit, potest, & vult alios ita vocare, vt non resistant: ideoque non est timendum, quod domus Dei non sit replenda, quando ille vult vt repleatur; neque religiosis familiis deerunt homines ad eas vocati, siquidem Deus illas instituit; & ipse est qui vocat homines ad illas. Ex quo occasionem sumam alicuius consolationis, vt sustineam miserandos multorum lapsus & ruinas, quas video in mundo; & confidam de cœlestis Patris prouidentia, quod sit illas reparaturus, mediis sapientiæ ipsius notis, etiamsi ego illa non assequar. II.

PVNCTVM V.

INTRAVIT *autẽ a Rex vt videret discumbentes: & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi; Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.* a *Matt. 22. 11.*

PERPENDAM hic primò non sufficere, si diuinæ vocationi consentiens, veniam ad cõuiuiũ & cœnam cum sola virtute fidei; sed oportere venire in veste nuptiali, quę est charitas & innocentia vitæ, quæ reddit hominem dignum, qui nuptiis huiusmodi interfit; & inuitanti Deo placere possit. Hac veste indutus esse debet, qui cibum sumit doctrinæ & obedientiæ, legis, & Sacramentorum, præcipuè corporis & Sanguinis Christi Domini nostri: & qui re ipsa illam I.

non habet, ita tamen dispositus accedere debet ad Sacramenta, vt eam per illa recipiat.

II. DEINDE perpendendum est, cœlestem hunc regem ad finem conuiuii, qui erit in fine mundi, aut in fine vitæ vniuscuiusque, venturum, vt inuitatos homines visitet; & eorum opera & vitam diiudicet, examinans num sit aliquis inter illos, qui non ea decentia, qua par fuit, conuiuio interfuerit; vt seueris eum suppliciis afficiat, sicut eos affecit, qui ad cõuiuium venire recusarunt: vt enim ipsum offendit, qui inuitatus ad conuiuiũ venire recusat, ita eundem offendit qui venit quidem sed negligit vestem charitatis, & vitæ innocentiã, cuius loco habet antiquam vestem laceram & peccatis maculatam.

III. HOC autem iudicium nemo potest effugere: quæ causa est, cur etsi plurimi sint mali, qui damnentur; solùm hic dicatur Regem vidisse vnum sine veste nuptiali. Vt intelligamus. *Primùm* quamuis inter omnes Christianos totius orbis nonnisi vnicus indignè cõmunicaret, aut legem diuinam non seruaret, eum tamen non posse diuinos oculos effugere: quia etsi solùm & in tanta multitudine, Diuini oculi illum notarent, atque damnarent. *Deinde*, vt etiam intelligamus, huiusmodi condemnationem adeò esse horrendum malum, vt licet ex omnibus Christianis nonnisi vnicus damnandus esset, id sufficeret, vt reliqui omnes timerent, & trepidarent ac tremerent, quod nemo sci-

ret,

ret, num ipse sit futurus ille, qui damnetur: quanto itaque magis timere quisque debet, cum plurimi sint damnandi? eò enim spectat, quod Christus adiecit, *multi sunt vocati, pauci verò electi*: quia etsi plurimi quidem sunt vocati; pauci tamen ad conuiuium conueniunt, & pauci qui in eo sint cum veste nuptiali, si cum illis conferantur, qui Diuinæ vocationi resistunt.

IV.

DENIQVE perpendam terribilem illam Christi Domini reprehensionem, quam fecit, non ex odio hominis, sed ex zelo iustitiæ contra peccatum & peccatorem obstinatum: & propterea *amicum* illum appellat ac dicit: Amice: *quomodo huc intrasti?* atque si illi liceret: quis tibi tantam dedit audaciam, vt veste adeo sordida, & quæ aspicientibus stomachum moueat, nuptiale conuiuium ingredereris?

O quanto pudore infelix peccator afficietur, cùm experietur adeo seuerè à Christo Domino in præsentia Angelorum eius reprehendi; seque adeo conuictum esse, vt *obmutescat*, nihil habens quod respondeat. O bone IESV sic me reprehende in hac vita benignè, vt ego præ humilitate tacens, correptionem tuam ad meam emendationem acceptem, vt sic vitam æternam consequar: Amen.

PVNCTVM VI.

a Mat. 22. 13 TVNC *dixit a Rex ministris. Ligatis manibus & pedibus eius: mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Multi enim sunt vocati pauci vero electi.*

PERPENDENDA hic est huius sententiæ tremenda seueritas, & pœnæ quę in ea exprimuntur, quæ sunt quatuor.

I. PRIMA est perpetui carceris, absque vlla spe liberationis ab eo: hoc enim notat illud: *Ligatis pedibus & manibus* ita vt in pœnam dissolutionis, qua vixit in hac vita; nunc ita ligetur, vt soluere se non possit.

II. SECVNDA est obstinationis in malo: sublata ei libertate faciendi bona opera, quæ per manus significantur: & bonos affectus concipiendi, qui significantur per pedes, in pœnam quòd ipse in hac vita pedes & manus inordinatarum suarum passionum & affectionum catenis ligauerit.

III. TERTIA pœna est extremarum & horribilium tenebrarum, tam animæ ob priuationem visionis Dei & obscuritatem iudicij miseria sua stipati; quàm corporis, ob externas infernalis loci tenebras, cuius ignis comburet quidem, sed nullum edet lumen, vt suo loco dictum est. *Medit. 17. 1. part.*

IV. QVARTA pœna est perpetui fletûs, & stridoris dentium: flebit enim amarè me-

mor

mor conuiuij, in quo fuit, & commoditatis, quam habuit obtinendæ salutis, quam suâ in curiâ neglexit; non amplectens opportunam, quam habebat occasionem: flebit etiam ob cruciatus quibus afficietur. Fletui autem adiungetur stridor dentium, ex rabie & impatientiâ tormentorum: quia videbit nullam esse spem illa euadendi.

HOC totum Rex imperabit ministris, iustitiæ, executoribus, qui sunt dœmones; qui infelicem illum conuiuam rapientes, extrahent ex domo conuiuij, quæ est Ecclesia; & proiicient in carcerem inferni; vbi erit eius habitatio.

O Rex æterne Iudex rectissime, cuius iudicia sunt recta, quamuis in malos terribilia: En ego me coram tua maiestate constituo, manibus & pedibus ligatum, non catenis obstinationis, sed obedientiæ; & præparatum, vt non resistam ijs, quæ mihi mandaueris. Confirma Domine hanc voluntatem vinculis charitatis, vt constans in tuo amore & obedientia, perueniam ad te videndum & fruendum in secula:

Amen.

MEDITATIO LVII.

DE DECEM VIRginibus.

PVNCTVM I.

a *Mat. 25. 1.*

SIMILE *erit a regnum Cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas exierunt obuiã Sponso & Sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum, prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.*

I. CONSIDERANDVM primo: in Ecclesia & iustos & peccatores contineri, qui decem his virginibus describuntur: & vtrique aduentum expectant Christi ad iudicandum, & celebrandas nuptias cum sua sponsa Ecclesiã Triumphante. Omnes autem præparant se fide, & communibus Christianorum operibus quoad externa, quæ requirit professio Christiana: sed cum discrimine tamen; alij enim sunt prudentes, qui præparant omnia necessaria ad horam aduentus sponsi; alij sunt imprudentes, qui etsi præparent aliqua, negligunt tamen multa, valde necessaria.

II. IMPRVDENTES sunt similes fatuis virginibus,

nibus, quæ lampades quidem habent, sed, parum in eis olei: nec in aliis vasis illud habent, vt lampades foueant. Habent enim fidem; sed non habent charitatem: lucem habent veritatum; sed deest illis oleum virtutum : Lampades habent quæ externis operibus lucent; sed vacuæ sunt feruentibus internorum operum affectibus: habent interdum sensibilem deuotionem cum lacrymis , quæ breui tempore durant; sed interna & substantiali deuotione carent, quæ diu perdurat: habent virginitatem & integritatem corporis; sed non habent puritatem & integritatem spiritûs : statum habent perfectionis; sed magnam imperfectionem, ob intentiones terrenas & crassas. Denique contenti bono, quod cum hac vita finitur, illud bonum negligunt, quod in futura durabit in æternum: ac propterea , instante morte imperatos se esse deprehendunt in multis, quæ ad sponsum excipiendum erant illis necessaria. Quæ itaque maior stultitia esse potest, quàm adeo parua præparatione aduentũ expectare Iudicis adeo seueri, & Sponsi lynceos oculos habentis, qui cùm æquè interna penetret atque externa, nihil sibi placet in externis, quæ vacua sunt interioris virtutis. O Iudex supreme, & animæ meæ spon se dulcissime, libera me per temetipsum à similis stultitia; & ne permittas me contentum esse, si mediam partem faciam eorum, quæ iubes; sed effice vt integrè quidquid iubes expleam.

SAPI-

III. SAPIENTES sunt sicut prudentes Virgines, quæ præter lampades oleo plenas, etiam in alijs vasis oleum habent, quo lampades alere possunt: habent enim cum fide etiam charitatem; cum lumine veritatum etiam virtutes, opera externa & interna; puritatem corporis & spiritus; ac denique omne bonum habent, quod duret vsque ad vitam æternam. Non contenti sunt fide, quæ cessatura est; nec cum eo quod lucet & placet hominibus, quod cum ipsa morte finitur: sed student habere sapientiam Spiritûs, & *pietatem quæ ad omnia valet*; & c *charitatem quæ nunquam deficit*; & d *vestem nuptialem*, quæ placet Sponso. e *O prudentiam & discretionem* dignam hominum Christianorum, qui faciunt quod credunt; & ita se præparant, vt possint recipere quod sperant! O Deus animæ meæ, da mihi hanc prudentiam & discretionem, vt ita præparem & ornem lampadem cordis mei lumine veritatum, & oleo heroicarum virtutum; vt omnia necessaria ad tuum aduentum expectandum, & in tuo conspectu sine pudore comparendum, in promptu habeam.

b 1. Tim. 4. 8
c 1 Cor. 13. 8
d Matt. 22. 12.
e Ephes. 3. 17

PVNCTVM II.

a Matt. 25. 4

MORAM *autem a faciente Sponso, dormitauerunt omnes, & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce Sponsus venit, exite obuiam ei* (dormitare

hic

hic accipitur pro leui somno qui cito transit, in quo sensu hac voce nunc vtemur.)

CONSIDERANDVM est *primò*: Sponsum omnium hominum iudicio moram facere in veniendo: omnes enim existimant se vitam diuturnam habituros, ideoque longum esse interstitium vsq; ad mortem, & iudiciũ, quod in illa peragitur: ex quo prouenit, vt boni dormitent somno pigritię, facilè cadẽdo in peccata venialia; iniqui verò dormiant somno peccati mortalis, valdè immemores aduẽtus Iudicis. O Iudex supreme, libera me à noxio hoc somno; nec dormitet anima mea: ne eo perueniam, vt omninò dormiam! nec ita laxè viuam, vt in multas leues culpas incidam, ne etiam decidam in maiores, b *Surge anima mea quæ dormis* & clama ad *Christum qui te illuminabit*, & resuscitabit, gratiaq; suâ copiosâ ita viuificabit, vt viuas in æternum. I. b *Ephes. 5. 14*

DEINDE considerandum. omnes decem virgines dormitasse ac dormiuisse: quia omnes homines incidunt aut in infirmitatem, aut in senectutem, aut in debilitatem, aut in aliquam aliam causam, quæ disponit ad somnum mortis: & tandem omnes eo deueniunt vt somnum hunc vltimum dormiant; ita vt nemo possit euadere. Vocatur autem mors somnus, quia, vt hic nos etiam inuitos & valdè resistentes ac pertinaciter illum repellentes, tandem nos vincit, & quamdiu durat priuat nos vsu sensuum, & rerum omnium quæ nos in hac II.

vita delectant; ita mors. Et vt aspiciens imaginem recordor rei, quam illa refert: ita quoties me somnus inuadit, aut eo dormitum, memor esse debeo ipsius mortis, quam quo frequentius & diutius potero ob oculos mihi proponam; ac porrò cùm primum lectum aspicio, in quo dormiens corpus cooperitur, deberem in memoriam reuocare sepulchrum, in quo corpus mortuum conditur.

III. TERTIÒ considerandum media nocte inclamasse illam vocem *Ecce sponsus venit, exite obuiam ei:* quia repente, & nobis minimè cogitantibus, vocabimur ad Iudicium: tam ad particulare, quod habetur in fine vitæ vniuscuiusque; quàm ad vniuersale, quod fiet in fine seculi. Et quamuis is, qui venit, sit sponsus animarum iustarum, est tamen etiam Iudex: nam ideo induit ornatum sponsi aduersus bonos; seueritatem verò Iudicis aduersus malos. Venit vt Sponsus ad indulgendum & ditandum quos bene dispositos & præparatos inuenerit, vt Iudex verò ad excludendum & à se repellendum, quos inuenerit imparatos. O anima mea, audiatur frequenter in auribus tuis hæc vox tremenda; & contende, vt sis parata; quandoquidem & dies & hora in qua sonabit tibi, est prorsus incerta, & incognita! Quando morbus te tangit; cogita hanc vocem insonare, vt te præpares: siquidem non scis eius morbi exitum: & vt illam maiori cum securitate tunc audias; audi etiam illam, quãdo ad sacram communionem accedis; cogi-

tans

gitans tibi dici: *Ecce sponsus venit, exi ei obviam*, præparatione debita: quandoquidem ille venit, vt te sibi in misericordia & charitate desponset.

PVNCTVM III.

TVNC *surrexerunt* a *omnes virgines illæ: & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt, date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt Prudentes, dicentes. Ne fortè non sufficiat nobis & vobis; ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit Sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias.* a *Mat. 25. 7.*

PRIMVM considerandum est, tàm bonos quàm malos resurrecturos, & in vniuersali iudicio comparituros: ante illud tamen, statim post mortem, aperientes oculos, (atque si euigilarent ex somno, quo dormiebant in hac vita mortali) inuenient se in proprio & particulari iudicio constitutos; & vnusquisque lampadem suam secum habebit sic præparatã, sicut ipse in hac vita habere studuit, aut sine oleo, aut cum oleo, modico aut multo, b *opera enim illorum sequuntur illos*, siue bona siue mala, secundum quæ iudicabitur. I. b *Apoc. 14. 13.*

DEINDE, certum est, malos & imprudentes in ea hora deprehensuros, se valde fuisse deceptos: agnoscent enim ipsa experientiâ suam stultitiam, cùm videbunt lampades II.

suas ob olei defectum extinctas: & quamtis recurrant ad bonos, vt misericordiam & intercessionem ab illis petant, non erit qui id faciat; singulis circa seipsos valdè occupatis. Item quia exspirabit tempus intercedendi pro alijs; immò in modum irridentium dicent: *ite potiùs ad vendentes*: quasi dicant, tarde omninò de vobis prouidendo cogitastis: iam enim neminem inuenietis, qui vel det vel vendat vobis; nec vos emere poteritis: quia tempus emendi iam præteriit.

O anima mea, esto prudens comparando tibi in tempore oleum illud, quod DEVS tibi vendere est paratus; qui & pretium offert, quo illud compares: non quod est idem, atque si gratis illud tibi donaret. Ipse te inuitat gratiâ suâ, charitate, virtutibus suis, ac donis cœlestibus: dabit quoque tibi dispositionem, vt illa possis obtinere, præueniens te diuinis suis inspirationibus. Audi in tempore, quod ille tibi inspirat; & amplectere quod mandat. Nunc habes intercessores, qui pro te orabunt; quorum exaudientur preces: Virginem sacratissimam Dominam nostram; Apostolos, Sanctos omnes cœli; & Angelici omnes Chori tui erunt aduocati: recurre nunc ad hanc prudentium spirituum multitudinem, qui omnes tibi fauebunt: quod post mortem tuam nec volent, nec poterunt præstare.

III. DENIQVE est considerandum, quòd

quam

quamprimum sponsus ad iudicium venerit; omnes puræ & prudentes animæ, quæ præparatæ fuerint, ea præparatione, quam in hac vita sibi conquisiuerunt, admittentur ad cœlestes nuptias in comitatu dulcis sui sponsi. O quàm tunc exultabunt, quòd se in tempore præparauerint! ô quanta erit illarum lætitia, videntes se apud eum iam esse, quem tantoperè dilexerunt! O quanta erit illarum iucunditas, & animi solatium, quòd cœlestem suum Sponsum facie ad faciem videant; & beatifico amore complectantur, cum eo ad ipsius mensam cibis vescantur diuinitatis; hauriantque ex illo fluuio deliciarum ipsius! ô quàm splendens erit lampas animæ illustratæ lumine gloriæ! quàm erit ardens igne charitatis! quàm pia lætaque cum oleo diuinæ consolationis! quàm secura, quòd non ampliùs recedet à protectione Dei. ô felices labores, qui ad tantam quietem perducunt.

PVNCTVM IV.

INGRESSO Sponso cum virginibus prudentibus a *clausa est ianua. Nouissimè verò veniunt & reliquæ Virgines dicentes, Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens ait, Amen dico vobis nescio vos.* a Mat. 25. 11

PRIMVM considerandum portam cœli

in die Iudicij vniuersalis ita occludendam, vt nunquam ampliùs aperiatur ad aliquem, qui eò semel est ingressus, dimittendum: quia eius gloria erit perpetua, & duratura quamdiu Deus erit Deus, fruendo eius societate absque timore aut formidine eam amittendi. In hac vita interdum b *nos introducit Deus in cellam vinariam*, aut in cubiculum interius, & in secretum suum receſſum, dum nos visitat & inspirationibus suis consolatur: sed porta semper patet ita, vt ex tempore, cum minimè cogitamus, aut dimittamur, aut sponte exeamus: At cum semel in cœlum ingredimur, mox ita porta claudetur, vt neque Deus quenquam inde dimittat, nec sit vllus, qui exire velit. O felix ingressus, & fortunatus! ô locus securus! ingrediar ego Deus meus in istam cœlestem cellam, in penetrale istud beatorum, vt cum illis gaudens semper sim tecum.

b *Cant. 2. 4.*

II. Deinde perpendendum, eandem portam esse occlusam illis omnibus, qui eâ horâ parati non sunt; & si semel inde fuerint exclusi, nunquam in æternum est illis aperienda. Et quamuis gementes & clamantes petant à Domino sibi aperiri, non solùm non exaudientur; sed potiùs illis dicetur: *nescio vos*, nec vitam vestram approbo, nec voces istas noui, nec admittere volo. c *Discedite à me omnes operarij iniquitatis in ignem æternum.* O anima mea quid facis, cùm hæc audis! quomodo non præ terrore contremiscis? itane verò

c *Matt. 7. 23*
c *Luc. 13. 27*

est,

est, quod semel excluſa ab ingreſſu in cœlum in Iudicio particulari, quod fit in ipſa morte; æternum ſis ab eo exulatura! quòd nunquam ſis ad Deum in gloria ſua videndum ingreſſura! quod tuus ipſe creator, te ſit ignoraturus, & tanquam extraneam & inimicam tractaturus! quòd æternùm ſis in obſcuris inferni cauernis remanſura! O benigniſſime Deus, animarum Sponſe, moderare iſtam tuam iuſtam indignationem quam contra me habes; agnoſce me creaturam tuam, ad imaginem & ſimilitudinem tuam factam, & verè mancipium tuum, pretioſiſſimo tuo ſanguine redemptum; fateor Domine, non eſſe magnum quid aut mirum, quòd me ignores, qui peccatis meis innumeris offuſcauerim quod tu in me feciſti; & quandoquidem ego te non agnoui, nec tua mandata vitâ meâ improba approbaui: promeritus ſanè ſum, ne tu me agnoſcas, nec ad tuum Paradyſum approbes; non promereor, vt clamores meos exaudias, quibus peto Cœli portas mihi aperiri; ſiquidem ego tuos audire nolui, quibus petebas, portam cordis mei tibi aperiri. Sed quandoquidem adhuc eſt tempus miſericordiæ, en portas cordis mei apertas, ad te recipiendum; aperi tu mihi portas cœli, ad me in eo recipiendum; vbi te videam & æternùm fruar. Amen.

DENIQVE expendenda eſt Parabolæ concluſio, quæ eius totius ſcopus & finis eſt: *vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam:* III.

quæ verba memoriæ impressa semper me habere decet. Siquidem vt Sanctus Marcus ait, ipse CHRISTVS dixit: d *quod vobis dico, omnibus dico; Vigilate.* Quare meipsum illis animare & excitare debeo, dicens: anima mea, vigila in oratione, & pœnitentiâ, & continuâ bonorum operum exercitatione: & si quando ex pigritia dormitaueris, mox euigila diligenter, siquidem nescis num hora præsens, sit futura vltima tuæ vigiliæ, in qua sis vocandus ad nuptias: & si, cùm vocaberis, eris imparata; in æternum ab eis excluderis: si autem parata, ad eas admiteris, æternùm in illis permansura, vt Sponso tuo IESV in æternum fruaris.

d *Marc.13. 37.*

MEDITATIO LVIII.

DE PARABOLIS Talentorum, & Minarum.

PVNCTVM I.

QVIDAM *homo a peregre proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua, & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum, vnicuique secundum propriam virtutem.*

a *Matt. 25. 14.*
a *Luc.19. 13*

HIC

HIC est considerandum, quæ sint ista talenta, quis illa distribuat; & cui, & qua ratione, & in quem finem distribuantur.

PRIMVM, TALENTVM censetur esse id, quod necessarium est, & nobis conuenit ad nostram & proximorum nostrorum salutem conquirendam, & quidquid ad hoc iuuat: quod totum ad quinque rerum capita deduci potest. *Primum* complectitur dona & partes naturæ, tàm corporis quàm animæ, qualis salus, vires corporis, ingenium, sensuum viuacitas; & super hæc omnia naturale lumen rationis, iuxta illud b *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: quod fidelibus & infidelibus est commune; & docet nos, quid sit bonum, & quid sit malum; inclinatque ad prosequendum bonum, & fugiendum malum. *Secundum* complectitur dona & partes industriâ humanâ conquisitas, quales sunt diuitiæ, honores, dignitates, Scientiæ, Artes liberales, virtutes morales & politicæ. Quamuis hæc omnia sint etiam Domini Dei nostri dona; & iuuare nos possint, ad nostram salutem consequendam. *Tertium* complectitur virtutes supernaturales, fidelibus communes tàm bonis quàm malis; quale est lumen Fidei, virtus Spei, & Ius quod habent adhibendi sacramentis Ecclesiæ, quibus gratiã & salutem æternam acquirunt. *Quartum* complectitur ipsammet gratiã, & charitatem, cum virtutibus & donis, quæ illam comitantur; quibus meritorum æternorũ & augmentum

I.

b *Psal. 4. 7.*

præmiorum negotiamur. *Quintum* complectitur omnes gratias gratis datas, quæ tendunt ad Ecclesiæ ædificationē & proximorum salutem; quales sunt gratiæ intelligendæ scripturas diuinas, prædicandi, docēdi, donum consilij, donum conuertendi animas, & cætera Ecclesiæ officia ad eundē finem destinata. Ex his omnibus varia ac diuersa talenta conficiuntur, quæ homines habent.

II. QVI ea distribuit est Dominus DEVS noster: quia omnia sunt eius dona, & à liberali eius manu proueniunt. Ipse enim dat bona naturæ, & fortunæ, & gratiæ: ideoque omnia illi accepta referri debent: & qui sibi hæc bona attribuere velit, Deum veluti excludendo, superbus esset, & indignus ijs quæ habet: quem propterea Deus illis bonis priuando, castigabit. Ideoque par est pro omnibus gratias agere, & laudare, ob liberalitatem qua in propria mancipia distribuit bona quæ habet, eo tantùm fine vt illis bene faciat; & quia bonus est, & in id valdè propensus, vt quæ habet, det alijs.

III. HAEC talenta dantur hominibus in triplici gradu, qui significantur per tres illos seruos: vni dat Deus talenta in magna copia, quæ per numerum quinarium significatur; alijs moderatè, quod significatur per numerum binarium; alijs dat in infimo gradu, quod significatur per vnitatem. Nulli tamen horum facit iniuriam: quia nulli quicquam debet: cui autem nihil debetur, honor fit illi, si de-

si detur aliquid. Et præterea sufficeret, quod Deus ita velit, & sua prouidentia ita statuat; vt vel hoc nomine illud approbem & amplectar.

EADEM talenta dantur cuique secundùm virtutem, hoc est iuxta capacitatem & aptitudinem quam habent ad eum finem, in quem talenta distribuuntur. Deus itaque Dominus noster nemini grauius imponit onus, quam videat ipsum posse ferre; nec ad plura quenquam obligat, quàm possit præstare. Ideoque in talentorum distributione rationem habet virium naturalium, & dispositionis, quam habet is cui illa confert: siue illam ex naturæ cõditione habeat, siue postea eam sibi comparet industriâ propriâ, & inspiratione diuinâ quæ semper nos præuenit, & suauiter adiuuat; vt nos ad supernaturalia talenta recipienda & ad bonum illorum vsum disponamus. IV.

FINIS, ob quem hæc talenta distribuuntur, est, vt nostram salutem & perfectionem & proximorum nostrorum iuxta nostras vires negotiemur. id quod S. Lucas expressius posuit dictum fuisse seruis à Domino qui decem minas seu libras tradidit, dicens illis. c *Negotiamini dum venio*, atque si clariùs diceret: attendite, non dari vobis hanc pecuniam, vt otiosa maneat, nec vt illam prodigatis; sed vt ea negotiantes lucrum aliquod conquiratis: duo scilicet extrema vitia in vsu talentorum illis prohibens, otiositatem scilicet aut re- V.

c *Luc. 19. 13*

missionem ex pigritia non vtêdo illis; & prodigalitatem, vtendo illis temere & imprudêter, cum periculo illa amittendi.

Qvò verò vigilantes & soliciti sint, adiungit, *dum venio*: quo verbo certos eos reddit, se rediturum, & rationem exacturum. Non assignat autem illis tempus reuersionis, vt negotientur semper, donec ipse reuertatur. O mũdi Redemptor, qui d *ascendens in altum dedisti dona hominibus*, distribuens varia talenta & gratias discipulis tuis in proprium & Ecclesiæ tuæ bonum; da mihi e *spiritum non huius mundi sed qui ex te procedit, vt sciam quæ à te mihi donata sunt*. Si enim talenta non nouero, nec gratias agere pro illis, nec ijsdem negotiari sciuero: sed fac me ita demisse ea cognoscere, vt non decipiar, plura esse aut maiora existimans, quàm reipsa sint. Da mihi etiam Domine ita me illis contentum esse, quæ mihi dedisti; vt neque ex superbia eos contemnam, qui pauciora habent; nec illis inuideam, qui habent plura: sed huic rei solùm intendam, vt tibi eo placeam, quod mihi dedisti, siue parum siue multum illud sit. Denique concede, vt tui aduentûs ad rationem à me exigendã semper sim memor, vt solicitè semper negotier, quę tunc vellem me esse negotiatum: Nec vlla mihi prætereat dies absq; aliqua negotiatione; siquidem tibi displicet, me vel ad momentum esse otiosum, vt morte me negotiantem inueniente, tu in sanctum tuum Regnum admittas. Amen.

d *Eph. 4. 8.*

e *1. Cor. 2. 12.*

PVN-

PVNCTVM II.

ABIIT *qui quinq; talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinq;. similiter & qui duo talenta acceperat: lucratus est alia duo. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram & abscondit pecuniam Dpmini sui.* a *Mat. 25. 16*

CONSIDERANDVM primò maiorem aut minorem profectum nostrum spiritualẽ non tam in acceptis talentis consistere, quàm in maiori aut minori solicitudine & diligentia in laborando & negotiãdo cum illis: nam qui accepit quinque talenta, potuit illa fodere ob pigritiam & remissionem; sicut qui vnum acceperat: & qui accepit vnum; potuisset diligenter negotiando alterum lucrari, sicut fecerunt qui plura acceperant. Culpa itaque sua piger non negotiatur; feruens verò diligentia sua perficit, cooperante illi Dei gratia, quæ illum præuenit, & liberum eius arbitrium adiuuat. Ad quod magis declarandum dicit S. Lucas, vnum ex seruis qui vnam *minam* acceperat *decem minas* esse lucratum; alterũ verò *vna* etiam *mina quinque lucratum esse*. Vt appareat, lucrum illud ex diligentia seruorum cum auxilio gratiæ Dei proueniisse: quod ipsi insinuant dicentes, Domine mina tua fecit alias decem, atque si diceret: c *nõ ego solus* sed ego in virtute illius; & illa plus quã ego; iuxta illud Apostoli c *gratia Dei mecum*. Quare attẽde anima mea quid agas, & manus tuas appone ad laborem; quia Dei Dñi tui ma- I. b *Luc. 19. 16* c *1. Cor. 15. 10.*

nus

nus te semper comitabitur, d *& misericordia eius præueniet te*; eritq; tibi in auxilium, e *& subsequetur te omnibus diebus vitæ tuæ*, nisi tu tibi desis.

d Psal. 58. 11

e Psal. 22. 6

II. DEINDE considerandum est Christũ Dominum nostrum, feruentium & diligentium exemplum posuisse in eo qui quinque talenta acceperat, & eo qui duo: quia vt plurimum, qui magnas facultates acceperunt, magnum recipiunt animum & fiduciam, ad laborandum, (sicut mercatores diuites solent) & ita sese in magnas occasiones inferunt, in quibus plurimùm lucrantur; modò tamen humilitatem seruent, feruorem illum suum non soli arbitrio suo tribuentes, sed præcipuè diuinæ gratiæ, sicut Apostolus faciebat, cùm diceret f *se abundantius cæteris Apostolis laborasse; non ego* autem, inquit, *sed gratia Dei mecum*. Contrà verò posuit Christus exemplum pigrorum & negligentiũ in eo, qui vnum tãtũ talentũ acceperat: nam qui curtam habẽt supplectilem, nisi valdè sint humiles, facilè cõqueruntur, inuidia mouentur, & pusillanimes fiunt: ideoque facilè se pigritiæ dedunt. Et si alia talenta fortè habeant rerum terrenarum & carnis, applicant se ad quærenda bona terrena, sepelientes in terram illud quod acceperant ad conquirenda bona Cœlestia. O Deus animæ meæ! vtinam tantum ego curæ in negotiando meo talento bona æterna ponerem, quantum mundi negotiatores ponunt in cõquirendis bonis tẽporalibus!

f 1 Cor. 15. 10.

ne per-

ne permittas Domine adeò pretiosa talenta sepeliri, & occultari sub adeò vili operculo. Adiuua me vt ita illis vtar, vt ea duplicem ac reduplicem cum ingenti lucro, siquidem nullum huic terminum assignasti.

DENIQVE est considerandum, bonum negotiatorem omnibus talentis, quæ habet, & singulis eorum negotiari debere: nam de omnibus & singulis ratio exigetur à Deo. Et quò plura recepit, eò maior erit illi ratio reddenda, nisi illis operetur: vt enim S. Greg. ait: *cùm augentur dona, rationes etiam crescunt donorum.* III.

Hom. 9. in Euang.

PVNCTVM III.

POST *multum a verò temporis venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis: & accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens, Domine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi Dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.*

a Matt. 25. 19.

PRIMVM est considerandum: aduentum Christi Domini nostri, ad accipiendas rationes à suis seruis, esse post multum tempus: tum propter aduentum ad vniuersale iudicium, quod in longũ tempus protrahitur; tũ vt significetur, ipsum sufficiens tẽpus, immò vltra quàm opus esset, seruis suis dare ad negotiandũ, quæ illis ad salutem suam sunt ne- I.

cessa-

cessaria, ita vt nullus homo, qui rationi loctí dare velit, conqueri possit, defuisse sibi tempus, quo, si voluisset ad Deum conuerteretur: si autem, cùm iam vellet conuerti, deficit illi vita, ipsius est culpa: nam temporis satis habuit, ad procuranda m æternam.

II. DEINDE considerandа est magna fiducia & securitas, quā feruentes habent in hora mortis, & rationis reddendæ: quia vident se posse reddere bonam. Vident enim quid acceperint ad negotiandum, & quid sint lucrati: & ita confidenter dicunt, *quinq; talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum:* quia auxi dona gratiæ tuæ, unæ accepi, quibus negotiando alia denuò conquisiui. O felix feruor, qui tātam adfers securitatem in occasione tam iusti timoris!

III. TERTIO considerandum præmium, quod Christus Redemptor noster tali seruo largitur, bonum eum & fidelem compellans: bonū quia sanctè vixit, Dei legem custodiens; fidelem, quia acceptis donis & gratiis fideliter vsus est: quæ etsi magna in se sint, collata tamē cum æternis, parua iudicantur: & propterea illi dicitur, *quia super pauca fuisti fidelis*, qualia sunt quæ in hac vita mortali dantur, *supra multa te in cælo constituam*, plurima & magna tibi conferens beneficia: *intra in gaudium Domini tui*, & merge te in abyssо voluptatum cœlestium, vt intus & extra gaudio replearis, & b *inebrieris ab vbertate domus meæ, & torrente voluptatis meæ potēris* & satieris. O gau-

b *Psal. 35. 9*

dium

dium immensum! gaudium æternum! gaudiũ dignum Deo! ô felicem negotiationem, qua cœleste gaudium conquiritur, c *quod nemo tollet à vobis.* c Ioan. 16. 22

IV.

DENIQVE perpendendum, eadem verba fuisse dicta ei: qui duobus talentis lucratus est alia duo: vt instruamur, ad mercedem cœlestẽ maiorem diligentiæ in operando, quam numeri talentorum rationem haberi. Quare si is qui duo tantum acceperat, tantũ in negotiãdo laboris, posuit atq; is qui accepit quinque; æquale cum eo præmium accipiet: & nihilominus, qui plus laborando magis talenta auget, maius etiam referet præmium, vt ipse Christus distinctiùs declarauit in parabola minarum: ei enim, qui vnâ minâ lucratus est decem; quoniam eius diligentia fuerit maior, decem ei dedit ciuitates: ei verò, qui vna quoque mina lucratus est quinque; quia eius diligentia fuit minor, quinque tantum ciuitates accepit. Quare ô anima mea omni tempore, & omni quo possis feruore labora: habet enim Deus in cœlo multas mansiones. Quare si vnâ minâ aut talento potes decem ciuitates promereri, decem videlicet excellentes gradus gloriæ, noli quinque esse contentus: id verò non tam facias ob proprium lucrum, quàm ob eius maiorem amorem, qui dignus est infinitè diligi amore in æternum. A-
men.

PVNCTVM IV.

a Matth. 25.24.

ACCEDENS *autem & qui vnum talẽtum acceperat, ait, Domine, Scio quia homo durus es, metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti: & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra: ecce habes, quod tuum est.*

IN hac sententia prõponitur nobis serui pigri malitia, qui vt pigritiam suam contegat, fingit difficultates & grauia pericula, timet vbi non est cur timeatur; sicut & nunc faciunt multi. Alij enim sepeliunt talentum orationis & contemplationis, eamque propterea omittunt, quia timent se decipiendos; Alii abscondunt talentum concionandi & agendi cũ proximis timẽtes ne se ipsos perdãt; Alii adhuc peiores, obseruationem diuinæ legis abiiciunt fingentes in ea tantam asperitatem, vt non possint ipsi eam seruare; Deum ipsum seueritatis nimiæ in se insimulantes, quod fructum colligere velit, vbi non seminauit: quia ipsis non dans vires & virtutem, vult vt fructum ferant bonorum operum. O cœcitatem execrandam! ô maledictam pigritiam, quæ vt culpam à te remoueas, *in Deũ* ipsum illam coniicis! ô Redemptor mi, multò aliter, quam malus iste seruus, dico ego de te, quod optimè sciam, te hominem esse non durum sed blandum & benignum; non crudelem sed misericordem, nec vnquam velle colligere ex eo quod non seminaueris: nisi

enim

enim prius tu semines talentorum tuorum semina, impossibile est fructus aliquos prouenire, adeoque procul es à colligendo, vbi non seminasti; vt sæpè multa seminans parum colligas: tantaque est tua leuitas, vt vel exiguo lucro sis contentus.

RESPONDENS b *autem Dominus eius, dixit ei, serue male, & piger, sciebas quia meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi, oportuit ergo te committere pecuniam meam numularijs, & veniens ego recepissem vtiq; quod meum est cum vsura. Tollite itaq; ab eo talentũ, & date ei qui habet decem talenta: omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui nõ habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, Illic erit fletus & stridor dentium.* b *Matth. 25. 26.*

TRIA in tremenda hac sententia sunt consideranda. *Primum est*, asperrima illa Domini reprehensio, ad ingentem mali serui pudorem: quæ enim maior confusio esse potest, quam ab ipso Deo, coram Angelis suis, seruo obiici, quod sit malus, piger, inutilis, & infidelis? & quæ maior ignominia, quam ex propriis verbis & rationibus conuinci; sicut sanctus Lucas narrat, huic seruo dictum c *ex ore tuo te iudico serue nequam: sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui*! quantò ergo magis oportuit te scire, velle me colligere fructum ex talento, quod tibi concredidi? *Secundum* fuit, quod traditum illi talentum, I. c *Luc. 19. 22* II.

abstulerit; & spoliauerit omnibus bonis gratiæ, & ijs quæ ipsius naturę fuerãt superaddita, in pœnam pigritiæ ipsius: Quam interdum etiam infert Deus in hac vita, *ijs*, qui acceptis talentis non vtuntur: sicut etiam permittit interdum amittere fidem eum, qui malè illa vtitur. Sed in altera vita sine spe remedii illis spoliantur: sicut in prima parte obseruauimus. Quod verò hic iubetur talentum huius nequam serui, dari ei qui habet decem talenta, significat, sanctos ex omnibus haurire gloriam accidentalem, tam ex bono propriorum talentorum vsu; quàm ex donis à Deo aliis vel liberaliter communicatis; vel ex iustitia quam ipsi venerantur, ablatis.

Medit. 9.

III. TERTIVM fuit horrendum, quod *miserit eum in tenebras exteriores*, & extremas inferni, vbi æternùm fleat, rabieque agatur ob inutilem suam pigritiam. Quod si talis pœna ei infertur, qui ex pigritia non vtitur talento accepto; qualem censebimus ei dandam, qui accepto talento vtitur in iniuriam ipsius Dei, & scandalum aut detrimentum proximi? O Deus æterne, iustè Iudex & sancte, ne mecum intres *in iudicium* seuerum! Scio enim, quod ex meis verbis possis me iustè condemnare. Promeritus enim eram, talentis mihi concessis priuari: eò quòd illa sepeliuissem: Sed quandoquidem tua misericordia me hactenus sustinuisti, adiuua me illa exhumare, vt

illis

illis negotiando & conquirendo quod à me petis, obtineam quod mihi promittis; & tecum regnem in æternum.
Amen.

FINIS TERTIAE PARTIS.

COLONIAE,

Excudebat Stephanus Hemmerden,
Sumptibus Ioannis
Kinckÿ.

ANNO M. DC. XII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Errata hæc ita corrige.

In Introductione.

Pag. 17. Lin. 6. *commemorans* 21. 26. *sit.* 23. 11. *tum cùm.* 25. 21. *certâ arrhâ* 26. 7. *in marg.* §. 1. *& l n.* 17 *hi.* 30. 9. *inuenire. ibid. l.* 4 *ad marg. adde ad.* §. *p.* 42. 2. *sic* 49. 1. *siue id* 50. 27. *exequëdam* 51. *lin. penult. ipse* 52. 16. *qui* 53 *lin. penult. eo* 57. 5. *ducenda* 58. 12. *renouare* 63. 13. *effectus capit experienti* 4. 65 *percipiens* 65 *lin.* 5. *etsi* 12. *nobis l.* 28. *communicat,* 67. 10. *alloquijs* 68. 9. *quas* 84. 15 *iuuant.*

In 1. Part. Medit.

Pag 5. 20. *à nobus p.* 6. *l.* 18. *& ad tyro. pag.* 14 *l.* 31. *quaso, pre.* 19 22. *ope.* 34. 18. *æterne* 44. 32 *cadaue.* 60. 18. *Sennacherib.* 69 15. *Iudicium* 74. 9. *nescitis* 80. 20 *quos* 85. 5. *propter ea* 88 32. *transitu* 89. 23. *qua forma* 91. 1. *& Cacoda.* 93. 22. *vt nec* 94. 1. *vt ignorans* 98. 4. *si te* 99. 7. *assequemur* 103 31. *igneum* 104. 5. *& eo modo lin.* 23. *reste:* 105. 29 adde *mater gratiæ* 107. 24 *super* 106. 3. lege *suo loco* 109 2. *in eorum* 110. 1. *deseritur* 111. 30. *transeunt* 112. 4. *conquerar* 113. 31. *humana* 124. 19. *ossa & Caluarias* 126. 20. *quam licet* 127 *lin.* 7. *illa sint* 129 27. *eos. lin.* 28. *ideoq;* 131. 15. *alteram l.* 29. *repetent.* 132. 8. *interrogatio. l.* 16. *ventura. l.* 18. *lectulus* 136. 23. *contingit* 137. 10 *magis vt guber.* 139. *in marg. erem. lin.* 16. *vulcani seu crateres lin.* 18. *in alios lin.* 20. *fulmina* 140. 21. *habebunt* 142. 6. *pro humani l. mundani. lin.* 24. *consequantur. lin.* 26. *efficitur* 143. 14 *pedum* 147 15. *patienter l* 25. *meum* 148. 3. *Assessores.* 149 9. *in eo* 151. 27 *ab hædu lin.* 15. *conspiciuntur* 157. 25. *eruerit* 160. 7. dele *vero. lin.* 8. *qua illi lin.* 22. *quo se l.* 26. *inuitos* 161. 9. *ea* 162. 8. *illam* 165. 26. *quos tam. qui, lin.* 27. *quàm Rex* 168 25. *maledicta. lin.* 29 *morborum &* 169. 2. *illis euenient* 173. 8. adde *Deũ quem nõvidet, quomodo* 174. 28. *terra* 184. *l.* 12. *in inferno.* 16. *in marg Iob.* 24. 19 *p.* 85. 18. *appellamus. li.* 27 *relinquit* 186 1. *suam dilatet* 188 24 *Quãta.* 189. 6.

perpen

perpendenda 199.16. lege tristitia, tædia 197.9 aptare 202.31. in quo 203.10. speciales 205.14. appetitio est, vt lin. 18. de eo 206.17 deciperemur 211. 14. & initio 212. 3. Et. lin. 9. contingit. l. 15. bibas, l. 20. extra tempus 216.1. Quod si vt. & lin. 2. suppetet ea recuperati locum 226.16. excedat eam, lin. 30. sine compa. 233.12. est, quæcunq; lin. 13 ea 237.16 nimirum 240 12 zeli vero 241. lin. 1. affabiles 249. 7. educit. lin. 15 delibare 250.13. vt si lin. 24. dele aut 257.15. conspiciuntur 261.8 intra 267. 5. vina 273.12. iota 274 30. gulam & Luxuriam 275. 12. esset nimium loqui in Ecclesia. lin. 15. dele si 277. 25. vas 278. 11. effrænatarum 279. 4. tuorum 281. 6. ignoscas mihi 283.7. dele fidem 285.11. pro imprud. lege temeritatem 289 24. voluptatem 290. peccata 300 2. profusum 305.15. meorum 307 9. tentur 310.27. reliqua 316 12. quare ad ea 317.21. executoris, carnificis 318 6 iniurias conteram 319.1 actus meos 320.29. eas 322.18. dele 2. lin. repetitas 325.19. non vt 331.17. liberari 334 8. & si, vt p. 337.20. vilitatis l. 26. tibiq; 339. 7. seueram 341.21. ignobilitatem pro humilit. 348.23. infallibilis 349. 16. accidentium 363 11. ad. 13. veniale peccati l. 15. sit onus l. 17. illos 364.9 hac vita.

Errata 2. Partis.

Pag. 60 Linea 3. diuisa 65. 18 eligere 99 24. proprijs 100.10 coactu notat in. l 101.13 attendes 102. 24. cura mihi est 121.27. hic deest hęc tota sentētia: Quatuor hosce affectus decet in hac consideratione exercere: expendendo Fidei lumine infinitam Dei bonitatem & beneficiorum multitud nem quæ contulit in immeritū. 122. 28. & quàm sit 124.10. promeruit 125. 21. illum 129 11. Iustificans, qui in peccato erat. 139. 1 dixisse 148.11. conseruationis 160.14. eis. 165.28 occupationibus 181.24. perfectionem 187.2. inhospitalitate 190. 6. confirmandas 20 angustum 193 29 (vt B. ipsam 205. 6. reuocaret 299 23. ei licuisset 27. obedientiæ 265. 2. lumine 278.27. extinguat 285 15. meâ.

Errata

Errata 3. Partis.

Pag. 14 linea 28. ni 19. 1. reducit 20. 2. intentione 21. 15. sensuum 34 4 duxisse 78. 15. affectum 81. 31. ibi est 91. 2. Simonem 4. aptum 25. vnitione 92. 12. asciscere 94. 28 ostensa 101. 3. frueris 12. apparuit 255 22. Saturos 256. 4. Saturos 172. 14. solitarij 224. 26 speculatore 334 14. quæ 37[illegible]. 16 albus 382. 8. humiliat 19. Christus 393. 13. manus 395. 29 de me 398. 9. attendens 31. ipsamet 399. 12. ratificet 401 11 lauabantur 405. 21 Dei est 411. 16. recidiuum 434. 12. illas 436. 10. replearq; 440. 5. cæcitatem 446. 2. vicem 488. 21. quas 498. 7. ariditates 508 10. quia non habebat 586. 16. animam 633 21. experietur se adeo 642. 16. quod 648. 4. intelligendi 649. 25. quibus 655. 26. contenta 29. infinito.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN